JOHANNIS WICHMANNI
ROSTOCHIENSIS,
CHRONOLOGIA SACRA
Duobus comprehensa libris:

Quorum

PRIMUS differit de temporis partibus, variis Æris, deqve certis Mundi ætatibus, & qvæ circa eas disceptari solent.

SECUNDUS sacras historias sacris in Bibliis contentas suo tempori & anno &c. alligatas recenset, interspersis passim jucundis qvæstionibus, Opusculum Sacras literas lecturis insignem afferrens utilitatem, pariter & jucunditatem.



Cum Indice triplici.








ROSTOCHI,
Typis Johannis Richelii, Reipubl. Typogr.
Impensis Joachimi Wildens, Bibliopol. ibid.
ANNO M. DC. LV.

1w



SERENISSIMO AC CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO

GUSTAVO ADOLPHO,

DUCI MECKLENBURGENSI, PRINCIPI VETUSTÆ GENTIS HENETÆ, SVERINI & RAZEBURGI, NEC NON COMITI SVERINENSI, TERRARUM ROSTOCHII & STARGARDIÆ DYNASTÆ,

PRINCIPI & Domino meo Clementissimo
Salutem temporariam & æternam prec.



Mni ævo extitisse viros Principes, Serenissime Celsissimeqve Princeps, Domine Clementissime, qvi literarum studiis dediti fuerint, literatosqve amarint atqve foverint, historiarum, perennitati consecrata, testantur monumenta. Ex multis illu-

illustriora ut afferam, cui, nisi in historiis hospiti, ignotum est Alexandri Magni, victoris illius universi fermè orbis, singulare studium & amor erga literas virosqve eruditos? Qvippe ab Aristotele, summo Philosopho, in pueritiâ bonis artibus egregiè informatus, posteà bello Persico difficilimo implicitus licet esset, nunqvam tamen studium literarum abjecit, amoremqve erga artes & earum cultores posuit. Ediderat Aristoteles qvosdam libros de arduis magisq; occultis disciplinis, qvas peculiariter contemplativæ cognitionis scientiâm appellare, nec promiscuam multitudinem docere solebat: Hoc ut accepit Alexander Rex, subiratus ei scripsit: *Haud rectè fecisti, qvod speculativas edidisti disciplinas. Quâ enim in re cæteris jam præcellemus, si ea, qvibus eruditi sumus, studia omnibus cæperint esse communia? Mallem enim singulari disciplinâ, quam potestate præstare.* Idem discendi & legendi cupidus Iliada Homeri, qvam rei militaris viaticum exi-

 stimare

ſtimare & appellare ſolebat, ſemper, etiam in caſtris, ad manus habuit, & dormiturus ſub pulvino capitis collocavit. Cum aliqvando inter Darii Perſarum Regis prædas aureum ſcrinium, gemmis affabrè exornatum, reperiſſet, aliis alium eis uſum monſtrantibus, ipſe Homeri opera eo optimè aſſervari reſpondit, atq; ei uſui deputavit, ut Quintus Curtius, Plutarchus & alii prodiderunt. Qvid dicam de Julio Cæſare, ſummo illo bellatore? de Octavio Auguſto, potentiſſimo omnium Romano Imperatore? de (ut infinitos alios Imperatores, Reges, Principes & Duces &c. ſilentio præteream) Marco Aurelio, Philoſophi nomē conſecuto? certè hi omnes cum ſummo imperio & poteſtate gloriam eruditionis & optimarum artium cognitionem jucūdo & felici conſortio conjunxerunt. Ut autem divina humanis, ſempiterna caducis præſtant: ita & Scriptura θεόπνευστος, & cognitio

gnitio(non nuda,ſed cum πράξει conjuncta) rerum divinarũ, Philoſophiam & omnem humanam ſapientiam, univerſaq; cunctorum Philoſophorum ſcripta longiſſimè exſuperat. Humana Philoſophia, & ſi quid prætereà gentes ex lumine naturæ (ſcintillulâ illâ divinæ imaginis reſiduâ) habẽt, mortales ad virtutes inſtruit, indubiis conſilia ſuppeditat, patientiamq; & viriliter mori docet. Sed divinæ Scripturæ, inq; iis recondita vera ſapientia, hæc omnia longè veriùs, dexteriùs, & feliciùs præſtant. Qvam multos illa humana ſapientia, tantopere à Philoſophis decantata, in afflicto rerum ſtatu deſtituit, nec vero conſilio, auxilio, aut ſolatio refecit & recreavit! Qvam multos in periculoſiſſimos errores præcipites egit, & longè majoribus gehennæ ſuppliciis, æternùm ſuſtinendis, tradidit, mancipavit! Vel ſola, ut alia non tangam, αὐτοχειρία toties laudata, approbata, & exemplis frequentata

id abundè demonſtrat. Solæ divinæ literæ certò et absque omni errore formant et informāt. Hæ in peccatis mortuos vivificant. 1. Cor. 4. v. 15. 1. Pet. 1. v. 23. Hæ cū Deo, ſummo illo Bono uniunt et devinciunt, ut ſit ille in nobis vivatq;, & nos in ipſo 1. Joh. 3. v, 24. Gal. 2. v. 20. Hæ dubiis & animo fluctuātibus certo ſalutariq; conſilio ſuccurrunt, ſuſtentant, roborant. Hanonem, Ammonitarum Regem, conſiliarii ſui à rectâ viâ & humanitatis ſemitâ abduxerunt, ut legatos Davidis, Regis florentiſſimi, ſummâ illatâ injuriâ, violaret, adeoq; ſe & ſuos in extremum exitium ex alto præcipitaret 2. Sam. c. 10, 11, 12. Sacræ literæ Chriſtianorum ſunt conſiliarii certi & infallibiles, quos ſi ſequamur, nunquam impingemus. Teſtatur id divino actus Spiritu David Pſalm. 119. v. 24. Ubi dicit: Teſtimonia tua conſiliarii mei (אַנְשֵׁי עֲצָתִי *viri conſilii mei*) Et verſu 9. Quomodo purificabit viam ſuam (*vitam bene*fi-

neficio Dei per remissionem peccatorum purificatam vindicabit à novis peccati sordibus, et puram servabit) puer (*filius & servus Dei*)? Observando *eam* secundum verbum tuum: Hoc est, *si ad verbum ô Deus, accuratè respexerit, & vitam suam ad id ipsum conformarit.* Quod hîc in secundo hujus versus inciso breviter tetigit, illud post v. 103. simili illustratū ἐμφάσει majori repetit: Lucerna, inqvit, pedi meo verbū tuum est, & lux semitæ meæ. Hisce ὁμοψήφως loquitur Apostolus Petrus 2. Epist. 1. v. 19. Habemus (βεβαιότερον τὸν λόγον προφητικὸν) firmiorem sermonem Propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ in obscuro loco lucenti, rectè facitis, donec illucescat dies & lucifer exoriatur in cordibus vestris. Universum hîc vitæ præsentis statum, ut optimè Cajetanus interpretatur, assimilat caliginoso loco, egenti lucernæ lumine, quod est Scriptura sacra. Ut igitur in tenebris lucernâ & lumine utimur, & ad singulos gressus solliciti & circumspecti sumus, ne offendamus, & in

præ-

præcipitia ruamus: Ita verbum Dei, Scripturam ſacram qvod appellamus, eſt lucerna & lumen ſpirituale, ad quod in præſentis vitæ tenebris ſemper ſollicitè & accuratè nobis attendendum eſt, & ad cujus præſcriptum unicè credendum & vivendum, ni velimus in graviſſima peccata labi, & in abyſſum Infernalem præcipitari. Oracula divina afflictione triſtes, & ſenſu peccatorũ contritos ſolantur, erigunt, ſinceram patientiam inſtillant, &, qvomodo vera & beata εὐθανασία acquirenda, edocent. Agnovit hoc David & propterea dixit Pſal. 119. v. 50. Hæc eſt conſolatio mea in afflictione meâ: ſermonem tuum vivificare me: & v. 92. Niſi lex tua (verbum tuum) eſſet omnis oblectatio mea, jam dudum periiſſem in afflictione meâ. Summa: Sacra Scriptura eſt ἰατρεῖον & Spiritualis rerum Medicarum officina. Sap. 16. v. 12. Hieroſolymis, referente Johanne Evangeliſtâ c. 5. fuit

piſcina qvædam, qvæ dicta Bethesda: In hanc Angelus Dei præſtituto tempore deſcendens, turbabat aqvas ejus. Quiquis hanc primus, poſt illam aqvarum motionem & turbationem ingrediebatur, ſanitati reſtituebatur, qvocunq; detineretur morbo. Verbum Dei in literas à Prophetis, Evangeliſtis & Apoſtolis relatum, qvicunq; legerit, vel lectum attentè audierit, inq; corde ſuo theſauri inſtar recondiderit (qvæ emphaſis eſt verbi צפן Pſal. 119. v. 15.) habet eo ipſo fontem vivum & ſalutarem omnibus animæ ægritudinibus medentē. Hinc multi, ex qvo Chriſtiana religio orbem terrarum colluſtrare cæpit, etiam ex ſummis Principibus artium & lingvarum notitiæ ſtudium ſacrum literarum & divinarum rerum piè conjunxerunt. Sit documento Theodoſius II. Imperator Romanus. Is enim ſacros libros, eorumq; commentaria, qvæ hinc indè ſtudiosè collegerat,

rat, diurnâ nocturnâq; manu verſavit, &, ne ſuis, dum lectioni noctu operam navaret, moleſtiam exhiberet, uſus eſt lucernâ, ſingulari artificio ſibimet ipſi oleum infundente. Niceph. l. 4. c. 3. Perplurima hujus generis in medium afferrem, ni vererer Sereniſſimæ Celſitudinis Tuæ tempora longiori præloqvio morari. Non poſſum tamen, qvin unum & alterum illuſtrius addam. David Burgundiæ Princeps, Philippi Boni filius, literarum divinarum ſtudia adeò coluit, ut eruditiſſimus haberetur. Cum ad Epiſcopatum Ultrajectenſem evectus audiviſſet, ex illis, qvi ſacris initiabantur, pauciſſimos eſſe, qui literas ſcirent, voluit ipſe rem propiùs cognoſcere Juſſit ergò ſibi in aulâ cathredam poni, ac Candidatis, qvæſtiones, ſingulis pro ratione gradus, quem affectabant, propoſuit. Qvid fit? Trecenti licet eſſent, repulſam tamen omnes, exceptis tribus, ferunt. Obſtupefacti,

facti,

facti, qvi examinibus intereſſe ſolebant, multis à Præſule contendunt, ut ſententiam ſuam moderetur: Nec enim hoc ſeculum, ajebant, gignere Paulos & Hieronymos, contentus eſſet illis, qvos præſens ferret ætas. Addebant, cum magno Eccleſiæ dedecore conjunctum fore, ſi ex trecentis tres tantum admitterentur. Qvid Epiſcopus? reſpondebat, ſe Paulos & Hieronymos non requirere, non commiſſurum tamen, ut pro hominibus aſini admitterentur. Id enim, ſi fieret, verè cum Eccleſiæ publico dedecore fore conjunctum. Inprimis omni laudum encomio major eſt Alphonſus Rex. Magnis namq; ſumptibus ſcholas fundavit, auditoria, in qvibus ſacræ literæ docerentur, extruxit, atq; ipſe qvoqve magnâ diligentiâ animiq; attentione lectionibus & diſputationibus interfuit. Qvotidè certum tempus lectioni tribuit, nec unqvam à pro-

posito hoc se passus est dimoveri. Sacra Biblia quaterdecies unà cum glossis ordinariis, Lyræ commentariis, & additionibus Burgensis evolvit, & qvidem tanto studio, ut singulas historias non modo memoriæ infixas haberet, sed & verba, quo ordine in textu posita sunt, expeditè recitaret. Imò tanto flagrabat literarum amore, ut DEUM testatus, se thesauris suis & aliqvot regnis carere malle, qvam literis, confiteretur. Hæc nunquam satis laudata vestigia & Serenissima Celsissitudo Tua premens, summâ cum laude, qvicqvid à gubernaculi curis supervacui temporis datur, in literarum inprimis divinarum, studia impendit, atqve ex iis laudabilem honestæ utilitatis & jucunditatis fructum qværit & percipit, ut hinc non immeritò, non tantum subditi & clientes, sed & extranei S. C. T. observent & admirentur, diligant & venerentur.

tur. Inter hosce S. C. T. cultores & ego nomen profiteor meum, gradu & censu plurimis licet impar, animo tamen & affectu paucis secundus. Apud Persas erat vel legibus sancitum, vel moribus institutum, ne qvis Regiam Majestatem adiret sine munere: Cum igitur S. C. V. adire & compellare ἄδωρον & mihi religio sit, offero Chronologiam hanc sacram, parvum qvidem libellum, Scripturam sacram tamen lecturis non inutilem & injucundum, & mihi non parvo laboris & indaginis impendio stantem. Artaxerxes Mnemon, magnus ille Monarcha, rusticum hominem è proximo fonte cavis palmis lympham, qvod aliud in præsentiâ donarium non haberet, afferentem non fastidivit, sed factum ejus argumentum amoris interpretatus est. Fulgos. l. 5. c. 2. Ita & S. C. T. munus hoc levidense ne

aſpernetur, ſed, cum aliud mihi jam non ſit, ab amoris & venerationis pleniſſimo animo profectum æſtimet, humilimè oro & obteſtor. Accipe igitur Illuſtriſſime Princeps, Domine Clementiſſime, ſereſereno vultu hoc qvicqvid eſt munuſculi, & in meliorem interpretare partem hoc meum attentatum, verecundiâ forſan & modeſtiâ vacuum. Hoc enim ut ego minimæ ſortis homuncio auſus fuerim, S.C.T. fecit, à multis depredicatus, literarum literatorumqve amor & eruditio ſingularis, excellensqve illa multis nota animi beneficentia, candor & moderatio, qvâ, ſi qvid alicubi (qvod abſit ut negem: cum errare humanum ſit) dormitatum & à vero aberratum fuerit, id ſuppletum & obtectum iri confiſus ſim. Finiam igitur, &, qvod re neqveo, voto præſtare conabor: DEus optimus maximus

ximus S. C. T. ſpiritu ſuo regat, qvam diutiſſimè incolumē ſervet, omniqve benedictionum genere cumulatiſſimè ornet, atqve tandem, exacto hujus vitæ curriculo, æternùm beet. Dabam Roſtochij Id. Februarii Anno 1655.

Sereniſſimæ C. T.

Subjectiſſimus & obſeqventiſſimus

Johannes Wichmann,
Verbi divini Miniſter.

Ad

Ad Reverendum

DN. AUTOREM,


Compatrem, Amicum ac in CHRISTO Fratrem meum ſingulariter dilectum.

EDis, JANE, *Librum*, multis mihi cognite luſtris,
Docti qvi Genii viva Tabella tui.
Hic LIBER *egregiè de Mundi differit Æris,*
Et, qvo cuncta ſient tempore geſta, docet.
Hoc eſt, obcuro qvod Te producit ab omni
Cœtu, doctorum fertqve per ora Virûm,
Tùm qvoq; tempus erit, frueris qvùm ſimplice ſorte,
Sorte magis lautâ qvo potiêris ovans.

M. JOHANNES Käntzeler/
Eccleſ. Roſtochienſ. ad
S. Petrum Paſtor.

Cum σφάλματα non pauca ſat gravia, qvod mihi ob loci diſtantiam non ſemper adeſſe liceret, irrepſerint, benevolus Lector etiam atq; etiam rogatur, ne gravetur ea prout in calce libri notantur, emendare. In primis notetur, à pag. 265. l. 23. usq; ad p. 276. incluſivè, annis Patriarcharum ſemper annum eſſe addendum. Exempli G. Arphaxad dicitur p. 265. l. 23. natus anno M. 1658. cum tamen ſi accuratè calculum inſtitueris, natus dici debeat anno 1659. Ità & res ſe habet in reliqvis, ut ex ſubjuncta Sciagraphia videre eſt. Qvicqvid præterea circa interpunctationem aberratum eſt, vel omittendo, vel transponendo &c. benevolus Lector ipſe pro ſua eruditione emendabit, Vale.

IN



IN NOMINE JESU.

PROOEMIUM.



Um res geſtas memorabiliaq́; ſacris literis comprehenſa ad certum ſuum tempus quoad ejus fieri poteſt, redigere animus ſit, operæ pretium facturus videor, ſi prius adduxero rudi licet Minervâ explicata, quorum cognitio ad illud ipſum eò dexterius pertractandum maximè requiretur. Duobus igitur libris DEO auxiliante rem omnem expediemus. Primus parte priori γενικῶς temporum partes, variasq́; Epochas, quantum Chronologiæ Sacræ ſtudioſo cognitu fuerit neceſſarium exponet; parte autem poſteriori εἰδικῶς Mundi ætates ſeu intervalla ex Sacrâ Scripturâ eruta demonſtrabit & quæ circa ea diſputari ſolent, evolvet. Secundus verò liber res ipſas vel ſacras hiſtorias in divinis Scripturis contentas ſuo anno vel tempori alligatas ſiſtet. Faxit DEUS Optimus Maximus ut omnia in divini ſui nominis gloriam, Reipublicæ literariæ emolumentum noſtramq́; temporalem & æternam ſalutem vergant, per DOMINUM noſtrum JESUM CHRISTUM Amen.

CHRONOLOGIÆ SACRÆ
LIBER PRIMUS
PARS PRIOR.

GEnerali temporis θεωρίᾳ Physiæ relictâ, de temporis intervallis seu partibus de diebus scilicet, de mensibus & annis variisq; Epochis vel Æris, utpote qvorum notitia Chronologiæ sacræ Studioso maximo est usui, hic agemus. Sit igitur

SECTIO PRIMA
De Diebus.

VOx diei in Scripturâ Sacrâ bifariam usurpatur vel enim 1. notat spatium temporis ab ortu Solis usqve ad occasum vel qvo Sol est supra horizontem eumq; illuminat. Gen. 1. v. 16. Jud. 19. v. 11. Joh. 11. v. 9. & passim: vel eâ simul comprehenditur nox signaturq; spatium 24. horarum & Græcis appellatur *νυχθήμερον*. Ita accipit Moses Gen. 1. v. 5. ויתי ערב ריהי בקר יום אחר & fuit vespera & fuit mane dies unus vel primus Ita etiam capitur Gen. c. 7. v. 4. 10. 17. Johan. c. 11. v. 17. & 39. Illum diem Censorinus vocat *naturalem*, hunc verò *civilem*, seu *artificialem*, qvamvis alii ordinem invertant.

Diem Civilem *νυχθήμερον* dictum auspicantur qvidam à meridie ut Mathematici seu Astronomi & olim Umbri Italiæ populi: alii à mediâ nocte, ut qvondam Romani Sacerdotes: qvidam à Solis ortu ut Babylonii teste Plinio: alii ab occasu Solis, ut Judæi, Arabes Athenienses. Hinc populi, nonnulli non à dierum sed noctium numero tempus numerarunt, ut Nomades Lybiæ, Galli tempore Julii Cæsaris, Germani tempore Taciti & alii. Initium hoc diei à vesperà sive Solis occasu est primum & antiqvissimum ut apparet ex Gen. c. 1. v. 5. Ubi tamen inter Judæos aliqvid occurrit discriminis. Talmudici enim ab occasu Solis diem incipiunt; Scripturarii verò à fine crepusculi.

Naturalem verò diem qvi nocti contradistingvitur semper inchoarunt à matutinâ horâ, ut prima diei hora esset oriente Sole, ultima occidente Sole. Ita vulgò Romani, Musulmanni seu Turcæ & alii. Variè autem hunc diem naturalem partiti sunt veteres. Græci

qvidem

qvidem in auroram meridiem & crepuſculum veſpertinum Hom. Iliad.φ. Romani autem in tempus antemeridianum, meridianum vel meridiem & pomeridianum. Poſteà verò accuratiùs diviſerunt & primò qvidem diem civilem in partes duodecim, deinde verò cum numerus ſic videretur commodus, diem naturalem pari ratione deſtribuerunt in 12. partes & noctem in totidem. Fuerunt autem partes hæ, qvas horas appellitarunt inæqvales, pro dierum & noctium longitudine, nunc longiores, nunc breviores, animadverſæq; ſunt umbrâ gnomonis in ſchiathericis huic occomodatis uſui vel etiam clepſydris. Cum enim Sol nubibus nebuliſq; obtectus lumen non ſuppeditaret, invenerunt vaſculum infundo per parvum habens foramen, per qvod aqva deſtillans tempus menſurabatur, qvod Clepſydram nominarunt. Ad hanc omnium ferè actionum tempora exegerunt, ad Clepſydram Rhetores & Oratores dixerunt. Dierum hæc in 12 partes diviſio ſerò licet pervenerit ad Græcos, ſeriùs ad Romanos, ab antiqviſſimis tamen temporibus in uſu fuit apud Chaldæos & Babylonios. Sed de his plura videri poſſunt apud W. Lang.

SECTIO II.
De Menſibus.

MEnſes Patriarcharum & Hebræorum in Scripturis Sacris qvi occurrunt, Lunares fuerunt, eosq; hi non à jugo vel conjunctione cum Sole ſed prima novæ Lunæ φάσει ſeu apparitione, qvâ poſt occultationem ſive conjunctionem cum Sole iterum in oculos hominum incurrit, inchoarunt. Confer Joſephum l. 2. antiq. c.6. mox in initio & l. 4. c. 4. ubi agitur de morte Mirjam & paulo poſt etiam eodem c. 4. ubi enarratur mors Aaronis & l. 3. c. 10. ubi etiam bis dies menſis ad lunæ apparitionem reſtringitur. Qvandoqvidem autem cœlo nubibus nebuliſq; tecto, Luna non ſemper videri poterat præcedenti menſi diem addiderunt, eumq; 30. diebus circumſcripſerunt. Continuâ enim obſervatione erant edocti, ſereno cœlo novam Lunam diutius non latére. Atqve ita menſis 30. erat dierum, ni nova Luna antè lumen præberet. Traduntautem Judæorum doctiſſimi, ſecundo adhuc ſtante templo, eum inqvirendæ νεομηνίας morem obſervatum fuiſſe: nimirum penultimo cujusq; menſis die Judæorum conſeſſus viros integræ exiſtimationis in montana ablegabat ad novam

novæ Lunæ lumen ſpeculaudum, ut ex eorum teſtimonio & fide neo menia ſanctificaretur. Deindè manè 30. die Judices ſive Senatores magni Synedrii conveniebant, teſtesq; viſionis Lunæ expectabant. Hi ubi advenerant, examinabantur juxta tabulam R. Gamalielis, in qvà Lunæ figuræ deſcriptæ erant, ex iisq; qværebatur qvalemne Lunæ figuram vidiſſent? an talem vel talem? Comperta φάσεως veritate, Præſes Synedrii proclamabat מקודש מקודש ſanctificata eſt, ſanctificata eſt, eumq; totus populus ſeqvebatur. Ex viſione igitur Neomenia, ex viſione menſium qvantitas dependebat. Si enim Luna 30. nocte ſive ut Rabbini loqvuntur בזמנו in tempore ſuo videretur: prior menſis 29. ſaltem dierum erat. Si verò 31. nocte vel ut Rabbini ajunt בליל עבורו in nocte intercalationis ſuæ appareret, menſis prior erat 30. dierum. Illum menſem vocant cavum, hunc verò intercalarem & plenum. Cum autem ſæpè propter nubes aliasve cauſas Luna videri non poſſet, calculum adhibebant ex qvo de tempore viſionis judicarent. Ritum hunc de ſanctificandà juxta φάσιν neomenià, Majemon à temporibus antiqviſſimis & Mo[illegible] deducit, eumq; ſemper à Judæis docet obſervatum qvamdiu Sanedrin & Sapientes in terra Iſraelis fuere Lang. L. 1. & Seldenus de ann. c. 8.

Sunt autem menſes Ebræorum duodecim.

Primus	נִיסָן	Niſan Nehem. c. 2. v. 1.
Secundus	אִיָּר	Ijar
Tertius	סִיוָן	Sivan Eſth. 8. v. 9.
Qvartus	תַּמּוּז	Tamutz
Qvintus	אָב	Ab
Sextus	אֱלוּל	Elul Nehem. 16. v. 15.
Septimus	תִּשְׁרֵי	Tiſri
Octavus	מַרְחֶשְׁוָן	Marcheſvan
Nonus	כִּסְלֵו	Ciſleu Nehem. 1. v. 1. Zach. 7. v. 1.
Alii legunt	כַּסְלֵו	Caſleu.
Decimus	טֵבֵת	Thebet Eſth. 12. v. 16.
Undecimus	שְׁבָט	Schebath. Zach. 1, 7.
Alii legunt	שְׁבִית	Schebeth.
Duodecimus	אֲדָר	Adar Eſth. 3. v. 7. & 13.

Nomina

Nomina hæc mensium non sunt ut ait Abenezra in c. 12. Exod. לשון קדש כי אם לשון כשדים lingvæ sanctæ sed Chaldæorum. Ideo non nisi in libris vel in Captivitate Babylonicâ vel post eandem scriptis inveniuntur. Antiqvissimis igitur temporibus menses saltem juxta ordinem nominabantur, ut primus, secundus &c.

Sic fit mentio mensis primi Exod 40. v. 2. & 17. Gen. 8. v. 13. Secundi Gen 7. v. 11. Num. 9. v. 11. Tertii 2. Chron. 15. v 10. Qvarti Esa. c. 52. v. 6. Qvinti Esa. c. 52. v. 12. Sexti Haggæi 1. v. 1. Septimi 2. Chron. c. 5. v. 3. Gen. 8, 4. Octavi 1. Reg. 12. v. 32. Noni 1. Chron 27. v. 12. Decimi Gen. 8. v. 5. Undecimi Deut. 1. v. 3. Duodecimi 2. Reg. 25. v. 27.

Occurrunt & alia mensium nomina in Sacris ut זיו mensis secundi 1. Reg. 6. v 1. & בול mensis octavi 1. Reg. 6. v. 38. Sed illa Scaligero & Buxtorfio Sidoniorum & Sirorum sunt vocabula. Injicitur etiam mentio יֶרַח הָאֵתָנִים 1. Reg. 8, 2. mensis septimi, qvæ appellatio descriptio verius, qvam proprium nomen videtur. Dicitur autem septimus mensis juxta nonnullos האתנים robustorum, qvod tum temporis fructus terræ Judaicæ colligi soleant, qvi instar roboris terræ sint à DEO ordinati ad vitam hominis sustentandam & roborandam. Idem videtur, dicendum de אָבִיב. Ea enim vox חדש vel mensi subjuncta notat tempus frugum maturescentium ad qvod Judæis erat attendendum ut Pascha suo tempore celebrarent, ob qvod etiam, ni in mensem elapso 12. anni prioris succedentem, incideret, intercalatione opus erat. Hinc qvoties mensi subjungitur videlic. Exod. 13. v. 4. & c. 23. v. 15. & c. 34. v. 18. Deut. c. 16. v. 1. sibi ה Hajedya præfixum habet ut innuatur non appositio, uti vocant, sed regimen voxq; אביב casu non primo, sed secundo vertendum. Sed abundet suo qvilibet sensu.

SECTIO III.

De Annis.

Circuitum vel Circulum annus si ἔτυμον spectes, signare videtur. Antiqvi eniman pro circum usurparunt: unde etiamnum ambire idem est ac circumire. Vide si libet Macrobium L. 1. Saturnal. c. 14. Indicat id Virgilius: Interea magnum Sol circumvolvitur annum: disertè circulum, qvem Sol anni spatio absolvit annum adpellans. Idem firmat annulus diminutivum, qvod circellum designat.

 Egregiè

Egregiè hæc ipſa vox congruit cum tempore motus tum Solaris tum Lunaris. Qvippe uterqve annum ſive cyclum ſuum iſto tempore abſolvit. Nec malè idipſum Ægyptii adumbrarunt, pingendo ſerpentem propriam devorantem caudam. Unde verſus:

Serpens annus ego ſum, Sol ſic circinat in qvo
Qvi fluxit pridem, ſtatus eſt nunc temporis idem.

Græcis ἐνιαυτὸς eodem ſignificatu dicitur & id qvidem παρὰ τὸ εἰς ἑαυτὸν ἰέναι qvod in ſe recurrat & redeat inſtar annuli.

Hebræi vocant שָׁנָה à שָׁנָה iteravit, qvod Sole ad punctum, unde digredi cœperat, redeunte iteretur & in ſe ſua per veſtigia ſemper volvatur & redeat. Fuerunt autem varii apud varias Gentes anni. Etenim annum alii æſtate determinabant, alii hyeme, alii qvadripartitis temporibus ſicut Arcades, qvorum Anni trimeſtres fuere: qvidam Lunæ ſenio ut Ægyptii. Plin. l. 7. c. 44. Romani initio 10. menſibus annum deſcripſerunt, qvibus Numa Pompilius juxta multorum ſententiam duos menſes addidit, Januarium ſc. & Februarium. Vid. Plutarch. in vita Numæ pag. mihi 24. Lit. C. & D. Antiqviſſimos homines Patriarchas & alios veroſimile eſt, cum Solis motus non ſatis eſſent periti, nec tempus, qvo Sol circulum ſuum abſolvit, exactè ſcire poterant, ad Lunam attendiſſe ejusq; primam φάσιν obſervaſſe. Cum enim iſto cœlo nubibus raro nebulisq; denſis obnoxio perqvam facilè primum novæ Lunæ adſpectum animadvertere poſſent, nec differentia niſi unius diei ferè daretur, expeditiſſimum fuit à primâ Lunæ viſione ad primam ſeqventis menſis dies ſupputare. Et hæc per φάσεις Lunares tnmporis menſuratio maximè in uſu civili erat: qvippe qvæ ſponte ſe oculis ingerebat & ſine difficultate poterat capi. Nec erat periculum ne civilia turbarentur tempora. Ipſa namqve ſemetipſum corrigebat: Unde ſi uni menſium plures juſto dies aſſignaſſent, alteri ſtatim aut tertio auferebant, anticipatione ipſius Lunæ admoniti. Accedit qvod Sol ſuo in terris effectu annuum ſuum motum evidenter ſatis oſtendebat. Æqvinoctium enim peragrans ver efficiebat: extremum Zodaici tangens limitem, æſtatem: rurſum in æqvinoctio autumnum: in Tropico oppoſito conſtituebat hyemem. Qvæ & ipſa tempora manifeſtas qvoqve in terrâ mutationes attulerunt.

Integer ergò exſtitit annus, qvi qvatuor hæc tempora habuit. Qvod autem elapſis 12. menſibus hisce lunaribus ſæpè æqvinoctium

non

non adeſſet, hinc ne tempora confunderetur, menſem addiderant, qvod intercalare appellatur, ſed de eo mox pluribus.

Notetur igitur Moſen Dei nomine Iſraelitis mandaſſe ut menſem האביב abib in qvo ex Ægypto exierant & qvem ראש חרשים caput menſium, hoc eſt, primum in ordine idem Moſes conſtituerat Exod. 12. v. 2. obſervarent, hoc eſt, probe attenderent ad menſem in qvo אביב vel tempus frugum matureſcentium incideret, ut in eo ſeu juſto & legitimo tempore Paſcha celebraretur in memoriam eorum qvæ circa egreſſum ex Ægypto acciderant, Deut. c. 16. v. 1. Qvia verò אביב tempus matureſcentium frugum & meſſis in Palæſtinâ in vernum tempus & poſt æqvinoctium ferè incidebat necantè Paſcha, ut ex dictis patet, celebrari poterat, ſæpè evenit, ut menſis, qvi elapſis 12. menſibus præcedentis anni ſuccedebat ac novum & ſeqventem annum ordiri debebat, nec Tekupha nec Abib habêret. Annus enim Lunaris cum 354. ſaltem dies habebat à Solari qvi 365. dierum eſt, 11. dieb⁹ ſuperatur. Qvare ſi Neomenia Niſan in anno qvodam in Æqvinoctium incideret; ſeqventi anteverrebat id 11 diebus, & tertio anno 22. adeoq; 15. Niſan, qvo Paſcha celebrandum, Æqvinoctium vernuum & tempus frugum matureſcentium prævecteret. Hoc igitur ne fieret intercalabant & ſuperiori anno integrum menſem adjiciebant eumq; ואדר Veadar ſivè alterum Adar nominabant. Si enim vel plus menſe vel minùs intercalaſſent, totam menſium rationem, qvæ à Luna dependebat, interrupiſſent. Spectabat tota hæc intercalandi ratio ad Synedrium aut illos, qvi à Synedrio huic negotio præfecti erant. Tres autem præcipuè cauſas Judices illi habebant, qvamobrem intercalarent, nimirum ob Tekupha (ſeu æqvinoctium) Abib & fructus arborum. Qvomodo autem hæc res peracta, explicat Majemonides 3. Kidus Hahodes §. 16: Domus judicii inito computo ſciebat ſi Tekupha Niſan (hoc eſt æpvinoctium vernum) eſſet in 16. Niſan aut poſt, & intercalabant in eo anno & ex Niſan fecit Adar ſecundum ut Paſcha incideret in tempus Abib. Abib qvidem ſemper ferè poſt æqvinoctium cœpit. Tum enim fruges matureſcere cœperunt in terrâ Iſraelis. Sed tamen aliqvando & ante Æqvinoctium pro tempeſtatis ratione matureſcebant. Verùm ne tum qvidem Paſcha celebrabant, niſi Tekupha tranſiviſſet, idq; ob cauſas plurimas. Si enim Abib ante Æqvinoctium inciperet, cauſa hæc ferè erat, qvod propter abundantiam nivium ſemen maturius eſſet redditum. Et hæc cauſa aqvas & flumina

flumina auxit, vias impedivit, pontesq; disjecit, ut illi qvi ad festivitatem proficiscerentur, Hierosolymas pervenire non possent. Etiam Proselytis qvi Hierosolymis multùm aberant & tamen propter solemnitatem illuc ascendere volebant, certum aliqvod tempus determinandum erat, juxta qvod iter suum instituerent. Jam verò Abib sive tempus frugum maturescentium, illis qvi tum in terrâ sanctâ vixerunt, tempus erat certissimum, qvi verò procul ut in Asia, Thracia aliisq; locis vixerunt, planè erat incertum. Et cum Abib cum primâ post æqvinoctium plenâ Lunâ freqventer conveniret, ita iter suum dirigebant, ut illo tempore Hierosolymis esse possent. Et hæc omnia ex Æqvinoctii termino dependebant. Ergò Pascha ante æqvinoctium non incidebat. Ex calculo autem ut Majemonides testatur Synedrium cognitum habebat, utrum Tekupha Nisan in 16. Nisan aut postea incideret: & tum intercalabant mensem, & Adar geminabant. Si verò post æqvinoctium fruges nondum maturescere cœperant fructusq; arborum, qvi isti tempori conveniebant, maturi non essent: etiam tum mensem intercalabant. Nec tamen una harum causa per se esse poterat, nisi cum aliâ juncta: Sicut & hædi macri & jejuni atqve id genus alia nihil per se facere poterant, sed cum alio poterant. Spectat huc edictum R. Simeonis filii magni illius Gamalielis Act. 5. 34. Notum vobis facimus, qvod cum pulli adhuc sint teneri & agni tenues & tempus Abib non venerit, mihi visum sit addere huic anno 30. dies. Et hæc fuit intercalandi ordinaria ratio. Extra ordinem verò intercalabant anno sexto Schmithæ idq; ob pressuram ut Judæi loqvuntur. Cum enim à Neomeniâ Tisri septimus annus, sive Sabbaticus inciperet; & post initium septimi anni, nihil agere liceret, nec serere nec metere nec vinum oleumve exprimere: ergò si anno 6. imminente Tisri vindemiæ tempus nondum esset, intercalabant in exitu anni sexti circa Tisri. Annum hunc suum Ebræi, ordiebantur vel à mense תִּשְׁרִי Tisri vel à mense נִיסָן Nisan. Illius ratio habebatur in annis Sabbathicis & Jubilæis qvi à Tisri mense septimo inchoabantur Lev. 23. v. 24. & c. 25. v. 9. in rebus politicis, in contractibus, in emptionibus & venditionibus. Huic verò in rebus sacris ad festa & cultum divinum spectantibus. Joseph. L. 1. ant. c. 4. Illum acceperant ab Ægyptiis hunc verò à Mose vel rectius ab ipso Deo. Eqvidem primitus à Vere, qvo mundus est conditus, ut post probabitur, annum exorsi sunt tum ante tum post diluvium. Cum verò in Ægypto tot

annos

annos degentes cum incolis conversarentur, eorum supputandi rationi assveverunt ac ab autumno anni initium duxerunt. Deus igitur Optimus Maximus jamjam ex Ægypto egressuros ad pristinum anni exordium retraxit mensemq; Abib veri convenientem caput mensium esse debere, atqve ab eo menses anni imposterum numerandos esse præcepit Exod. 12. v. 2. Hinc & Mosen omnesq; Scriptores sacros in scriptis θεοπνεύστοις Veteris T. non à Tisri sed à Nisan, non ab Autumno, sed à Vere annos putare deprehendes.

SECTIO IV.
De Festis Judæorum.

Festa Judæorum divinitus instituta fuerunt vel *hebdomadalia*, qvæ singulis hebdomadibus recurrunt, vel *menstrua* qvæ singulis mensibus observata sunt; vel *annua*, qvæ qvotannis certis mensibus statisq; diebus celebrata fuere. De singulis speciatim.

MEMBRUM I.
De Festo hebdomadis.

F*Estum primarium* fuit septimus qvisqve dies appellitatus *Sabbatum*. Hunc enim diem Deus summo honore colendum mandavit, in memoriam septimi illius diei, qvo ab opere creationis qvievit. Nihil in hoc operis fuit faciendum, ne qvidem cibus parandus, sed unicè cultui divino vacandum. Gen. c. 2. v. 2. 3. Exod. 20. v. 8. 9. 10. 11. c. 23. v. 12. c. 35. v. 2. 3. Levit. 23. v. 2. 3.

MEMBRUM II.
De Festo menstruo.

F*Estum menstruum* fuit Neomenia primo cujusq; mensis die celebranda. Singula namqve mensium initia Deus sacra esse constituit, ita ut peculiare sacrificium tum fuerit offerendum, licet ab operibus non cessarint. Num. 28. v. 11. 1. Sam. 20. v. 18. 24. 27. 2. Reg. 4. v. 23. 2. Chron. c. 2. v. 4. & c. 31. v. 3.

MEMBRUM III.
De Festis annuis.

Festa hæc annua fuere qvinqve. 1. Festum Paschatos. 2. Pentecostes. 3. Clangoris turbarum. 4 Expiationum. 5. Schenopegias.

ARTICULUS I.
De Festo Paschatos.

Die 14. Nisan vel mensis primi ex mandato Dei agnum anniculum masculum, qvem 10. die illius mensis à grege separarant, בֵּין הָעַרְבַּיִם intes duas vesperas (hoc est ut post ostendetur, post horam 9. vel nostram 3 pomeridianam, & ante 12 vel nostram 6. vel ante Solis occasum) mactarunt, igni assarunt, atqve 15 die ineunte & nocte seqventi comederunt cum azymis & lactucis agrestibus, omniaq; ex agno residua ante lucem seqventis diei igni combusserunt. Exod. 12. v. 3. & seq. Levit. 23. v. 5. Deut. 16. v. 1. 2. Joseph l. 3. antiq c. 10.

[פֶּסַח si ἔτυμον spectes notat primò transitum à פָּסַח transivit, transilivit, explicante Josepho Judæo doctissimo & lingvæ Ebrææ peritissimo l. 2. antiq. c 5. Deinde significat agnum Paschalem, qvod Angelus primogenitorum in Ægypto percussor sangvinem illius Israelitarum ædibus aspersum vidẽns transiliret. Exod. 12. v. 27. Deniqve notat tempus & qvidem 1. agni immolati & contradistingvitur festo azymorum. Levit. c. 23 v. 5 6. 2. Notat festum azymorum. Luc. 22. v. 1. Act. 12. v. 4.]

Die 15. Nisan cœpit festum azymorum (Hebræis dicitur חַג הַמַּצּוֹת Levit. 23. v. 6. Græcis ἑορτὴ τῶν ἀζύμων Luc. 22. v. 1.) qvo azymis panibus vesci oportuit, duravitq; 7. diebus. . Primus azymorum dies initium sumsit die 15. ineunte, hoc est à vespera vel nocte diem 14. seqvente & fuit dies conventus sancti, qvò à reliqvis hujus vitæ negotiis vacantes Israelitæ convenerunt & sacris incubuerunt: ejusdem sanctitatis & venerationis fuit & dies septimus azymorum vel 21 Nisan. Cibos tamen his 1. & 7. azymorum diebus ut & in die Pentecostes, Buccinarum & Tabernaculorum, parare ipsis licebat. Exod. 12. v. 16. Num. 28. v. 17 & seq.

[Nota hic Evangelistas 14. diem qvo agnus Paschalis fuit mactatus &c. vocare primum azymorum ut Matth. c. 26. v. 17. Marci c. 14. v. 12. Luc. 22. v. 7. cum tamen ex Mose certum sit, 15. demum diem fuisse primum azymorum. Qværitur igitur qvomodo hoc conciliandum? Resp. 1. Cornelius à Lapide dicit, Evangelistas respicere ad computum naturalem dierum, secundum qvem vespera vel nox, qvâ primum cœperunt azymis vesci, pertinebat ad diem præcedentem hoc est 14. Verum computus ille falsus est. Nec enim dies φυσικῶς vel

vel à primâ mundi creatione ortum suum habet à Solis ortu, sed à vespera ut patet ex iis qvæ Sect. 1. dicta sunt. Ideo verum esse neqvit Evangelistas computum illum attendisse. Rectius ergò 2. respondetur diem 14. ab Evangelistis vocatum primum azymorum, qvod eo, mox post prandium fermentum omne ex ædibus fuerit eliminatum, panesq; azymi parati, qvos vesperà seqventi, qvæ diem 15. inchoabat, manducare cæperunt.]

Die 16. Nisan vel 2. azymorum falcem in segetem primùm miserunt & manipulum novarum frugum Domino obtulerunt ut messis ab hoc die incipiens sanctificaretur. Levit. c. 23. v. 10. 11. 12.

[Fruges has demetebant vesperâ vel nocte post Solis occasum die em 16. ordiente. Hinc in Talmud. in Cod. Menachoth. c. 10. ita legitur: *impossibile est sumere aut metere omer* (hoc est fasciculum illum frugum novarum Deut 24. v. 19.) *nisi nocte diei Nisan* (16. scil.) & paulò post: *Cum tenebræ factæ fuerint dicet messor omnibus astantibus: Occidit Sol. Dicent illi: Etiam occidit Sol.* Et tum demum licuit metere. Cl. Lang.]

Qværitur hic I.

Quid significet בין הערבים *inter duas vesperas?*

Non eadem hic est Interpretum sententia. I. Rabbi Schlomoh Jarchi natione Gallus in c. 12. Exod. explicat de *horis, quæ sunt inter vesperam diei & vesperam noctis. Vespera diei ipsi incipit in initio horæ septimæ* (hoc est nostræ primæ pomeridianæ) qvod *indè inclinent umbræ vespertinæ; vespera noctis initio noctis.* Rabbi David Kimchi in lib. radic. scribit: *Inter duas vesperas: hoc est à sexta hora & ulterius usqve ad noctem. Dicit autem duas vesperas & illæ duæ sunt. Nam tempus, quo incipit Sol inclinare, est vespera prima & post occasum Solis vespera secunda.* Ut hæc melius intelligantur, libet hic ex Lexico Hebræo Joh. Buxtorfii adducere traditionem priscorum de agno Paschali: *Si juguletur Pesach ante meridiem, prophanum & illegitimum est, propterea qvod dicitur: inter duas vesperas jugulabis* Exod. 12. v. 6. & paulò post: *Tamid sive juge sacrificium agni, jugulabatur horâ octava & dimidia* hoc est inter nostram secundam & tertiam) *& offerebatur hora nona & dimidia* (inter tertiam & qvartam). *Vespera Paschatis mactabatur septima & dimidia* (inter primam & secundam) *& offerebatur octava & dimidia* (media ad secundam). *Qvod si vespera Paschatos incideret in vesperam Sabbati, mactabatur sexta & dimidia* (inter duodecimam & primam) *& offerebatur septima*

ptima & dimidia (media ad ſecundam) *& poſteà Paſach.* Explicatur hoc in Gemarâ: *Qvæſivit qvidam, qvare veſpera Paſchatos anticipamus horâ unâ?* reſpondit Rabba: *Lex ſacrificij jugis propriè eſt, à qvo ſe inclinare incipiunt umbræ veſperæ.* Qvare id? *ex eo, qvod dicit Scriptura, inter duas veſperas*, id eſt, *à tempore qvo incipit Sol occumbere. At veſpera Paſchatis, qvando agnus Paſchalis poſt Tamid ſeu agnum qvotidianum mactandus eſt, anticipamus horâ unâ. Qvod ſi veſpera Paſchatis incidat in veſperam Sabbati, ne aſſatura agni Paſchalis attingat Sabbatum, ulterius horâ unâ anticipamus, mactando eum ſexta & dimidia.*

II. Rabbi AbenEſrah Hiſpanus phraſin hanc interpretatur de tempore, qvod eſt inter occaſum Solis ſub terram & inter finem crepuſculi vel ut ipſe ait, occaſum luminis, qvod videtur in denſitatibus tenebrarum. Verum opinio hæc neqvaqvam ſubſiſtere poteſt. Spatium enim illud temporis brevius eſt, qvam ut ea, qvæ circa agnum Paſchalem ex præſcripto legis fieri oportebat, ante initium illius primi azymorum diei, peragi poſſent. Sed plura contra hanc opinionem mox afferentur.

III. Chriſtianorum nonnulli qvos inter Cornelius à Lapide, Rivetus & alii בין הערבים exponunt de tempore ab hora nona, *qvæ noſtra eſt pomeridiana tertia*, ad Solis occaſum. Probant hanc ſuam ſententiam. 1. Ex Joſeph. l. 7. de bell. c. 17. & l. 16. antiq. c. 10. Verum loco priori nihil ejusmodi habetur: Poſterior ſaltem indicat Judæos cogi non debere ad præſtanda vadimonia Sabbatis aut qvæ ante hæc fuerit Paraſceve ab hora nona.

Dilucidius 2. probatur, ex hiſtoria paſſionis Chriſti ab Evangeliſtis conſignatâ. Matth. enim prodit c. 27. v. 46. Chriſtum circiter horam nonam in cruce obdormiviſſe, mox ſubditur v. 57. ὀψίας δὲ γενομένης veſpera autem factâ vel ut Marcus c. 15. v. 42. ἐμφατικωτέρως habet: καὶ ἤδη ὀψίας γενομένης (ἐπεὶ ἦν παρασκευὴ ὅ ἐστι προσάββατον) veniſſe Joſephum. &c. Veſpera igitur non demum cæpit occidente Sole ut vult Aben-Eſra ſed mox ab horâ nonâ, hoc eſt noſtra tertiâ.

3. Idem innuitur Actor. c. 3. v. 1. Dicitur ibi, Petrum & Johannem Apoſtolos in templum aſcendiſſe ſub horam precationis, *nempe* nonam, hoc eſt ſub tempus ſacrificii veſpertini ut omnes fatentur. At juge illud ſacrificium inter duas veſperas offerebatur.

4. Non

4. Non obſcurè itidem colligitur ex hiſtoriâ Eliæ, miraculo falſitatem cultus Baalitici demonſtrantis 1. Reg. c. 18. v. 21. & ſeq. Dicitur inibi flamines Baaliticos invocaſſe Deaſtrum ſuum Baalem, ut ignem cælitus demitteret, idq; à mane ad meridiem: deinde verò Eliam eis illuſiſſe; ipſos verò vehementius Baalem inclamaſſe & ſe cultellis cruentaſſe ac tandem prophetaſſe usqve ad tempus ſacrificii veſpertini. Elias igitur ad opus ſe accingit altare inſtaurat & omnia neceſſaria præparat ac tandem præſente offerendi ſacrificii tempore Deum invocat, qvi mox igni cœlitus delapſo reſpondet. Hic ex circumſtantiis textus ſatis ſuperq; apparet tempus veſpertini ſacrificii offerendi non poſſe reſtringi ad Solis occaſum uti vult AbenEſra. Elias enim poſtea Sacerdotes Baaliticos jugulavit &c. Nec ad horam primam ut ſentiunt alii Judæi, ſed omnium optimè convenire horæ nonæ vel noſtræ tertiæ. Agni autem Paſchalis immolatio mox ſeqvebatur oblationem ſacrificii veſpertini.

Obj. 1. AbenEſra locum Exod. 30. v. 8. Ubi ſcribitur Aaronem lucernam inter duas veſperas accendiſſe. Non autem, inqvit, neceſſe erat niſi in demerſione Solis candelas accendere.

Reſp. Lucernam fuiſſe neceſſariò accendendam demum in demerſione Solis, hoc eſt, cum jam actu digrederetur ſub terram, neqvaqvam probari poſſe. Ex Joſephi l. 3. ἀρχαιολογ. c. 9. conſtat, veſperâ appropinqvante (gegen Abend exſtat in German. verſio.) candelas illas fuiſſe accenſas. Aaron itaqve & Succeſſores ejus lampades accenderunt anteqvam Sol demergeretur ſub terram, atqve adeò hoc rectè dicitur factum בין הערבים inter duas veſperas. Veſpera namqve ſecunda demum Sole jam ſub terram digreſſo, incepit.

Obj. 2. Deut. c. 16. v. 6. aſſeri, Paſchalem agnum mactandum veſperâ juxta occidere Solem. Occaſus autem Solis non eſt inclinatio Solis ad latus occidentalis. Neqve enim hæc eſt propria occaſus acceptio. Qvoniam occaſus eſt contrarius progreſſioni Solis, juxta illud: Egreſſus eſt Sol ſuper terram & radii ipſius illuminant ſuper terram: & rurſus, occidit Sol & Splendor non videtur ſuper terram.

Reſp. Breviter. Phraſin כבוא השמש non poſſe accipi pro demerſione Solis ſub terram, probant noſtra allata fundamenta, id qvod nobis ſufficit, parum interim ſollcitis, ſive ſignificatio ſit propria, ſive minus propria.

Qværitur 2.

Qvando agnum Paschalem vi legis divinæ comedere debuerint?

Resp. Cornelius à Lapide dicit 15. die Nisan in Commentario in Exod. c. 12. & Lorinus in Levit. c. 23. v. 5. Et videtur legi divinæ maximè consonum. Nam 1. Exod. c. 12. v. 8. expressè legitur, qvod nocte (בלילה הזה) comedere debuerint. Ergò non 14. die. Nox enim ad diem seqventem 15. Nisan spectabat.

2. Decimus qvintus dies Nisan fuit primus azymorum, qvo initium vescendi azymis fecerunt & qvidem per septem dies usqve ad finem 21. diei.

Obj. 1. Comedere agnum Paschalem pòst Solis occasum est legem ignorare. Jos. Scalig.

Resp. Dicitur hoc, sed non probatur neqve probari solidè potest. *Regeritur:* Exod. 12. v. 18. disertè dicitur, die 14. בָּעֶרֶב in vesperà comedetis azima. Jam autem esus azymorum & agni Paschalis eodem temporis momento cæperunt.

R. Vel ב ante ערב vertendum post uti fit Exod. 2. v. 23. à Vulgato, Luthero & Interpretibus Belgicis, Pagnino (Tremellius & Junius aliter reddunt, sed interpunctationem violant) & Num. c. 28 v. 26. vel certè dicendum, initium esus hujus agni Paschalis Israelitas ex præscripto legis divinæ duxisse die 14. exeunte & 15. ineunte. Confer. Levit. c. 23. v. 32.

Reponitur: Exod. 12. v. 18. asseri, 7. dies panes azymos fuisse comedendos usqve ad 21. Nisan. Ergo cæperunt illi 7. dies 14. die Nisan.

Resp. עד hic usurpari inclusivè ut alias sæpissimè, atqve icircò sensum esse, initium esus azymorum fieri 15. die ineunte & desinere 21. exeunte.

ARTICULUS II.

De Festo Pentecostes.

Festum Pentecostes est qvinqvagesimus dies à secundo azymorum die, qvo primitias, panes scil. ex novis frugibus Deo offerre solebant. Dicitur festum hoc πεντηκοστὴ qvod 50. die à secundo azymorum celebraretur: Festum primitiarum, qvod primitiæ panum de novo agrorum proventu ex messe novâ offerrentur: Festum hebdomadum,

madum, qvod 7. hebdomades à secundo azymorum die usqve ad hanc solemnitatem numerandæ essent. Levit. c. 23. v. 15 usqve ad v. 22. Num. c. 28. v. 26. & seq. Deut. c. 16. v. 9. ad 13. Videatur Josephus l. 3. antiq. c. 10. Ubi hoc festum & qvomodo fuerit celebrandum luculentissimè describit.

ARTICULUS III.
De Festo Tubarum.

Festum Tubarum vel clangoris Tubarum incidit in neomeniam vel primum diem mensis septimi תשרי. De ejus cultu legitur Levit. c. 23. v. 24. 25. Alloqvere filios Israelis dicendo: Mense qvoqve septimo, primo de ejus mensis esto vobis שַׁבָּתוֹן זִכְרוֹן תְּרוּעָה cessatio, monumentum clangoris, convocatio sancta & Num. c. 29. v. 1. & seq. Mense verò septimo, die mensis primo convocatio sancta esto vobis, opus servile nullum facitote: dies clangoris esto vobis. Festum hoc institutum 1. qvidam putant in memoriam Isaaci liberati ab immolatione &c. Ita Rabb. Salom. 2 Alii in memoriam datæ legis ut Cajetanus, Fonseca, Theodoretus. 3. Nonnulli ajunt præparationem qvandam fuisse ad ventura festa ejusdem 7. mensis, nempe expiationis & & tabernaculorum. Vid. Lorinum in Lev. & Interp. Belg.

ARTICULUS IV.
De Festo expiationum.

Festum expiationum (Chippurim) celebratum fuit 10. die mensis septimi. Hoc ipso die à vesperâ diei 9. ad vesperam Levit. 23. v. 32. (hoc est, à die 9. exeunte & 10. ineunte ad vesperam ineuntis diei 11.) animas suas affligebant, hoc est jejunabant & se humiliabant, & ab operibus feriebantur: Sacerdos etiam summus solemniter lotus & vestibus sacris indutus primum oblato vitulo sua peccata expiabat; Dein ingressus sanctum sanctorum expiabat sanctuarium, tabernaculum, altare, Sacerdotes & universum populum. Levit. c. 23 v. 27. & seq. usqve ad 33 & c. 16. v. 2. & seq. usqve ad finem. Hoc eodem die per tubas indicebatur 50. annus dictus jubilæus. Levit. c. 25. v. 9.

ARTICULUS V.
De Festo tabernaculorum.

Festum tabernaculorum vel σκηνοπηγίας celebratum fuit 8. diebus à 15. die mensis septimi ad 22. inclusivè, qvibus habitarunt in tabernaculis extructis de frondibus arborum omnis generis, de frondi-

frondibus olivæ, myrti, palmarum, cedrorum, arborum nemorosarum, idq; in memoriam illius temporis, qvo Iſraelitæ in deſerto ſub tabernaculis vixerunt. Horum dierum primus & octavus fuere ſanctiſſimi, qvibus ab omni opere feriati convenerunt, Deoq; ſacrificia peculiaria obtulerunt. Levit. 23. v. 33. & ſeq. Num. c. 29. v. 12. & ſeq. Deut. c. 16. v. 13. 14. 15 Nehem 8. v. 1. & ſeq.

Ex qvinqve hactenus enarratis feſtis annuis tria imprimis fuere celeberrima videlicet: feſtum Paſchatis, Pentecoſtes & Tabernaculorum. In eis enim qvotannis omnibus maſculis, ex cunctis Judææ terminis, in conſpectu Domini Jehovæ, in loco, qvem elegerat, hoc eſt coram tentorio & ſanctuario conventus, (qvod tandem Hieroſolymum translatum fuit) comparendum fuit non absqve muneribus. Exod. c. 23. v. 14. ad 18. & c. 34. v. 23. Deut. c. 16. v. 16.

ARTICULUS VI.

De feſtis humanitus introductis.

Erant prætereà & alia feſta à Judæis citra Dei mandatum inſtituta utpote

1. Jejunium Tamutz, qvod incidit in diem 17. menſis qvarti qvo urbs à Pompejo capta &c. Joſeph. l. 14. antiq. c. 8. & l. 1. bell. c. 5.

2. Jejunium menſis 5. qvo Templum & Urbs à Nebucadnezare exuſta. Zach. c. 7. v. 3.

3. Jejunium Gedoliæ, qvod obſervarunt 7. menſe. Zach. 7. v. 5.

4. Encænia à Maccabæo inſtituta & celebrari ſolita die 24. menſis 9. dicti Casleu 1. Maccab. c. 4. v. 56 ad verſ. 60. Joh. c. 10. v 22.

5. Dies Purim vid. 14. & 15. Adar à Regina Eſther & Mardochæo ordinata. Eſth. c. 9. v. 20. & ſeq.

6. Feſtivitas Adar ob cæſum Nicanorem die 13. Adar Joſeph. l. antiq. 12. c. 17. Et qvæ ſunt alia feſta qvæ paucis annis obſervata & paulatim oblivioni tradita fuerunt.

SECTIO V.

De Sabb. & Jubil. & Myſticis.

HActenus de anno Judæorum in genere actum eſt, jam erit agendum in ſpecie de annis Sabbaticis & Jubilæis &c. Sit itaqve

MEM-

MEMBRUM I,
De Sabbaticis.

ANnusSabbaticus est septimus qvisqve annus, qvo post sex γεωργίας annos, agri & vineæ inculti relinqvebantur, hoc est, neqve sementem faciebant neqve metebant, neqve vineas putabant, neqve uvas colligebant: qvicqvid nascebatur, omnibus erat commune & indifferenter à qvibusvis, colligebatur. Exod. 23. v. 10. & Levit. 25. v. 3. & seq. Servi etiam indigenæ manu mittebantur Exod. 21. v. 2. & seq. Deut. c. 15. v. 12. & debita remittebantur Deut. 15. v. 2. & seq.

Vocatur hic annus שַׁבָּת vel שַׁבַּת שַׁבָּתוֹן vel שְׁנַת שַׁבָּת annus Sabbati Levit. 25 v. 4. 5. 6. 8. Ut enim qvælibet septima feria vel septimanæ seu hebdomadis septimus dies ex divinâ ordinatione fuit & est Sabbatum & dies qvietis Gen. 2. v. 2. 3. Exod. 32. v. 10. Levit. 25. v. 2. & seq. Ita etiam septimus qvisqve annus fuit Sabbatum & annus qvietis. Undè & Sabbaticus vel Sabbatarius appellatur. Dicitur etiam שְׁמִטָּה Schmitah, (à שָׁמַט intermisit: dimisit) hoc est intermissio, qvòd eo omne agricolationis opus intermitteretur, ut ait Buxtorf. in Lexico, vel dimissio, qvod servi & debita dimitterentur. Deut. 15. v. 1.

Noteturhic, ut vox שַׁבָּת vel σαββάτε significat 1. septimum hebdomadis diem Gen. 2. v. 2. & 13. Luc. 14. v. 5. Joh. 5. v. 10. & passim. Totam septimanam vel 7. dierum complexum. Levit. 23. v. 15. ubi שַׁבָּתוֹת pro qvo Deut. c. 16. v. 9. occurrit שָׁבֻעַ Luc. 18. v. 12. etiam cum שַׁבָּת ad annos transfertur, bifariam in sacris usurpatur, vel enim 1. Notat septimum illum annum Sabbaticum dictum, Lev. 25. v. 4. & seq. 2. Totam hebdomadem annalem, ut Levit. 25. 8. Numerabis tibi 7. Sabbata annorum &c. Eodem modo accipitur vox שְׁמִטָּה. 1. Significat septimum annum, & id qvidem in S. & apud Rabbinos & alios Scriptores Theolog. & Chronologos. Sumitur pro integris septem annis, id est totius hebdomadis annalis complexu; sed non nisi apud Rabbinos & alios.

Quaeritur hic de annorum Sabbaticorum Epocha, unde nimirum dependeant vel inchoandi sint?

Non concernit συζήτησις hæc cujusvis anni sabbatici initium,

quo nimirum anni tempore exordium sumant. Extrra controversiam enim est Sabbaticos ut & Jubilæos ab his dependentes, in autumno mense septimo dicto תִּשְׁרִי incipere.

Sed qværitur qvo mundi tempore primus annus sabbaticus sit celebratis? Quidā supputationem sabbaticorum ordiuntur a primo Israelitarum in canaam ingressu: alij à primâ & vinearum culturâ Et horum sententia est verior, statuminaturq; inde, quod non nisi post κληρουχίαι vel occupatæ terræ divisionem quiverant agros serere & vineas putare. Nec enim Israelitis licebat pro lubitu terræ partem sibi occupare & colere; sed quæ sorte cuivis tribui &c. in possessionem venerat & quorum incolas cananæos trucidarant aut expulerant.

Objiciunt contra sentientes c. 25. v. 2. Levit: Cum veneritis in terram quam ego daturus sum vobis, sabbatizabit, terra sabbatum Domino. Ergo inquiunt, statim ab ingressu est annus sabbaticus. R. Verba hæc Mosaica non posse ita simpliciter & illimitatè ut sonant accipi, patet non tantum ex nostrâ ante positâ ratione, sed & ex ipso textu objecto. Sequeretur enim primum mox ab ingressu annum esse sabbaticum & non demum septimum. Dicit enim, cum veneritis in terram, sabbatizabit &c Limitanda ergo & restringenda sunt hoc modo: Cum veneritis in terram, eamq; sorte distributam hæreditario jure possidentes sex annos colueritis, tum septimo anno qviescet terra, isq; septimus annus erit sabbaticus. Sabbatici hi indubius sunt character, ex quo præcipua temporum intervalla in sacra S. consignata definiri & dijudicari possunt. Hi enim anni inquit Calvis: pag. 115. cum stato tempore in historia sacra recurrant, multum faciunt ad annos mundi rectè ordinandos & inter se conferendos. Necesse est enim, ut spatia rerum gestarum in annis sabbaticis inclusa, semper septinario numero mensurari possint. Ideò tanqvam statuæ mercuriales fere habentur à chronologis, ad qvas respiciant & quibus in viam, si aberraverint, revocentur. Et paulò post: Cæterum quod Jeremias & alij Prophetæ conqueruntur, annos sabbaticos non actos esse, non hoc volunt, qvod omninò observati non sint, sed puod solennitate eâ, qvâ debebantur, non celebrarentur: quod servi quemadmodum lex requirebat, non manu mitterentur & alia pietatis & liberalitatis officia omitterentur, ut videre est, Jer. c. 34.

MEM-

MEMBRUM II.
De Jubilæis.

ANNus Jubilæus eſt 50. annus à primo quoq; ſeptem ſabbatorum annalium anno, quo terra quieſcebat, qui libet Iſraelita ad avi-
im libertatem poſſeſſionem & hæreditatem ſuam revertebatur: quem
iam propterea clangore tubæ per univerſam terram Judaicam 10. die
enſis ſeptimi, ipſo menſis expiationis intimari oportebat, Levit. c.
. v. 8. & ſeq.

Quæritur hic quisnam vel qvotus annus ſit Jubilæus? ſententia-
im & hic ſunt divortia.

I. Joſephus Scaliger, Calviſius Alſtedius, Petavius & plurimi
ij ſeptimum quemvis ſabbaticum, hoc eſt quadrageſimum nonum
nnum Jubilæum aſſerunt.

II. Alij vero non 49. ſed 50. dicunt Jubilæum. Et hi iterum
eunt in diverſas ſententias.

1. Quidam quos inter ex Judæis Rabb. Majemon referente Vorſtio
obſervatione ad Chronl. Gantz. p. 213. ex noſtris. Abraham Bueholze-
s & Crens heimius 50. hunc annum inter finem ſeptimi ſabbatici &
itium ſequentis primi ſabbatici ponunt.

2. Poſſet qvis in eam devenire ſententiam, ut relictis ſabbatis in ſuo
vinitus inſtituto ordine Jubilæum primum figeret in anno primi
bbatici ſequentis, ſecundum verò Jubilæum in ſecundo primi ſab-
tici, tertium in tertio ut ita temporis progreſſu Jubilæus omnes heb-
madis annalis annos percurrat. Et hanc ſententiam poſtmodum
di viro cuidam clariſſimo placere.

3. Wilhelmus Langius vir & ingenio & doctrinâ inſignis à primâ
ſt κληρυχίαν agriculturâ numerat 7. hebdomades annales ſive 49.
nos, ſequentem verò annum ſtatuit primum Jubilæum; Porro
em Jubilæus ipſi eſt primus annus ſequentis ſeptimanæ annalis, à
o rurſum ſeptem hebdomades annorum ſive 49. anni numerantur,
50. à primo anno primi ſabbati, 99. ſcil annus exiſtit Jubilæus. Ego
nnibus probè ponderatis, ultimæ huic ſententiæ aſſenſum præ-
o. Quippe ea omnium optimè cum lege divinâ mihi videtur
nvenire, verba divina legis ita habent. Cum veneritis in terram,
am ego do vobis, terra quieſcet Sabbatum Domino. Sex annis a-

grum conſeres & ſex annis vineam coles & proventum ejus colliges; ſeptimo autem anno ſabbatum quietis terræ erit, quod eſt Sabbatum Domino: agrum tuum non conſores &c. Numerabis etiam ſeptem hebdomades annorum, ſine ſepties ſeptenos annos: Ita ut dies 7. hebdomadum annalium faciant 49. annos. Et menſe ſeptimo, decimo die menſis, clanges tuba: Die expiationis clanges tuba per univerſam regionem tuam; Et celebrabis annum 50. & indices libertatem omnibus habitatoribus terræ. Ille erit annus Jubilæus: Et revertetur unusqvisq; veſtrum ad poſſeſſionem ſuam, & ad hæreditatem ſuam. Qvinqvageſimus annus erit vobis annns Jubilæns Lent. 25. v. 2. ſeq. Colligitur hinc. 1. Jubilæum â ſabbaticis dependiſſe, ita ut qvinqvageſimus â primo anno ſeptem hebdomadum annalium fuerit numeratus, eumq; 7. integra annorum ſabbata, hoc eſt 49. anni antegreſſi ſint, nec unqvam cum 49. anno coaluerit ut volunt Scaligeriani, Dicit enim lex: primo numerandos eſſe 7. annos; dein ſepties ſeptem hoc eſt 49. & tunc 50. nimirum immediate ſubſeqventem eſſe Jobilæum.

2. Ut primus Jobelæus ſibi 7. ſabbata præmiſit nec niſi â primo primi ſabbati anno vi legis divinæ numeratus fuit; ita etiam reliqvos Jubilæos eodem modo ſe habuiſſe, hoc eſt ſupputatos fuiſſe â primo anno ſabbati primiqv; antegredientem ſeptimum ſabbaticum immediatè ſemper fuit inſecutus. Ita & non aliter hanc legem priſci Iſraelitæ intellexerunt, & πράξει expreſſerunt ut inter alia patet ex. 2. Reg. 19. v. 29. collato cum Jerem. c. 34. v. 8. 9. 10. Errant igitur Bucholtzerus, Crentzheimus & ejus aſſeclæ. Cum enim hi inter ultimum vel ſeptimũ annum ſabbati primi & primum annum ſabbati ſeqventis, Jubilæum interponunt, ordinem & ſeriem hebdomadum annalium turbant & interrumpunt, ut in ſeptinario deſinere, qvod tamen debebant, non poſſint.

3. Ex iisdem legis verbis liqvet, ſeptimum ſabbaticum debere eſſe 49. annum, cui ἐμμέσως citra unius vel plurium annorum interventum, ſeqvatur Jubilæus ceu annus qvinqvageſimus. Peccat contra opinio tertia. Raro namq; in ea ultimus ſive ſeptimus ſabbaticus eſt 49. Raroq; eum ſeptimum ſabbaticum immediatè ſeqvitur Jubilæus. Cum enim ibi Jubilæus omnes ſabbati annos progreſſu temporis pervage-

ragetur, intercedunt inter ſeptimum ſabbaticum & Jubilæum modo unus, modo duo, tres, qvatuor, &c. anni, qvi ad numeri qvadrageſimi noni ſpectant complementum. Concludo igitur hujus qvæſtionis θέσιν ejusq; ἀπόδειξιν hoc ſyllogiſmo: In qvacunq; ſententiâ Jubilæus, ſalvo & non interrupto ſabbaticorum ordine, incidit in qvinqvagiſimum annum â primo primi ſabbati anno, ſemperq; immediatè ſeqvitur ſeptimum ſabbaticum, qvi in ordine qvadrageſimus nonus eſt, illa ſola cum divinâ lege exactiſſimè convenit adeoq; eſt optima. At in qvarta & ultimâ ſententia ita ſe res habet, &c. Ergo ea cum divinâ lege exactiſſimè convenit optimaq; eſt & conſeqventer tres reliqvæ â vero aberrant.

Excipit Calviſius in Iſag. p. 114. Eſſe ambiguitatem in phraſi, qvæ exclusivè annum 50. annumeret, illi inclusivè intelligunt, phraſes enim de temporum terminis in omnibus lingvis ita uſurpantur, ut antecedens terminus cum ſeqventi termino ſimul comprehendatur. Sic hebdomadem uſitatè vocamus octiduum. Sic olympiadem, qvæ tantum qvatuor annos ſolidos continet, tamen autores Latini & Græci qvinqvennium vocant &c. Ex phraſi igitur illâ, qva 50. anno Jubilæus annus celebrari jubetur evinci non poteſt, ut jubilæus qvisq; ſolidos 50. annos complectatur, cum phraſi illâ uſitatè prior terminus, ſive antecedens Jubilæus ſimul includatur.

R. 1. Phraſes de temporum terminis ita uſurpari, ut antecedens terminus cum ſeqvente ſimul comprehendatur, univerſale non eſt. Qvandoq; hoc fit, & quidem ut plurimum â vulgo vel etiam â Poetis, qui non ſemper ἀκριβῶς & exqviſitè ſed ſæpe ἀκύρως & populariter loqvuntur.

R. 2. Si ultimus annus 49. annorum, qvorum apud Moſen proximè mentio erat injecta, eſſet 50. ille annus adeoq; Jubilæus ut vult Calviſ: cur non potius Moſes ita ſtylum in formaſſet & dixiſſet? ut ſanctifices annum hunc 49. vel ſeptimum ſabbaticum. Cum igitur hoc non fecerit, ſed dixerit ſanctificabis annum 50. v. 10. qvod & v. emphaticè repetit: Jubilæus ſic annus qvinqvageſimus erit vobis; adeoq; Jubilæus non erit ultimus vel ſeptimus ſabbaticus & 49. annus. Planè in textu hoc vel alibi etiam in divinis literis nil qvicqvam apparet, qvod Dn. Calviſio faveat & nobis adverſetur.

R. 3. Hic 50. annum ita determinari ut non exinclusione anni Jubilæi septem sabbata annorum antegredientis proveniat, sed qvod 7. illa sabbata, hoc est 49. annos subseqvatur. Nam 1. Postquam Moses dixerat, septem sabbaticos, hoc est 49. annos esse numerandos, statim subjungit: Tunc, vel ut belgici Interpretes: Darnach auch: da sollst (licet in fonte saltem ו occurrat, cohærentia tamen textus sensum ab hisce Interpretibus rectè expressum fuisse evincit) facies ut ubiq; personet clangor tubæ mense 7. die 10. &c. Anno igitur ultimum sabbaticum vel 7. Schmita subseqvente, annus Jubilæus publicè intimabatur & celebrari incipiebat.

2. Primus Jubilæus sibi alium non præmisit. Ille igitur saltem erit 49. annorum, nec ob inclusum primum Jubilæum, qvi nullus est 50. dici potest. At hoc est contra Mosen. Is enim primum de mandato Dei annum Jubilæum instituens, mox 50. non vero 49. annum sanctificandum edicit v. 10. eumq; Jubilæum esse asseverat. v. 11. 12. 13.

3. Idem elucescit ex Festo hebdomadum vel Pentecostes, Deut. 16. v. 9. Ita Moses dicit: septem septimanas numerabis tibi; ex qvo cœperit falx esse in segete, incipies numerare 7. septimanas v. 10. Tum facies (celebrabis) festum 7. septimanarum Jehovæ Deo tuo. In fonte etiam saltem est ו וְעָשִׂיתָ & facies. Ex cohærentia tamen textus & aliis S.S. locis, ut potè Num. 28. v. 26. & Levit. 23. v. 15. & 16. probatur, rectissimè ו illud hic verti, tum, ut Tremel. & Jun. vel Darnach ut Belgici Interp. reddiderunt. Ut igitur festum hebdomadum erat 50. dies & πεντηκοστὴ dicebatur, qvod 7. septimanas, hoc est, 49. dies elapsos immediate seqvetetur: Ita & hic Jubilæus qvinqvagesimus annus & erat & dicebatur, qvod 7. sabbata annorum vel 49. annos integrè completos inseqveretur. Roborat hanc ἀναλογίαν 1. eadem, qvæ utrobiq; occurrit, loqvendi ratio. 2. Idem vocum positus. 3. Adversantium, inter qvos est Petavius, hypothesis, qvi hanc proportionem & annalogiam urgent, qvam tamen male & contra mentem spiritus S. informant, & explicant.

Obiicit Calvis. p. 115. 1. Annus sabbaticus erat qvo terra qviescebat &c. Levit. 25. v. 2 & 4. Annus Jubilæus eodem modo definitur, qvod in eo terra qviescere debebat &c. Levit c. 25. v. 11. Ergo Jubilæus est simul sabbaticus. R. Qvicqvid erat in sabbatico, etiam

erat

erat in Jubilæo. At non contra. Nam plura in Jubilæo, qvam in Sabbatico anno fieri debebant. 2. concedimus totum annum scil. Jubilæum simul fuisse sabbaticum, At qvid inde contra nos?

Insta. 1. Si Jubilæus fuit sabbaticus utiq; duo sabbatici, qvibus agricultura non fuit exercita, continuati fuerunt. R. etiam hoc largimur absq; ullo nostræ sententiæ in commodo.

Insta 2. In scripturis autem id est in solitum, in qvibus ejus rei nullum est vestigium vel exemplum, R. 1. Etiam si Exemplum in SS. expressè annotatum non occurreret sufficeret tamen Lex divina qvinqvagesimum annum Jubilæum constituens. 2. Negamus id in scripturis esse insolitum. Deprehenditur enim clarum vestigium & exemplum hujus rei in Esaia c. 37. v. 30. ut suo tempore ostendetur.

Inst. 3. UNDE triennij spatio absq; collectione frugum vitam tolerare potuissent? R. 1. Partim ex præcedentis anni largiore Dei benedictione. Ita enim ipse ait Jehova, Levit. 25. v. 21. amandabo benedictionem meam vobis anno sexto, ut faciat proventum in ternos annos: Partim etiam ex spontè natis in sabbato & Jubilæo, Levit. 25. v. 5. R. 2. Inspiciutur 2. Reg. cap. 19. v. 29. & Esai. 37. v. 30. Ibi enim Propheta Esaias ita alloqvitur Chitz Kiam: illud esto tibi hujus rei signum comedere vos hoc anno sponte natum (in Germanica qvidem est, was zu treten ist. Ast in textu origenario est סָפִיחַ qvod significat ex granis in messe exciduis sine hominum labore sponte natum vel crescens Levit. 25. v. 5. & 11.) & altero anno sponte renatum (סָחִישׁ) anno demum tertio serite & metite, &c. vides hic biennij spatio agriculturam cessasse. Unde igitur hoc triennij tempore absq; collectione frugum vitam tolerare poterant, cur non & indidem alio tempore in concursu ejusmodi sabbatici & Jubilæi idem fieri posset?

Obi: 2. Pugnaret cum expresse Dei mandato, qvod jubebat anno 8. sive eo anno, qvi sabbaticum seqvebatur in agro sementem fieri, fruges tempore messis & uvas in vindemiis colligi Levit. 25. v. 22. R. Mandatum hoc de exercenda agricultura, &c. anno 8. vel sabbaticum seqvente obtinebat tunc, cum in eum annum non incideret Jubilæus. Alias valebat illud vulgatum. Lex posterior derogat priori, specialis generaliori.

Obi 3. Idem probari ex v. 20. sæpius ex Levit. laudati capitis: Qvid

Qvid edemus anno ſeptimo, cum alias dicendum fuiſſet, qvid edemus anno octavo. R. Cum Jubilæus annus rarò & non niſi 50. anno veniret, ſabbaticus autem qvovis ſeptimo anno recurreret, de hoc eos potisſimum ſollicitos videns futuros ideo Jehovah περιλεπτικῶς qvæſtionem Iſraelitarum de ſabbatico vel ſeptimo anno profert: cui tamen ejusmodi dat reſponſum, qvod non ſpectat ad ſolum ſabbaticum ânnum, ſed etiam ad eum qvi ſeqvebatur hoc eſt ad jubilæum. Diſertè enim dicitur, ſextum annum facturum proventum in ternos annos v. 21.

Obj: 4. Calendarium Judaicum Conſtantini Magni tempore â Rabbi Adda & aliis omnium artificioſiſſimè conſtructum. In hoc inqvit, Calendario hunc canonem condiderunt: Abjice omnia ſeptinaria ab æra mundi reſiduum eſt annus ſemitæ in qvo es, hoc eſt, reſiduum oſtendet, qvotus annus agatur á proximo celebrato ſabbatico. R. Hunc canonem non eſſe contra nos, ſed contra Bucholtzerum & qvi eum ſeqvuntur.

Inſt. 1. Eosdem Judæos ſtatuere annos Jubilæos unâ cum ſabbatario ſeptimo, hoc eſt 49. anno fuiſſe celebratos. R. Eſt autoritas humana, cui lex divina multum præponderat.

Inſt. 2. Si qvis negare velit, Judæos veros annos ſabbaticos & Jubilæos habere & obſervare, neget idem etiam Judæos verum diem Sabbati qvo à laboribus ſeptimo qvoq; die feriatur, habere & obſervare. Utrumq; enim Deus per Judæos mundo & Eccleſiæ ſuæ revelavit. R. Utrumq; Deum Eccleſiæ ſuæ revelaſſe non per Judæos vel modernos, vel Conſtantini M. tempore viventes, ſed per ſuos prophetas in ipſis S. Sacris. 2. De ſabbaticis non quæritur, ſed de Jubilæis, non in illis, ſed in his ipſos errare aſſerimus. 3. Negamus conſequentiam eſſe in hoc diſcurſu. Si veros annos Jubilæos Judæi non habent vel obſervant, etiam verum ſabbati diem non habere eos vel obſervare. Non enim ſi in uno errent, mox etiam in aliis errare eſt neceſſarium. 4. Judæos non rarò â lege divinâ receſſiſſe ſuaq; placita obſervanda tradidiſſe negari neqvit. Abunde id evincit authoritas noſtri Salvatoris, expreſſe aſſeverantis eos Dei mandata ſuas ob traditiones fuiſſe transgreſſos, Matth. 15. v. 3. & ſeq.

Ut eò melius qvæ de annis ſabbaticis & Jubilæis, dicta ſunt intelli-

telligantur, tabulam & in eâ qvasi ὑπὸ μίαν σύνοψιν omnium hac de re, opinionum modum & ordinem subjiciam.

Anni M.	Scaliger.	Buchotzer.	Tertia op.	Vera.
2555	1	1	1	1
56	2	2	2	2
57	3	3	3	3
58	4	4	4	4
59	5	5	5	5
5560	6	6	6	6
61	7	7	7	7
62	1	1	1	1
63	2	2	2	2
64	3	3	3	3
565	4	4	4	4.
2566	5	5	5	5
567	6	6	6	6
68	7	7	7	7
69	1	1	1	1
2570	2	2	2	2
71	3	3	3	3
72	4	4	4	4
73	5	5	5	5
74	6	6	6	6
75	7	7	7	7
76	1	1	1	1
77	2	2	2	2
78	3	3	3	3
79	4	4	4	4
2580	5	5	5	5
81	6	6	6	6
82	7	7	7	7
83	1	1	1	1
84	2	2	2	2
85	3	3	3	3
86	4	4	4	4

Anni M.	Scaliger	Bucholtz.	Opin. 3.	Sent. vera
87	5	5	5	5
88	6	6	6	6
89	7	7	7	7
2590	1	1	1	1
91	2	2	2	2
92	3	3	3	3
93	4	4	4	4
94	5	5	5	5
95	6	6	6	6
96	7	7	7	7
97	1	1	1	1
2598	2	2	2	2
99	3	3	3	3
2600	4	4	4	4
601	5	5	5	5
602	6	6	6	6
603	7 Job. 1.	7	7	7
604	1	Jobel 1.	1 Job.	1 Jub.
5	2	1	2	2
6	3	2	3	3
7	4	3	4	4
8	5	4	5	5
9	6	5	6	6
2610	7	6	7	7
11	1	7	1	1
12	2	1	2	2
13	3	2	3	3
14	4	3	4	4
15	5	4	5	5
16	6	5	6	6
17	7	6	7	7
18	1	7	1	1
19	2	1	2	2
2620	3	2	3	3
21	4	3	4	4

Anni M.	Scaligeri	Bucolzer	Opin. tert.	vera.
22	5	4	5	5
23	6	5	6	6
24	7	6	7	7
25	1	7	1	1
26	2	1	2	2
27	3	2	3	3
28	4	3	4	4
29	5	4	5	5
2630	6	5	6	6
31	7	6	7	7
32	1	7	1	1
33	2	1	2	2
34	3	2	3	3
35	4	3	4	4
2736	5	4	5	5
37	6	5	6	6
38	7	6	7	7
39	1	7	1	1
2640	2	1	2	2
41	3	2	3	3
42	4	3	4	4
43	5	4	5	5
44	6	5	6	6
45	7	6	7	7
46	1	7	1	1
47	2	1	2	2
49	3	2	3	3
39	4	3	4	4
2650	5	4	5	5
51	6	5	6	6
52	7 Jub. 1.	6	7	7
53	1	7	1	1 Job. 2.
54	2	Jobilæ. 2.	2 Job. 2.	2
55	3	1	3	3
56	4	2	4	4

Anni

Anni M.	Scalig.	Bucholz.	Opin. 3.	Sent. vera
57	5	3	5	5
58	6	4	6	6
59	7	5	7	7
2560	1	6	1	1
61	2	7	2	2
62	3	1	3	3
63	4	2	4	4
64	5	3	5	5
65	6	4	6	6
66	7	5	7	7
67	1	6	1	1
68	2	7	2	2
69	3	1	3	3

& ſic conſeqventur.

MEMBRUM III.
Annis Myſticis.

VIr qvidam præclarus & eruditiſſimus, ante annos aliqvot novam ſupputandorum temporum rationem invenit & ad ejus diligentius examen, qvosvis Chronologiæ peritos publicè, non ſolum in clavi ſacrorum temporum, & in Sole temporis, ſed & in vindiciis invitat. Placet igitur & mihi veritatis amore, cui me unicè addictum profiteor, pro talentulo mihi divinitus conceſſo, in annos illos myſticos inqvirere: Sit itaq;.

Qvæſtio 1.
An dentur anni myſtici prout ille eos deſcribit?

Negativam amplector his motus rationibus. 1. Qvia S. Scriptura ejusmodi annos ignorat. Aſſignat enim Cl. vir anno ſuo myſtico uti appellat 343. dies 7. Menſes, & horum cuilibet 49. dies. De hiſce autem omnibus in S. literis altum eſt ſilentium. Nec enim in iis habentur ſive κατὰ ῥητὸν & αὐτολεξεὶ ſive κατὰ διάνοιαν.

Ob: 1. In Sabbàticis & Jubilæis annorum myſticorum veſtigia occurrere. Eos enim myſticorum annorum formam habere & 343. diebus conſtare; R. Annos Sabbaticos & Jubilæos formam myſticorum

rum annorum habere, hoc eſt tantum 343. diebus conſtare non concedimus, aſſerimusq; tot eos habuiſſe dies & menſes, qvot anni illi vulgares, qvorum in ſacro codice tam creber eſt uſus, & qvibus ſacræ hiſtoriæ annectuntur. Sed de eo, qvæſtione ſeqventi, cum in eo cardo rei hujus controverſæ vertatur.

Obj. 2. Admiranda harmonia, qvâ & alij inſigniores eventus, potiſſimum verò ſeptuaginta hebdomades Danielis non repugnante etiam vulgatâ Chronologiâ cum ſeptenariis in annis myſticis, etiam in diebus conſpirant. Qvam conſpirationem, non qvæſitam, ſed ſpontè oblatam nemo niſi ἀγεωμέτρητος fortuitam dicere poterit.

R. 1. Etiam in aliorum Chronologiis hoc accidit, ut eventus maximè memorabiles in annos Sabbaticos vel illis proximos incidant. Hinc igitur argumentum evidenter & certò demonſtrans minimè extrui poteſt.

R. 2 Ipſe autor annorum myſtriorum refert pag. 35. in vindiciis, ſe ſollicitè circumſpexiſſe, ſicubi aliqvem Sabbaticum vel Jubilæum in SS. deſignatum deprehendere poſſet, cui qvaſi ſchalam ſuorum annorum annecteret, ſuper qva & ad hæc noſtra tempora adſcendere, & usq; ad principium mundi deſcendere liceret. Didiciſſe autem ex Dn. Meſtlino annum primi excidij Hieroſolymitani non tantum fuisſe Sabbaticum, ut Scaliger cenſuit, ſed etiam Jubilæum. Et hinc ſibi Solem chronologicum exortum, ac harmoniâ tali reliqva omnia conſentire ut certus ſit omnes qvi animum adverterint calculi hujus veritatē agnituros &c. Innititur igitur qvantum hinc intelligitur harmonia illa anno excidij Hieroſolymitani non tantum ſabbatico ſed & Jubilæo. Qvod ſi igitur demonſtratum fuerit, annum hunc Jubilæum non fuiſſe, conſeqvitur hinc harmoniam illam eximiam morbido niti fundamento, ac conſeqventer & ſecundum hanc annorum myſticorum probationem vacillare ne dicam ruere. Hoc autem ut eo melius appareat, poſt de anno illo. qvæſtionem peculiarem formabo, & ad probationes, qvas adfert Dn. Meſtlinus, & ex ipſo repetit Dn. Hainlinus, reſpondebo.

R. 3. De 70. Hebdomadibus qvod adjicitur adeo expeditum, & extra omnem dubitationis aleam poſitum non eſt. Præſupponitur enim (1) 70. hebdomades initium ſumere in anno Darij Nothi. Ill. Scaliger, Calviſ. & multi alij ita qvidem ſtatuunt verum non pauciores iis

contradicunt, qvibus & ego adstipulor (2) Supponitur intervallum 70. hebdomadum secundum, hoc est 62. illas septimanas finiri tempore passionis Christi. Funciani ita qvidem sentiunt. Sed Scaligero, Calvisio aliisq; adversantibus, de qvibus, & qvæ horsum fortasseâ spectant, dictum est prolixè in part. 2. l 1. sect. 7. Fundatur igitur harmonia admiranda multorum errorum farragine, qvi si tollantur, ut omnino debent, & ubivis suo loco factum est, hamonia illa multum de sua amittit excellentiâ.

Obj. 3. Vaticiniorum non nullorum qvæ extra S. scripturam de temporibus Messiæ apud Hebræos leguntur præcisa impletio: qvæ qvidem. si de annis vulgaribus ac civilibus exponantur falsa: at in mysticis annis verissima deprehenduntur. R. Negamus Consequentiam. Prophetæ enim illi, cum â spiritu S. acti non locuti sint, ut Petrus de veris Prophetis ait 2. Epist. c. 1. v. 21. ab errore immunes non fuere. Ideoq; si eorum jactata vaticinia falsa deprehendantur, hoc non adeo mirum.

Qvæstio 2.

An anni Sabbatici & Jubilæi habuerint formam mysticam atq, præcise 343. dies?

Affirmat id Cl. vir in vindiciis p. 33. Ego vero in negativam descendo eamq; ita firmo. 1. Qvia Deus Jubilæis & sabbaticis fixum principium in die 10. תִּשְׁרִי vel mensis 7. constituit. Levit. c. 25. v. 9. Ergo neqveunt esse mystici. Ratio conseqventiæ est. Qvia annorum mysticorum initium vagatur progressu temporis per diversa anni tempora imo per omnes totius anni menses & dies.

Excipit: illum locum Levit. 25 v. 9. & 10. nec de principio nec de fine anni Sabbatici & Jubilæi qviqvam agere, sed hoc tantum jubere ut die 10. mensis septimi in festo scil. expiationis in maximâ populi Israelitici freqventia, annus Sabbaticus vel Jubilæus sanctificaretur, hoc est promulgaretur, & qvo die incipiendus aut finiendus sit; qvod promiscuæ plebi in cognitum fuit, publicè denunciaretur. Nam vox קָדַשׁ sanctificare etiam denunciare & promulgare significat, qvæ denuntiatio fieri potuit, etsi ipse annus Sabbaticus vel Jubilæus aliqvot mensibus post initium sumsisset. Necessitatem hujus expositionis satis evidenter docet ipsorum annorum mysticorum certitudo, qvæ tribus fundamentis innitur p. 85. in vindic: R. 1. Vo-

R. 1. vocem קַדֵּשׁ illam ſignificationem in SS. non ſemel habere, ut non nego, ita & hic eandem obtinere, largiri non poſſum. Diſſentiendi rationes ſunt hæ: (1) Deut. c. 31. v. 10. Deut jubet ut divina lex publicè in Panegyri totius Iſraelis prælegatur & qvidem במועד שנת השמיטה בחג הסכות inſtato tempore anni intermiſſionis vel Sabbatici, in feſto tabernaculorum. Jam autem notum eſt ex Levit. c. 23. v. 34. feſtum tabernaculorum celebrari cæpiſſe 15. die תִּשְׁרִי vel menſis 7. Qvare 15. die תִּשְׁרִי jam tum fluxit vel fluere cœpit שנת השמיטה annus Sabbaticus. Verum igitur eſſe neqvit inter Sabbaticorum (& jubilæorum. Idem enim initium & finem agnoſcunt) promulgationem, & inceptionem integrum menſem nedum plures intercedere potuiſſe: (2) Hac ratione annorum Sabbaticorum & Jubilæorum denunciatio & promulgatio eſſet ad certum menſem & diem alligata, ipſum autem præfatorum annorum principium vagatum fuiſſet per ſingulos menſes & dies, & qvandoq; initium cæpiſſent anni hi uno vel altero menſe ante 10. diem תִּשְׁרִי vel 7. menſis atq; adeo denunciati fuiſſent ad huc ut futuri cum tamen dudum cæpiſſent. Hoc autem annon vero eſt abſimile, ne dicam abſurdum?

R. 2. Qvod vir doctiſſimus opinatur in vindiciis p. 85. expoſitionis hujus qva קַדֵּשׁ ad promulgationem & denuntiationem reſtringitur, neceſſitatem evincere ipſorum myſticorum annorum certitudinem, qvæ tribus fundamentis innititur, in eo aliqvid humani patitur. Fundamenta enim illa admodum infirma ſunt, & tanto oneri ſuſtinendo imparia, ut & ante partim, & paulò ad oculum oſtendetur.

Qvia II. anni 6. *γεωργιάς* ſunt vulgares non autem myſtici. Ergo & 7. qvi dicitur Sabbaticus & eſt vulgaris & non myſticus. Probatur 1. Antecedens. Qvia illi agriculturæ fuerunt deſtinati, qvæ qvotannis ſtato tempore exercenda erat. Ut enim meſſis non fiebat, nec fieri poterat in hyeme vel autumno, ſed in vere, vindemia autem non in vere ſed in autumno; ita & reliqvi *γεωργιάς* labores per diverſa anni tempora non poterant eſſe vagi, ſed peculiare ſtatumq; tempus reqvirebant, atq; idcirco myſticam annornm naturam habere non qvibant Probatur 2. Conſeqventia. 1. Qvia Sabbaticici & 6. intermedij æqviparantur. Reſpicitur enin in omnibus ad agriculturæ la-

ræ labores in Sabbaticis qvidem ut ab iis desisterent, in reliqvis vero ut iis incumberent. 2 ut dies septimanæ paris sunt amplitudinis & dies septimus æq; 24. constat horis atq; reliqvi dies. Ita & res se habet in annali hebdomade, qvot dierum & horarum est sabbaticus, tot & sunt 6 anni culturæ agri deputati & retrò.

Qvia III. anni Sabbatici in sacrâ Scripturâ, & Josepho Historico designati cum annis mysticis non conveniur. Ergo nec anni Sabbatici habent naturam mysticorum annorum: Probatur antecedens. Annus 13. Hiskiæ, qvi est mundi conditi 3298. egressus vero ex Ægypto 781. est Sabbaticus ratione initij. Porrò annus mundi 3415. egressus 907. etiam est Sabbaticus, vel in eo cœpit Sabbaticus. Aufer numerum minorem â majori, & residui sunt anni 126. divide hos per 7. & nihil remanêre deprehendes. Qvod si autem anni illi 126. vulgares redigantur in mysticos, apparebit non desinere in septenario. Faciunt enim hi 126. anni dies 46021½. Dividantur per 343. & habebis mysticos annos 134. dies 59½. Hos si diviseris per 7. videbis relinqvi annum 1. & dies 59½. Sic Joseph refert. l. 12. antiq. c. 14 confer 1. Maccab c. 6. v. 49. anno Selcucidarum judaico 149. qvi est mundi 3842. cæpisse Sabbaticum. Detrahe ab his annos 3415. qvo etiam sabbaticus, ut ex antedictis patet, cœpit, & remanent 427. anni. Divide per 7. & nihil supererit. Qvod si autem mysticos inde feceris annos, aqva tibi hærebit. Nam anni 427. faciunt dies 155961. & horas 18. Divisi per 343. exhibent annos mysticos 459. & dies 239. horas 18. Dividantur per 7. & remanent 4. anni & dies 2. v 39. & horæ 18.

Idem Josephus significat l. 13 c. 15. anno 177. Selencidarum, qvi est mundi 3870. cæpisse Sabbaticum. Subduc ab hisce annos 3842. & residui sunt anni 28 qvi in septenario desinunt. In annis mysticis inde factis fallet. Nam dant 28 anni dies 10227. & conseqventer annos mysticos 29. dies 270. Abjice omnia septenaria & super esse videbis 1. annum & 270. dies. Prætereà ex l. 14. antiq. c. 28. patet Herodem anno 4. ex qvo à Romanis Rex declaratus est, Hierosolymam obsedisse & expugnasse. Factum autem ut ibidem testatur idem Josephus, hoc est Sabbatico currente, qvi præcedente anno 3. inceperat, qvi est mundi 3968. Selencidarum 275. Auferantur ab his anni 3870. M. 177. Selencidarum, de qvibus ante, & super sunt 98. annis Ab his abjectis septenatriis omnibus, nihil restat. Redige in mysterios &

rem

rem aliter se habere manifestum erit. Nam conficiunt hi 98. anni, vulgares 35794½. dies & consequenter annos mysticos 104. & dies 122½. Subducantur septenaria omnia & relinquuntur anni 6. & dies 122½. atq; adeo non attingitur Tisri vel mensis 7. cujus decimo die vel juxta Antogònistam post eundem Sabbaticus initium capiebat.

Obj. 1. argumenta quædam probabilia, quibus se obtinuisse putat, annos Sabbaticos & Jubilæos in civilibus vel vulgaribus annis quæri non debere. Syllogimus forte poterit esse talis.

Quodcunq; est 1. ab instituto divino 2. ex plenitudine scientiæ divinæ. 3. perpetuum & constans. 4. omnis vitij expers, id in annis vulgaribus quæri neqvit.

Atq; anni Sabbatici &c. sunt tales. Ergo.

Majoris connexio probatur: quia anni vulgares 1. sunt arbitrij humani 2. ex ignorantiâ veræ Astronomiæ. 3. inconstantes & mutabiles. 4. vitiosi.

R. 1. Majorem universaliter veram non esse, id quod ἐνςάσει probo. Sub majori enim suprà posita ita subsumo. Atq; festum Paschatos, Pentecostes Schenopegias, &c. sunt talia, h. e. sunt 1. ab instituto divino. 2. ex plenitudine scientiæ divinæ. 3. constantia. 4. vitii expertia. Ergò in annis vulgatibus, non sunt quærenda. Conclusio extra omne dubium est falsa. Ex Scripturis S. namq; certum est festa hæc ad annos vulgares ab ipso Deo esse alligata, ac ea propter in iis quæri debere. Ergo vel minor vel major est falsa. Non minor. Ergo major, quæ est Dn. Antagonistæ.

R. 2. Nec probationem majoris per omnia veram esse. Nam annos illos, quorum tam crebra in sacris fit mentio, & quos ad differentiam mysticorum vulgares appello, esse meri humani arbitrij, dici vox potest. Etenim Deus ipse annorum illorum initium ad mensem Abib retraxit, atq; hinc annum exordiendum, mensesq; 12. quorum Scriptura Sacra meminit, numerandos esse, demandavit, Exod. c. 12. v. 2. Deinde & omnia festa ad hunc ipsum annum alligavit & eo ipso eum probavit & sanctificavit.

Nihil etiam est, quod dicantur anni hi profluxisse ex ignorantiâ veræ Astronomiæ. Nam 1. eo non obstante Deus tamen eos approbavit & festa sua eis astrinxit. 2. anni mystici nihil minus quam Astronomiam sapiunt, cum in iis non attendatur ad anni tempora, quæ ab

aſtris dependent, ſed ſaltem ad Arithmeticam per ſeptenarij numerationem. 3. Accedit qvod Aſtronomus qvi annos ejusmodi myſticos ſtatuerit, hactenus inventus ſit nullus.

Mutabilitatem qvod attinet, illa nulla eſt reſpectu illius qvæ occurrit in myſticis annis. Concernit namqve menſem ferè unum (ob intercalationem puta) cum contra myſtici anni omnes menſes progreſſu temporis percurrant. Nec qvicqvã obſtat, qvod vitioſi dicantur. Nam 1. hoc abſolute & ſimpliciter verum non eſt. 2. Nec arbitror qvicqvam allegari poſſe, propter qvid vitioſi (Aſtrologicè forſan) meritò dicantur, qvod non majori gradu in myſticis ſe ubivis oſtendat.

Obj. 2. Cl. vir ἀπόδειξιν qvâ ſe ἀδιαλύτως demonſtrare opinatur, annos Sabbaticos & Jubilæos Hæbræorum non aliam formam habuiſſe, nec habere potuiſſe, qvam myſticam talem, qvâ 343. dies pro anno habentur. Ita procedit.

I. *Præeunto*, inqvit, hypotheſes in S. Scripturâ fundatæ ab omnibus, qvi ſcripturam veteris Teſtamenti admittunt, Chriſtianis, Judæis, & Turcis, conceſſæ.

1. Deum. Opt. Max. ſex diebus mundum abſolviſſe. Gen. 1.

2. Septimo die ad opere creationis qvieviſſe. Gen. 2.

3. Qvemvis ab hoc ſeptimo ſeptimum, adeoq; omnes ſeptenarij multiplices in progresſione Arithmeticâ ſe invicem ſeqventes, Sabbata feciſſe, ſive qvieti deſtinaſſe & ſanctificaſſe, in memoriam præcedentis ſextiduanæ creationis, & ſeptimo die captæ qvietis, Gen. 2. Exod. 20.

4. Igitur, ſi à qvocunq; Sabbato per 7. dierum ſive hebdomadis intervallum regrediamur, tandem ad ipſum qvietis divinæ diem nos perventuros.

5. Et hanc ex ipſo inſtituto ac facto divino promanantem temporis memorialis qvietis divinæ, inſeparabilem proprietatem eſſe, ut ſcil. ſit multiplex illius temporis, & non modo qvietem divinam, ſed etiam diem qvietis divinæ in individuo non modo in memoriam revocet, ſed etiam qvaſi digito monſtret.

6. Deum non tantum diem, ſed etiam annnm Sabbaticum in memoriam quietis ſuæ inſtituiſſe, & in iis ſimilem progresſionem Arithmeticam fieri voluiſſe. Levit. c. 25. v. 4.

7. In Annis Sabbaticis non tantum Arithmeticam, ſed etiam Geo-

Geometricam progresſionem obſervaſſe, & obſervandam præcepiſſe, & qvadratum anni Sabbatici, ſive septies ſeptimum, hoc eſt: 49. pro Jubilæo inſtituiſſe.

8. Annum Sabbaticum, nec majorem, nec minorem eſſe debuiſſe, qvam tempus laborum & fructuum τῆς γεωργίας, ſive culturæ terræ, qvam Deus, hoc anno intermitti voluit, Lev. 25.

9. Iſtud tempus majus eſſe, qvam 49. minus qvam 366. dierum.

10. Intra 49. & 366. dies nullum numerum eſſe poſſe, per qvem tam Arithmeticè qvam Geometricè ad ſeptenarij radicem regredi liceat, qvam 343. Cubum ſcil. ſeptenarij.

II. Ex his Hypotheſibus ſeqvitur Syllogimus Epagogicus talis.

Omne memoriale tempus qvietis divinæ ſeptimo creationis die captæ debet eſſe multiplex ſeptimi diei creationis, & per regresſionem datam, nempè tam Arithmeticam, qvam Geometricam, in proportione datâ, ſeptuplici ſcil. illum ipſum primum qvietis divinæ ſive ſeptimum creationis in individuo, qvaſi digito monſtrare, per hypoth. 3. 4. 5. 6. 7. Atqvi anni Sabbatici & Jubilæi Moſaici ſunt memoriale tempus qvietis divinæ, ſeptimo creationis die captæ, per hypoth. 6. Ergo, &c.

III. Ex hoc Epagogico infert ſeq. Syllogiſmum Epiſtemonicum talem.

Qvicunq; anni debent eſſe multiplices ſeptimi diei creationis, eundemq; per regreſſionem, tam Arithmeticam, qvam Geometricam monſtrare, illos impoſſibile eſt, ut vel plures vel pauciores dies habeant qvam 343.

Atqvi anni Sabbatici & Jubilæi debent eſſe multiplices 7. diei creationis, eumq; per regresſionem tam Arithmeticam, qvam Geometricam demonſtrare, dierumq; ſuorum numero intra 49. & 366. conſiſtere per Hypoth. 8. & 9.

Ergo imposſibile eſt ut anni Sabbatici & Jubilæi vel plures vel pauciores dies habeant qvam 343.

R. 1. Hypotheſes has omnes & ſingulas, qvibus demonſtratio innititur, ab omnibus, qvi SS. veteris: T. admittunt conceſſas eſſe, vero non eſt conſentaneum; ſed ordine videbimus. Primam, ſecundam, tertiam

tiam & qvartam ut verissimas concedo. Qvintam veró qvod spectat, nego eam esse universaliter veram. De hebdomadibus dierum qvidem id largior, verum si extendatur ad hebdomades annorum dico eam fallere, sed plura hac de re postea.

Hipothesis 6. primo intuitu videtur plana & vera. Cum tamen videam, Syllogismi Epagogici majorem, imprimis hypothesi 5. 6. 7. inniti, operæ fortè non erit dispendium, si pauló diligentius in verum ejus sensum inqvisivero. Vel igitur his verbis vir doctissimus duntaxat significat, Sabbaticos annos ex instituto divino debere esse etiam memoriale tempus qvietis divinæ post finitum creationis opus, hoc modo, ut Deus 6. diebus laboravit creando res omnes, & die 7. qvievit, ac propterea mox 7. qvemq; diem sanctificavit, ut homines sex diebus opus faceret, 7. autem qvovis qviescerent; Ita & septimum qvemq; annum, postqvam ex Ægypto egressi erant, sanctificavit, ut terram promissam jure hæreditario possidentes 6. annis terram colerent, servitutem â suis servis & debitum â debitoribus exigerent, septimo autẽ qvovis anno ab hisce omnibus qviescerent, &c. tũ hypothesis hæc conceditur ut vera qvemadmodum & 5. præcedentes. Qvod si autem prætereà & hoc in simul iis sextæ ὑποθέσεως verbis indicari vult vir Cl. ut anni hi qvorum septimus est & dicitur Sabbaticus, ex 7. diebus per septenarium multiplicatis consurgant, inq; septenario, desinant, ut nulla dies vel desit vel supersit, ut in septimanis dierum res se habet, tum hypothesin hanc nego esse veram, & prius dico probandam, ac postea pro hypothesi demum ab omnibus concessa vel concedenda venditandam. Ex Levit. c. 25. v. 4. citatum qvod apparet, prius, non posterius probat. Ubi enim Moses v. 3. ex ore Dei dixerat, sex annis debere Israelitas agrum conserere & vineam putare, &c. v. 4. subdit: verum septimo anno Sabbatum cessationis esto ipsi terræ, Sabbathum Jehovæ: agrum tuum non seminato, & vineam tuam ne putato. Sensus est: Ut 6. diebus opus tuum facis, & 7. die Sabbatum agis & â laboribus qviescis, &c. Ita etiam 6. annis terram coles &c. sed 7. anno ab ejusmodi labore cessabis. Qvî hinc posterius stabiliri possit ut ab omnibus assensum impetret, & hypothesis veræ nomen tueatur, ego sane videre neqveo.

Seqvitur hypothesis 7. Neq: hæc ab omnibus qvi Sacram Script: amplectuntur concessa dici potest. Notum qvippè est non esse eandem

dem Chronologorum de Jubilæo sententiam. Licet enim Scaliger & non pauci alij censeant, septimum qvemvis Sabbaticum h. e. 49. annum esse Jubilæum; alij tamen contrà disputant, non septimum Subbaticum sed huic seqventem, non 49. sed 50. annum esse Jubilæum: Et hi iterum in diversas abeunt sententias. Nam (1.) nonnulli 50. annum ponunt inter finem anni septimi Sabbatici & initium primi anni Sabbati annalis seqventis, eumq; Jubilæum dicunt, ut Bucholtzerus, Crentzheimius, & alij qvi eos seqvuntur. (2.) Wilhelmo Langio ut ex eruditissimo ejus opere Chronologico patet, Jubilæus est 50. annus immediatè seqvens 49. qvi idem 50. etiam est primus annus seqventis hebdomadis annalis, qvam sententiam utpotè legi divinæ omnium optimè convenientem, etiam feci meam, ut ex ante dictis patet. (3.) Alij aliter sentiunt. Hæc cum ita se habeant, hypohesis hæc ab omnibus non est concessa: Imò ne vera qvidem est, tantum abest, ut possit ejusmodi novæ de annis mysticis doctrinæ certam & immotam ἀπόδειξιν gignere. Deinde etiamsi ponamus 49. annum vel 7. Sabbaticum Jubilæum esse, non tamen qvicqvam hinc anni mystici accipiunt roboris. Simplicissimus enim, qvantum capere possum, hujus hypothesis est sensus (1.) Septimum qvemq; annum esse Sabbaticum vel Sabbatum annale, ut, septimus qvisq; dies est Sabbathum dierum (2.) septies septimum qvemq; annum esse Jubilæum. Inde autem annus mysticus non probatur. Non enim seqvirur: Deus ordinavit ut septimus annus sit Sabbaticus, qvemadmodum septimus dies est & dicitur Sabbatum, & ut septies septimus dies annalis est Jubilæus. Ergo & septies septem dies constitunt mensem, & iterum septies septem tales menses conficiunt annum, qvi dicitur mysticus; non inqvam, hoc seqvitur, nisi me omnia fallant.

Hypothesis 8. itidem tam plana & aperta non est, ut ab omnibus, qvi Sacram Scripturam Testamenti V. veram agnoscunt, concedi possit. Nam qvomodo probatur, annum Sabbaticum nec majorem nec minorem fuisse, qvam tempus laborum & fructuum τῆς γεωργίας? Qvi etiam ostendetur idem tempus præcise fuisse dierum 343? Nam in annis Sabbaticis non tantum γεωργία vel terræ cultura cessare debebat, sed & reliqva omnia, qvæ peragi licitum erat præcedentibus sex annis. Iis autem non tantum concessum erat Israelitis, agrum colere, conserere, metere fruges, & in horrea convehere, vineam putare, inq;

ro juxta claram Mosis assertionem, est annus non 49. sed 50. immediatè seqvens, ut in præcedenti membro pluribus est demonstratum.

2. Qvia anno Hiskiæ 14. Jubilæus cœpit & 15. desiit. Ergo annus excidij neqvit esse Jubilæus. Antecedens probatum est, lib. 1. par. 2. Sect. 5. Conseqventiæ verò ratio hæc est: Qvia annus Hiskiæ 14. qvo cœpit 15. Jubilæus est annus mundi 3290. & templi conditi 482. annus autem Sabbaticus, qvo urbs & templum exusta sunt, cœpit anno M. 3415. templi conditi 907. Incidit ergo Jubilæus 16. in annum M. 3339. templi ædificati 831. Jubilæus 17. in annum M. 3388. templi conditi 880. Ab eo anno (inclusivè) ad annum M. 3415. qvo Sabbatico decurrente ferè, urbis devastatio contigit, fluxerunt saltem anni 28. qvi Jubilæum constituere neqveunt.

3. Qvia Jerem. c. 34. v. 15. & seq. Judæi tempore excidij viventes dicuntur saltem violasse legem Sabbaticorum, non verò Jubilæorum. Nam Propheta Jeremias, vel rectius ipse Deus eis in memoriam revocat, se cum Israelitis ex Ægypto egressis percussisse fœdus ut 6. elapsis annis septimo qvoq; fratres Ebræos, qvi ipsis venditi essent, manumitterent, v. 13. 14. Sed patres eorum non auscultasse, nec legem hanc observasse. Subjungit verò, v. 15. & seq:. Sed vos reversi estis & hodie fecistis, qvod rectum est in oculis meis promulgando libertatem & dimittendo servos & ancillas, v. 9. & 10. Sed rursus prophanastis nomen meum, recipientes qvisq; servum suum, &c. Hinc argumentor. Si Judæi non Jubilæorum sed Sabbaticorum saltem legem hic dicuntur servare cœpisse, sed mox relapsos violasse, seqvitur tum temporis fuisse dutaxat Sabbaticum non verò Jubilæum. Adverum est prius. E. Firmatur subsumtio hoc prosyllogismo.

Qvamcunq; legem majores Judæorum tempore excidij viventium, hic dicuntur transgressi, illam ipsi tempore excidij cæperant servare.

At non Jubilæorum, sed Sabbaticorum legem Majores, &c. his dicuntur transgressi. E.

Obj: 1. Universalem hic Jerem. c. 34. dici factam servorum, &c. manumissionem. Illa autem non nisi in Jubilæo locum habebat; R. Etiam in Sabbatico servos omnes fuisse manumittendos, ni ipsi ob amorem vel Domini ejusq; familiæ vel conjugis & liberorum liberi exire nollent. Exod. 21. v. 5. Tum etiam solemniter coram Synedrio

seu

ſeu Elohim in portis aure ſubula perforata in æternum h. e. ad ſeqvens Jubilæum mancipabantur, nec etiam ſi fortè poſtmodum ſervitutis pertæſi ad libertatem adſpirarent, ſeqventibus Sabbaticis Jubilæum antegredientibus liberi exire poterant.

Regeris: Qvod ſi igitur annis excidium Hieroſolymorum antegreſſis, qvidam ſervituti præfato modo fuiſſent addicti non potuiſſent manumitti. At ex textu Jerem. patet, omnes in univerſum manumiſſos. c. 34. v. 10. Non Ergo fuit Sabbaticus ſimplex. R. 1. Invictè ex verbis Jeremiæ vix demonſtrabis ejusmodi univerſalem manumiſſionem, qvalis in Jubilæo fieri debebat. Poteſt namq; reſtringi, verbis textus non reclamantibus ad eam, qvæ in Sabbaticis locum habebat, nimirum: Omnes fuiſſe dimiſſos ſervos, qvi amori conjugis, liberorum &c. libertatem non poſtpoſuiſſent. R. 2. Sed ponamus fuisſe manumiſſionem hanc ἁπλῶς univerſalem, non tamen hinc ſeqvitur, annum hunc fuiſſe Jubilæum. Cum enim ex v. 14. manifeſtum ſit, dudum ante urbis deſtructionem legem illam de dimittendis ſervis Ebræis fuiſſe neglectam vel non obſervatam, ſua ſponte hinc liqvet, & modum illum, qvi coram Magiſtratu perforatâ aure ſubulâ obſervabatur, in deſvetudinem veniſſe, atq; idcirco talem ſervitutem non niſi in Jubilæo diſpenſabilem vel ſolubilem, qvæ qvidem in præcedentibus annis pacta eſſe potuerit, tum temporis non occuriſſe.

Obj: 2. Inveniri hic vocem דרור qvæ tantum de annis Jubilæis in Sacrâ S. uſurpatur.

R. 1. Vocem דרור ſignificare in genere omnem ſeu qvamcunq; libertatem ac propterea ad Jubilæum ita non poſſe reſtringi, ut non etiam Sabbaticis conveniat ac iis aſſignetur. Probatur id ex diverſo ejus in codice Sacro uſu. Præterqvam enim qvod Exod. c. 25. de Jubilæo uſurpatur etiam alibi rebus aliis diverſisq; tribuitur. Nam (1.) Eſa: c. 61. v. 1. Promittitur captivis דרור Dicit Namq; ibi Meſſias ſe unctum לִקְרֹא לִשְׁבוּיִם דְּרוֹר ad prædicandum vel proclamandum captivis libertatem. (2.) Dicitur hirundo דרור Pſalm 84. v. 4. qvod qro lubitu nidum ſibi ponere & habitare poſſit in domibus hominum, ſicut in agro (3.) Attribuitur myrrhæ Ea qvippè dicitur Exod. c. 30. v. 23. מָר דְּרוֹר myrrha libertatis, hoc eſt, optima, qvæ libera eſt ab omni impuritate (4.) Imprimis obſervetur in ipſo Jeerm. c. 34. v. 17.

Deum

Deum Judæos ita compellare: vos non audivistis me לִקְרֹא דְרוֹר אִישׁ לְאָחִיו ad proclamandum libertatem qvisq; fratri suo &c. subjungit mox: Ecce ego קֹרֵא לָכֶם דְרוֹר אֶל־ חֶרֶב proclamo vobis libertatem ad gladium, ad pestem, ad famem, & ad commotionem in omnibus terræ regnis. Sensus est. Cum vos servis & ancillis, qvi fratres & sorores vestri sunt, non proclamastis à servitute libertatem, ecce ego proclamo vobis libertatem non tantum ad servitutem, sed etiam ad gladium, ad pestem, ad famem &c.

Resp. 2. Qvæ est consequentia? vox דְרוֹר qvæ hic Jerem: 34. occurrit, alibi non nisi de Jubilæo usurpatur. Ergo manumissio servorum anno excidij facta vel libertas tum proclamata, fuit anni Jobilæi & propterea ipse annus est Jubilæus? Nulla. Nam & nos eodem, & forte meliori modo argumentari possumus: Φεύγεις חָפְשִׁי שִׁלַּח dimittere liberum & חָפְשִׁי יָצָא prodire exire liberum hic usurpatæ non nisi de Sabbaticis vel ut malunt de anno post initam servitutem 7. usurpatur nunqvam de Jubilæis. Ergo manumissio & libertas, cujus hic Jerem: c. 34 fit mentio, spectat ad annum ejusmodi septimum, non verò ad Jubilæum. Qvicquid hic responderint, idem & sibi responsum habeant.

SECTIO VI.

De Annis exoticis.

Injicitur etiam in libris Maccabæorum mentio annorum regni Græcorum, ut & Olympiadum, operæ igitur pretium erit, ut & de iisdem breviter agamus. Et cum præterea ad nativitatis Christi annum rectè explicandum cognitio annorum Julianorum, Augusti, Actiacæ victoriæ &c. necessaria sit, etiam de illis pro ingenij modulo pauca subnectemus. Sit igitur.

MEMBRUM I.

De annis Græcorum.

Qvidam Alexandri M. ducum Seleucus anno Periodi Julianæ 4402. Mundi verò 3694. Babylonem recuperat & victo Antigoni duce Nicanore Mediam & Susianam ditioni suæ adjicit. qvo de videri potest Diod: Sicul. l. 19. §. 100. 101. 102. Ab hu-

jus anni autumno dependet Epocha vel initium annorum Seleuci & Seleucidarum, qvos annos & appellant annos Græcorum, annos Alexandræos, vel Contractuum. Epocham hanc liber 1. Maccabæor. 6. mensibus anticipat demonstrante id Petavio, & annos hos non ab autumno, sed præcedente vere & à Nisan vel primo Judæorum mense orditur. Vocantur igitur anni hi differentiæ ergò anni Græcorum Judaici.

Methodus investigandi annos est talis. Adde annis mundi qvi Epocham annorum Seleucidarum antegressi sunt, annos Seleuci, & apparebit, qvotus sit annus mundi. Contrà aufer ab annis Mundi illos, qvi Epocham Seleucidarum antecesserunt, & habes annum Seleuci. E. G. 1. Maccab. c. 3. v. 41. scribitur, Judæos potitos sua libertate anno 170. Græcorum, vel Seleucidarum. Vis scire qvotus sit mundi, adde 3693. (Nam 3694. primus Seleucidarum cæpit) & habes 3863. qvi est annus M. Contra si ab hoc numero abstuleris 3693. habes 170. qvi est annus regni Syriaci vel Seleucidarum. Eodem modo si processeris, & annos Olympiadum, Nabonnassaris & Urbis conditæ facile indagabis. Sed de iis mox pluribus.

MEMBRUM II.
De annis Olympiadum.

CElebratum fuit, maximo totius Græciæ conventu circa Alphæum flumen qvarto qvovis anno exacto Olympicum certamen, idqve æstate, vel statim post Solstitium æstivum Lunà plenâ & toto lumine, circa vesperam & noctem refulgente. Ludicrum hoc, qvod Hercules in honorem avi materni Pelopis ediderat, referente Solino. c. 2. diu intermissum, ab Iphito (vel Iphiclo uti habet Solinus) Praxonidæ filio fuit restitutum anno P. J. 3938. anno M. 3230. constitutumqve, ut 5. diebus perageretur ac dies sextus κρίσει & præmiorum distributioni esset destinatus. Ab eo ludo postmodum annos Græci numerare cæperunt, & certum numerandorum annorum rationem iniverunt, spatiumq; illud 4. annorum, in cujus primo anno certamen id Olympicum celebratum erat, appellarunt Olympiada. Qvicqvid igitur contigit anno illo, qvo ludicrum illud primo peractum erat, dixerunt evenisse anno primo Olympiadis primæ, qvod verò gestum anno seqventi, id factum ajunt, anno 2. Olympiadis primæ & sic conseqventer.

rem aliter se habere manifestum erit. Nam conficiunt hi 98. anni, vulgares 35794½. dies & conseqventer annos mysticos 104. & dies 122⅗. Subducantur septenaria omnia & relinqvuntur anni 6. & dies 122⅗. atq; adeo non attingitur Tisri vel mensis 7. cujus decimo die vel juxta Antogônistam post eundem Sabbaticus initium capiebat. Obj. 1. argumenta qvædam probabilia, qvibus se obtinuisse putat, annos Sabbaticos & Jubilæos in civilibus vel vulgaribus annis qværi non debere. Syllogismus forte poterit esse talis.

Qvodcunq; est 1. ab instituto divino 2. ex plenitudine scientiæ divinæ. 3. perpetuum & constans. 4. omnis vitij expers, id in annis vulgaribus qværi neqvit.

Atq; anni Sabbatici &c. sunt tales. Ergo.

Majoris connexio probatur: qvia anni vulgares 1. sunt arbitrij humani 2. ex ignorantiâ veræ Astronomiæ. 3. inconstantes & mutabiles. 4. vitiosi.

R. 1. Majorem universaliter veram non esse, id qvod ἐνςάσει probo. Sub majori enim suprà posita ita subsumo. Atq; festum Paschatos, Pentecostes Schenopegias, &c. sunt talia, h. e. sunt 1. ab instituto divino. 2. ex plenitudine scientiæ divinæ. 3. constantia. 4. vitii expertia. Ergò in annis vulgatibus, non sunt qværenda. Conclusio extra omne dubium est falsa. Ex Scripturis S. namq; certum est festa hæc ad annos vulgares ab ipso Deo esse alligata, ac ea propter in iis qværi debere. Ergo vel minor vel major est falsa. Non minor. Ergo major, qvæ est Dn. Antagonistæ.

R. 2. Nec probationem majoris per omnia veram esse. Nam annos illos, qvorum tam crebra in sacris fit mentio, & qvos ad differentiam mysticorum vulgares appello, esse meri humani arbitrij, dici vox potest. Etenim Deus ipse annorum illorum initium ad mensem Abib retraxit, atq; hinc annum exordiendum, mensesq; 12. qvorum Scriptura Sacra meminit, numerandos esse, demandavit, Exod. c. 12. v. 2. Deinde & omnia festa ad hunc ipsum annum alligavit & eo ipso eum probavit & sanctificavit.

Nihil etiam est, qvod dicantur anni hi profluxisse ex ignorantiâ veræ Astronomiæ. Nam 1. eo non obstante Deus tamen eos approbavit & festa sua eis astrinxit. 2. anni mystici nihil minus qvam Astronomiam sapiunt, cum in iis non attendatur ad anni tempora, qvæ ab

dentur. Varro à Tarrutio Mathematico persvasus Urbem statuit conditam anno 3.Olymp. 7.Fasti Capitolini anno 4.Dionysius Halicarnassæus asserit conditam anno 1. Olympiadis 7. exeunte. Ultimam hanc Dionysij sententiam vero proximam demonstrat Cl. Lang: Diodorus Siculus(ut ex fragmento illius à Georgio Monacho asservato & lib.10. Diod.Sicul. proximè antecedente apparet)dicit Romam conditam anno 2.Olympiadis 7.qvi si annum hunc intelligit ineuntem à Dionysio & veritate non discedit. Annorum verò Urbis conditæ hæc est Methodus, dato anno P. J. auferantur 3962. & emerget verus conditæ Urbis annus, sin verò ademeris annis Mundi 3254. eundem habebis Urbis annum. Qvod si verò desideras annum Urbis juxta Varronem vel secundum fastos Capitol: ita procedito: Adde unitatem vero anno & habes annum Urbis Capitolinum; biennium & prodit annus Varronianus E. g. Seleuci Imperium cœpit anno M. 3694. P. J. verò 4402. detrahe his 3962. & illis 3254. & resultat annus 440. qvi est annus Urbis conditæ, adde unitatem & habes annum urbis capitol: 441. biennium & erit Variannus 442.

MEMBRUM V.
De annis Julianis.

JUlius Cæsar devictis Jubâ, Petrejo & Scipione, receptaq; tota Africâ & Numidiâ in provinciam redacta Romam revertitur, ibiq; 4. triumphos ducit, à Senatu multos honores conseqvitur, Magister Morum constituitur & perpetuus Dictator creatur. Indè annum Pontificum licentiâ corruptum corrigit, eumq; qvod menses nimium in antecedentia recesserant, 15. mensium, dierum verò 445. constituit. Et hic est annus confusionis, qvo Cæsar tertiò Consul. fuit. Seqvens annus qvo qvartò ipse & M. Lepidus secundò Consul fuit, est primus inter eos, qvi ab ipso Juliani appellantur. Convenit 4. hic Julij Cæsaris Consulatus anno P. J. 4669. Mundi 3961. Urbis conditæ Varroniano 809. Capitolino 808. vero 807. Olympiadis 183. anno 4. vel Iphiti 732.

MEMBRUM VI.
De annis Imperij Augusti.

ANNo Juliano 2. idibus Martij (15. die Martij) Julius Cæsar in

Curia Pompej à Conjuratis 23. vulneribus interficitur. Octavius auditâ avunculi morte, Romam ex Epiro venit, omnibusq; prosperis exceptus uti Florus ait, etiam nomen Cæsaris sumsit. Vellejus Paterculus prodit Augusto Romam ingrediente arcum qvendam Solem circumdedisse, ac veluti coronam capiti Octavij apposuisse. Qvod autem M. Antonius Consul impotenter dominaretur, legemq; de provinciarum permutatione per vim tulisset & Cæsarem qvoq; (Octavium petentem, ut sibi adversus Avunculi percussores adesset, magnis injurijs afficeret, is, ut sibi & Reipublicæ vires contra Antonium pararet, deductos in colonias veteranos excitavit, multosq; ejus milites ac duas legiones in suas partes desciscentes suscepit. Qvibus turbatus Antonius in Galliam tendit, sed à D. Bruto exclusus eum Mutinæ obsedit. Octavius verò Proprætoris munere à Senatu accepto cum Consulibus Pansa & Hirtio adversus Antonium mittitur. Confligunt itaq; cum Antonio eumq; vincunt, interempto tamen utroq; Consule. Devicto jam Antonio, Senatus Romanus parum gratus adversus Cœsarem fuit. Nam Decio Bruto, qvem Cœsar obsidione liberarat, triumphi honorem decernit, Cæsaris verò & militum ejus mentionem non satis gratam habet. Qvarè Cæsar sibi M. Antonium & Lepidum reconciliat, ac cum exercitu Romam petit. Qvo audito Senatus ei Consulatum qvem ante petenti denegarat, defert. Assumit hunc Octavius & collegam sibi accipit Q. Pedium & legẽ fert de qvæstione habendâ in eos, qvorum operâ pater fuerat occisus. Inde substituto Consule Albio Caninâ Româ abit ad Antonium & Lepidum imperiumq; Romanum qvasi hæreditatem inter se dividunt, ac Triumviratum in proximum qvinqvennium constituunt. Inde bellum Philippense à Triumviris adversus Cassium & Brutum geritur, qvi victi mortem consciscunt. Atq; ita in prælio omnes necis Cæsarianæ autores debitas pœnas dederunt. Non multo post L. Antonius, Fulviâ M. Antonij uxore dissidij semina serente, Octavio bellum infert, sed ab ipso repulsus Perusiæ obsidetur, & tandem fame coactus deditionem facit, cui tamen & Fulviæ & militibus omnibus Octavius ignoscit. Dum hæc in Italia geruntur Parthi Labieno, qvi Pompejanarum partium fuerat, duce in Syriam irrumpunt, victoq; Decidio Saxa M. Antonij legato, universam Provinciam occupant. Antonius hisce temporibus in Ægypto amoribus Cleopatræ implicitus,

nec

nec civili in Italiâ bello, nec suorum in Asia cladibus remedium adhibet. Ineunte autem vere ex Ægypto in Asiam trajicit, auditâq; clade Perusiæ & fratris deditione rectâ in Italiam pergit, exercitum educit, Sipontem capit, & Brundusium obsidione cingit, Augustus eò venit cum exercitu Brundusium defensurus, verum cum ibi Fulvia fax belli moreretur, Antonius & Octavius in gratiam redeunt, & armis positis Romam deducuntur, ubi Octavia Soror Augusti Antonio nuptum datur. Ex hisce liqvet Octavium non mox à morte Julij Cæsaris imperiò potitum, nihilominus tamen Æram imperij vel Monarchiæ Augusti, uti vocant, Josephus incipit, â cæde Cæsaris, & Octavio assignat annos imperij 57. menses 6. dies 4. l. 18. antiqvit: c. 3. & lib. 2. de bell. Jud. c. 13.

MEMBRUM VII.
De Herodis Epocha.

CUm ita Parthi Asiam qvieti tenerent Antigonus se ad eos confert iisq; 1000. talenta & 500. fœminas pollicetur, si se in regnum restituant. Herodes ut Hircano auxilio esset, Hierosolymam cum exercitu venit in festo Pentecostes anni 6. Juliani. Ubi cum tumultus inter Judæos exoreretur, Pacorus Parthus Hyerosolymam ac si amicus esset ingreditur, ac Phaseolo Herodis fratri persvadet, ut cũ Hircano ad Bazaphernem Parthorum Principem legatus proficiscatur. Qvi frustra disſvadente Herode & fidem Barbarorum elevante, illuc tendunt & pauló post in vincula conjecti Antigono, qvem Parthi Regem constituerant, deduntur. Hirancus ne regressus ei ad Pontificatum pateret, auribus mutilatur. Phaseolus verò ut crudelitatem hostis præveniret, capite saxo alliso è vita abit. Herodes insidias hostiles expertus, ubi de fratris captivitate audit, noctu Hierosolymis aufugit, hostibusq; qvi inseqvebantur, aliqvoties repulsis, suos in castello Masada deponit. Ipse in Arabiam iter dirigit, sed exclusus in Ægyptum ad Cleopatram progreditur, ac inde Romam, qvamvis Cleopatrâ hyemale tempus objiciendo eum cuperet detinere, tamen pergit. Sed magnâ conflictatus tempestate, & jacturâ sarcinarum facta ægrè Rhodum evadit, ibiq; ædificatâ triremi maximâ, cum amicis Romam navigat, ac annitente Antonio Rex Judææ â Senatu declaratur. C. Domitio Albino secundò & Asinio Pollione Consulibus, anno 6. Juliano

no exeunte, anno 1. Olympiads 185. (qvæ præcedente æstate acta erat ut disertè Josephus narrat. l. 14. antiq. c. 26.) ac statim 7 die, postqvam in Italiam venerat, ab Antonio dimissus in Judæam revertitur ac suis obsidione liberatis, contra Hierosolymam ducit, &c. qvam 4. regni sui anno, h. e. P. J. 4377. mundi 3969. anno Sabbatico (qvi antegrediente anno in autumno cœperat) Juliano 9. Augusti. 8. qvo Consules fuere M. Agrippa, & Canidius Gallus, Joseph. l. 14. c. 28. expugnavit, ac paulò post Antigono Antonij jussu decollato solus regno Rex præest. Oritur hinc duplex Herodis Epocha. Prima dependet â tempore, qvo Romæ Rex est declaratus; altera, ex qvo captâ Hierosolymâ Antigonus vitâ pariter & regno spoliatus est. Utriusq; hujus Epochæ junctim meminit Josephus lib. 17. antiq. c. 10. & lib. 1 de bello Jud. c. 21. & Egesippus de excid. Hierosol. l. 1. c. 45. Idem Josephus utitur Epochâ priori. l. 15. antiq. c. 14. ubi memoriæ prodit, Herodem templum Hierosolymitanum dirutum, de novo cœpisse ædificare anno regni suo 18. Posteriorem adhibet l. 1. de bello Judai: ubi idem refert factum anno Herodis 15. Eandem usurpat Egesippus. l. 1. c. 25.

MEMBRUM VIII.
De annis victoriæ Actiacæ.

VArio eventu cum Octavius cum Pompejo belligeraret, ex Asiâ Lepidum in auxilium evocat. Qvod verò Lepidus sibi nimium tribueret, & 20. legionum fiduciâ superbiens summas sibi partes terrore ac minis vendicaret uti loqvitur Svetonius, Augustus in suas partes pellicit exercitum Lepidi, eumq; provinciis exuit, sed vitâ donatâ in Circejos in perpetuum relegat; Antonius audiens Augustum provincias Lepidi sibi soli sumsisse, bellum contra eum molitur. Consules Cn. Domit. & Cn. Sossius cum Antonij partium essent in Octavium absentem invehuntur, & Antonium laudant. Sed reversus Augustus gravissima oratione in Senatu Consules perstringit & accusat, qvi sibi metuentes ad Antonium profugiunt. Octavius spontè se eos dimisisse & aliis, qvi vellent potestatem abeundi se facere affirmat. Contra ab Antonio etiam nonnulli ad Octavium transeunt. Antonius porro Octaviam August. sororem repudiat, multaq; alia facit, qvibus Populum Romanum offendit. Præterea testamentum ejus publicatur, & iniqvissimum esse deprehenditur. Qvapropter Consula-

ſulatus ipſi in ſeqventem annum decretus, abrogatur & Cleopatræ bellum indicitur. Atq; ita ſummâ vi utrinq; bellum paratur. Conatur etiam Antonius claſſe in Italiam trajicere, ſed ab Octavio impeditus retrocedit & Patris hybernat. Legati ultrò citroq; commeant ſub ſpecie qvidé reconciliationis conſtituendæ, reverà autem ut alter alterius res ſpecularetur. Primo vere anni Juliani 15. Octavius jam tertiò Conſul cum Valerio Meſſala, qvi in locum Antonij ſurrogatus fuerat, aſſumptis Senatoribus primis in Græciam trajicit ad Actium promontorium, clam Antonij claſſem ad ſe perducturus. Cum non procederet attentatum, caſtra ibi metatur & munit. Suis cum copiis & eò Antonius venit; ſed iis levioribus prælijs attritis & defectione ferè totius Græciæ turbatus in Ægyptum abitum parat; qvo comperto Auguſtus ſua oppoſità claſſe eum detinet, & ad pugnam cogit. Ubi cum diu æqvo Marte certatum eſſet Cleopatra prælij inſveta & exitus ſollicitudine victa, ſuis ut fugam capiant, ſignum proponit. Antonius hoc conſpicatus, fugientem deſerta claſſe, ſeqvitur. Reliqva claſſis adhuc horas aliqvot pugnam ſuſtinet, ac tandem igne expugnatur. Prælium hoc accidit die 2. ſeptembris anni P. J. 4683. Et ab hoc die Octavius ſolus rerum potitus eſt, & imperavit 44. annos. Poſt pugnam exercitus terreſtris 7. dies Antonium Imperatorem ſuum expectans Octavij conditiones & legatos aſpernatur; Sed Canidio eorum duce fugâ nocte elapſo, ſe tandem victori dederunt. Qvo facto Octavius res in Græciâ & Aſiâ componit, & mediâ hyeme Romam reverſus Conſulatum init qvartum cum M. Licinio Craſſo. Factum id ineunte anno Juliano 16. Cleopatra in Ægyptum rediens, ne clades tumultum concitaret, mentitur victoriam, navium proras coronat, & triumphum â tibicinibus concini jubet, & novas copias, qvantas poteſt, Antonio cogit: Verum cum clades innoteſceret, & populi Regesq; Ægypti & Aſiæ ſimul auxilia denegarent, Antonius & Cleopatra legatos ad Octavium mittunt, qvi de pace agerent, & interim auro, qvo abundabant, exercitum Octavij ad proditionem ſollicitarent. Octavius dein in Ægyptũ tendit & Peluſium proditione capit, ac Antonium non ſemel vincit, qvi paulo poſt conſpicatus claſſem ſuam hoſtili, contra qvam pugnaturam crediderat, amicè conjungi, & unâ eaſdem contra urbem tendere & eodem mox loco ab eqvitibus ſuis deſtitutus in urbem Alexandriam refugit, clamitans ſe ab

Cleopatrâ proditum iis, qvibus propter illam sit hostis factus. Cleopatra verita furorem Antonij in sepulchrum insilit, & ad Antonium mittit, qvi nunciarent, ipsam sibi mortem concisse. Hoc ubi audit Antonius, mox sibi manus infert, & ad Cleopatram deporratus in sinu ejus expirat. Alexandria in potestatem redacta, ne in triumpho duceretur Cleopatra aspidis morsu vitam finit, cujus tamen Octavius duos liberos & Cleopatræ ipsius cælatam imaginem in triumpho duxit. Dio. l. 50. & Epit. Flor: l. 132. & 133. Colligitur ex his duplex initium annorum Actiacorum. Prius desumitur â prælio navali, ad Actium promontorium commisso, qvo Antonius classe ab Octavio devictus est. Contingit hoc anno P. J. 3683. mmundi 3975. Juliano 15. imperij Augusti 14. Urbis conditæ 721. Consulibus Augusto tertium & M. Valerio Messala. Utitur hac Epochâ Dio ubi dicit Augustum imperasse post Actiacam victoriam 44. annos. Posterius initium integro anno est posterius, & dependet â morte Antonij & captâ Alexandriâ, & qvidem â die 29. Augusti, qvod caput anni Ægyptiorum eo tempore in illo die statueretur. Æram hanc Ægyptij & qvi in viciniâ fuêre Scriptores ut Josephus, Eusebius & alij adhibuerunt, communiterq; vocatur Epocha annorum Actiacæ victoriæ, utut victoriâ hâc sit anno posterior.

MEMBRUM IX.

De Annis Augustorum.

OCtavius Cæsar, cum Antonium classe ad Actium promontorium vicisset, Ægyptum in provinciam redegisset ac qvotidie de civibus Romanis benè mereretur omnium amorem & favorem conseqvitur, inqve ipsius honorem multa decernuntur. Ut igitur imperium sibi stabiliret, & volentibus imperaret, anno Juliano 19. septimum Consulatum cum M. Vipsanio Agrippa iniens, orationem ad tempus accommodatam in Senatu habet, & in eâ pollicetur, se jam imperio abiturum, & illud populo Romano redditurum, excusatq; qvæ tempore belli acta essent, vi sibi potius extorta, qvam voluntate suâ in qvosdam patrata esse. Ita evenit, cum qvidam hoc imperij statu delectarentur, qvidam imperium populi formidarent, ut communibus precibus eum cogerent, ut imperium retineret, & Prætorianos milites aleret, ad tuendum corpus, qvibus duplex stipendi-

um

rum daretur. Ex ſententiâ etiam Munatij Planci à Senatu cæterisq; civibus Auguſti appellatione honoratus eſt 17. Januarij ut Cenſorinus vel 13. uti Ovidius habet, anno prædicto 19. Juliano P. J. 4687. mundi ad finem decurrente 3978. anno Urbis conditæ vero 725. Capitol. 726. Varron: 727. Auguſti autem nomen ſacrum qvid ſignificat & venerandum: hodie ab augendo dictum putatur, cujus rei primus autor videtur Eutropius, qvi Auguſtum ita dictum arbitratur, qvod imperium Romanum auxerit. Et ab hoc anno, ut ex Cenſorino liqvet anni Auguſtorum initium ducunt.

MEMBRUM X.
De Æra Chriſtiana.

ANnorũ à nativitate Salvatoris ſupputatio non mox in exordio Chriſtianæ Eccleſiæ uſurpata eſt. In faſtis enim actibusq; tum publicis tũ privatis, alia modo hàc modo illà Epochâ, uſi ſunt. Synodus Nicæna, qvæ anno Chriſti 325. anno Juliano 370. celebrata eſt, duplici ratione tempus deſignat. Habet enim adſcriptos Conſules Romanos, qvi tum conſulatum geſſerunt, tum Annos Alexandri. Ita qvippe inſcriptio habet: Canones 318 Sanctorum Patrum, qvi Nicææ convenerant, Coſs. Paulino & Juliano Clariſs. anno Alexandri 636. &c. Sic Synodus Conſtantinopolitana, qvæ ſub Theodoſio anno 381. Æræ vulgaris acta eſt, talem habet inſcriptionem: Canones Sanctorum Patrum Conſtantinopoli congregatorum. Coſs. Fl. Eveherio & Fl. Evagrio Cl. ante 6. Idus Julias. Altera Conſtantinopolitana ſaltem Imperatoris Juſtiniani nomine ſignatur. Chriſtiani in Hiſpania uſi ſunt Ærâ Hiſpanicâ. Præterea magno in uſu fuit Æra Diocletiani à cujus anno 153. Cyrillus Cyclum ſuum inceperat. Dionyſius cognamento Exiguus natione Scytha anno Æræ Chriſtianæ vulgaris 527. (qvò eodem anno Juſtinianus animum ad vetus jus civile emendandum, ſupplendum & componendum adjecit & propterea Juriſperitos ex Beryti & Cæſariæ Gymnaſiis evocavit) Cyclum Paſchalem annorum 532. ſcribens, primus annos à nato Chriſto numeravit & orbem Chriſtianum ad idem faciendum ſuo exemplo allexit. Æram autem Chriſtianam, qva nunc in notandis annis vulgo utimur, non eſſe Dionyſij Exigui, ſed Bedæ demonſtrat Cl Langius l. 1. c. 1. De hac ipſa Ærâ vulgari qværitur, an veritati per omnia ſit conformis? Maxima eruditorum pars hujus ævi in

negativam descendit, qvibus & ego adscribo. Rationes sunt hæ.

1. Qvia servator teste Matthæo c. 2. v. 1. natus est Herode Rege adhuc vivente & Regnum in Judæa administrante: At si vulgaris Æra obtineret, Christus natus esset Herode dudum vitâ functo. Connexio certa est. Qvia Herodes mortuus est, ut suo loco demonstrabitur anno P. J. 4712. Juliano 44. ineuntibus, postqvam Salvator 25. Decembris anni præteriti fuerat natus.

2. Qvia Christus baptizaretur, erat circiter 30. annos natus Luc. 3. v. 23 Qvomodocunq; etiam explicabis, cum Ærâ vulgari nunqvam in concordiam rediges. Nam secundum hanc 29. annum Dom. Jesus nondum compleverat Si 16. anno Tiberij circa finem ferè 1. qvadrantis baptizatum dixeris, adhuc desiderantur 4. Menses; sin verò 15. Tiberij, adhuc plures menses reqviruntur ad complementum 29. anni. Juxta Æram itaq; vulgarem Lucam oportuisset dicere, Jesum fuisse circiter 29. annos baptizatum. M. Helvigius contrà pro veritate Æræ hujus multis & qvidem 28. in memoriola vacillat, argumentis pugnat; Verum cum nullius sint momenti & propterea solutu facilia, tædet iis solvendis & tempus & chartam perdere.

MEMBRUM XI.
De Ærâ Hispanica.

ÆRa Hispanica incipit sub Augusto anno P. J. 4676. Mundi 3968. Juliano 8. Imperij Augusti 7. Antecedit igitur Epocham Christianam vulgarem â Calendis Januarij, licet Christus 8. Calend. Januarij vel 25. Dec. natus sit, initium sumentem 38. annis vel duobus Cyclis lunaribus. Methodus hæc est · Si anno cuidam Epochæ Christianæ addideris 38. annos, habes annum Æræ Hispanicæ. Sin vero subtraxeris 38 annos, habes annum nati Christi juxta Epocham vulgarem. E. G. Præsens annus qvo hæc scribo, est annus Christi 1654. addo 38. & habeo annum Æræ Hispanicæ 1692. Ab Alphonsinis Æra hæc dicitur Æra Cæsaris, ab aliis κατ᾽ ἐξοχὴν Æra Æræ. Freqventer adhibetur in antiqvioribus Hispaniæ monumentis, & in tomis Conciliorum. Creberrima namq; in Hispania & Africa (qvam Vandali ex Hispania venientes occuparant) Concilia celebrata fuerunt.

MEM-

MEMBRUM XII.
De Æra Diocletiani.

ÆRa Diocletiani cœpit 29. Augusti anni. P. J. 4997. mundi 4289. Nam Diocletianus anno Christi vulgari 284. usitatâ hactenus in orbe Romano supputatione, qva Imperatorum & Consulum notatione tempora signabantur, sublatâ, edicto mandavit, ut anni in posterum à primo principatus sui anno numerarentur. Usurparunt & hanc Æram Scriptores Ecclesiastici, Epiphanius, Ambrosius & alij. Duravit annos 248. usq; ad Annum Christi 532. Tunc enim Dionysius Exiguus repudiata memoria Impij & Persecutoris pessimi Epocham Christi nati introduxit. Appellatur alias Æra Martyrum. Methodus est faciles. Si enim anno Christi, qvo Æra hæc incepit unitate demptâ, addideris annos Æræ Diocletiani, habes annum Christi, sin verò annis Christi abstuleris annos 283. habes annum Æræ Dioletiani. E. G. Ambrosius Epist: 83. scribit: Octuagesimo anno & nono Imperij Diocletiani: cum qvarta decima luna esset, 9. Calend. April. nos celebravimus Pascha, pridie Calend. April. Subjunge annos hos 89. annis Christi 283. & emerget annus Christi 372. in cujus 29. Augusti annus hic octuagesimus nonus cœpit, Pascha verò celebratum est anno Christi, 373.





CHRONOLOGIÆ SACRÆ *LIBRI PRIMI* PARS ALTERA.

PRiori parte libri primi veluti προθεωρίας loco breviter disseruimus de temporum partibus & qvæ ibi disceptari solent, jam tandem ad rem ipsam propius accessum facimus explicaturi diversa distinctaq; intervalla majora, atq; ætates mundi. Sit igitur.

SECTIO PRIMA De Primo Intervallo.

A *Mundi exordio ad diluvium effluxerunt anni 1655. mensis 1. & dies 16. Id qvod ita ostenditur.*

Ad Adamo ad nativitatem Sethi præterlapsi sunt anni.	130
Hunc enim Adamus genuit natus 130. annos Gen. c. 5. 3.	
A Setho ad natum filium ejus Enoschum effluxerunt anni	105
Tot enim natus annos Seth genuit filium suum Enoschum v. 6.	
Ab Enoscho ad Kenan. v. 9.	90
A Kenan ad Mehalael. v. 12.	70
A Mehalael ad Jared. v. 15.	65
A Jared ad Henochum. v. 18.	162
Ab Henocho ad Methusalem v. 21.	65
A Methusalem ad Lamech. v. 25.	187
A Lamecho ad Noachum v. 28.	182
A nativitate Noachi ad diluvij initium	599
mensis 1. & dies 16. c. 7. v. 11.	
Summa annorum 1655. mensis 1. dierum 16.	

Qvæstio I.

Qvo anni tempore mundus sit conditus?

Bartholomæus Keckermannus in Phys. l. 7. ita disserit. Cum hic mundus inciperet à Deo creari, nec Sol fuit, nec fuerunt signa cælestia,

festia, & per conseqvens nulla fuit anni pars ordinaria, ita ut mihi qvidem videatur qvæstio illa nonnihil præpostera, an mundus sit conditus vel vere, vel autumno, vel æstate. Qvia cum mundus initio conderetur, nec ver fuit, nec æstas, nec autumnus &c. R. Keckermannnm toto errare cœlo. Nec enim hic qværitur, qvale tempus anni creationem mundi præcesserit: cum utrinq; nullum id fuisse sit in confesso; sed qvale immediatè fuerit subsecutum, an fuerit ver, an æstas, an autumnus, an hyems.

II. Gerhardus Mercator initio suæ Chronologiæ statuit mundum creatum in æstate circa mensem Julium Sole in Leone existente. Verum cum hæc sententia sit apertè falsa & perpaucos videtur habêre sectatores, de ea pluribus non agemus. Calvis.

III. Scaliger, Calvisius, Petavius D. Bartholin, M. Helvigius & infiniti alij, opinantur & acriter certant mundi initium figendum esse in autumno, eamq; opinionem rationibus perplurimis, & authoritatibus propugnare conantur.

IV. Deniq; multi ex Sanctis Patribus & ex recentioribus D. Gerhard. Torniellus, Capella, Saa, Alstedius, Wilhelmus Langius & alij in vere mundum creatum censent. Clarissimus Dn. D. Philip. Henricus Friedlieb. hic ἐπέχειν sectatur. Postqvam enim in Medulla Theol. proposuerat qvæstionem: qvo anni tempore mundus sit conditus? hanc subjungit responsionem: Non liqvet certò S. Sacra tacente. Verissimum hoc est Judicium. Neutra enim ex duabus ultimis sententiis (reliqvæ enim apertè sunt falsæ) ἀποδεικτικῶς & invictè demonstrari potest. Interim tamen cum aliqvod mundi initium ejusq; tempus statuendum dico ultimam de vere sententiam aliqvantò esse probabiliorem.

Qvia 1. post autumnum herbæ & arbores protoplastis incibum concessæ, in Babylonia, ubi primi homines vitam egerunt, suo jam ferendorum fructuum munere defunctæ paulatim elanguescunt & qvasi emoriuntur: Contrà in vere partim sua jam gaudentes perfectione maturos habent fructus; partim verò virentes & vigentes illuc tendunt, hoc est, ad generationem suorum suo cuivis tempori convenientium fructuum, pro cujuscunq; naturâ, sese parant. Ergo vero similius longè videtur vere qvam autumno orbem conditum fuisse.

Con-

Conſeqventia probatur: Qvia Deus in rerum creatione die tertio jubebat terram producere herbas & arbores fructum facientes, partim mox inpræſentem hominis uſum partim etiam temporis progreſſu, ut homo nunqvam ſuo deſtitueretur cibo. Et ita herbæ arboresq; ſeſe habuerunt. Ut enim diverſæ ac diſtinctæ ſunt, ita & non niſi diverſis diſtinctisq; anni temporibus matureſcentes ferunt ſiſtuntq; fructus. Nec etiam ullibi in toto terrarum orbe eodem tempore omnis generis arbores &c. fructus ſuos habent maturos. Qvod ſi igitur autumno mundus fuiſſet conditus, ac conſeqventer etiam arbores, herbæ frugesq;, qvæ in vere & brevi poſt fructibus ſuis exornatæ ſunt, utiq; hæ ipſæ creatæ fuiſſent in imperfectiſſimo (ferè) ſuo ſtatu, utpote qvo, non ad ferendum fructum ſed ἐμμέσως ad flacceſcendum & emoriendum hyemi convenienter ſe ſe parant.

Excip. aliter judicandum de extraordinariâ τῆς οἰκουμένης κτίσει qvam de communi naturæ curſu. R. τὸ Extraordinarium concernit ſaltem mundi & rerum qvæ in eo ſunt, productionem, non verò rerum extraordinariè jam productarum ſtatum & conditionem. Hæc namq; ut tum abſoluta creatione fuit, ita etiam poſtmodum eodem tempore ſeſe habuit eundemq; tenorem adhoc usq; tempus ſervavit, ſervabitq; dum mundus, herbæ & arbores erunt, atq; adeò non extraordinaria ſed naturalis planè & ordinaria eſt & fuit. Peractâ enim & abſolutâ creatione, extraordinarium illud expiravit vel ceſſavit, naturale verò & ordinarium cæpit durabitq; usq; dum extraordinariè iterum mundus igne exuratur.

Qvia 2. non autumnali ſed verno tempore diluvium contigit. Ergo. Probatur conſeqventia ex hypotheſi ipſius Scaligeri & aſſeclarum. Ita enim argumentantur: Primus menſis in hiſtoria diluvij incipit ab autumno. Ergo &c.

Antecedens confirmatur. 1. Ex ipſa ſcriptura Sacra Gen. 7. v. 11. Ubi aſſeritur diluvium cæpiſſe menſe ſecundo. At in toto V. T. codice ſacro, ſecundus menſis nunqvam eſt מַרְחֶשְׁוָן Marcheſvan, ſed ſemper אִיָּר Ijar. Nunqvam enim in Sacris V. T. literis menſis primus, ſecundus, tertius &c. ab autumno ſed ſemper à vere numerantur. 2. Patet idem ex teſtimonio antiqviſſimi Hiſtorici Beroſi (& qvi eum ſeqvuntur, Abydeni & Polyhiſtoris) qvi ex Chaldæorum archivis recenſet vere & non autumno diluvium accidiſſe. Obji-

Objicit Scaliger 1. Primus mensis in historia diluvij incipit ab autumno, Ergo. R. Negamus, confer qvæ mox ante dicta.

Obj. 2. Scalig. Tekupha anni est in autumno. D. Casparus Barthol. in lib. de mundo qvæst. 13. allegat locum Exod. 34. v. 22. & dicit: Autumnus ergo fuit finis anni præcedentis & principium seqventis: nisi ridiculè & absurdè qvis dicat tempore verno fruges colligi. Conferatur, inqvit, locus Levit. 23. v. 39. Ubi dicitur: 15. die mensis septimi (Thisri) congregatis frugibus terræ, dies festos in honorem Jehovæ septem celebrabitis &c. R. 1. תקופת השנה non tantum est in autumno, sed in vere. Bis enim saltem in SS. V. T. תקופת השנה usurpatur. Semel pro æqvinoctio autumnali. Ita accipi Exod. 34. v. 22. ultrò largimur. Tum namq; חג האסיף festum collectionis extra omne dubium fuit celebratum. Levit. 23. v. 39. Semel etiam venit pro æqvinoctio vernali, nimirum. 2. Chron. 24. v. 23. Eo qvippe tempore Reges in bellum prodire solebant. 2. Sam: c. 11. v. 1. In hac posteriori significatione ei æqvipollet תשובת השנה reditus vel reversio anni, occurritq; hæc locutio in V. T. non nisi qvinqvies, videlicet 2. Sam. c. 11 v. 1. 1. Reg. 20. v. 22. & 26. 1. Chron. 20. v. 1. & 2. Chronicor. c. 36. v. 10. atq; semper vernum tempus, numqvam autumnale designat excepto unico illo loco 2. Chron. 36. v. 10. confer. 13. Qvare invertimus argumentum. Thekupha anni est in vere. Ergo ver est initium anni, adeoq; in vere & non in autumno mundus est conditus. Conseqventia nititur. 1. discursu Scaligeriano. 2. exsuperat eum robore, si jungatur ei φράσις æqvipollens תשובת השנה qvæ ferè semper ver significat. R. 2. Non est ridiculum & absurdum dicere in vere fruges colligi. Annon tempore Paschatos, qvod vere celebrabatur, fruges maturuerant, dieq; secundo azymorum 16. Nisan falx primum in fruges immittebatur, ac manipulus frugum in domum Dei à qvolibet Patre-familias allatus Deo offerebatur, qvo facto, licebat demetere & colligere in horrea? Levit. c. 23. v. 5. & seq. Præterea Josu. 3. legitur Israelitas Jordanem transiisse tempore messis v. 15. ac paulò post cessasse man eosq; edisse de proventu terræ azymos panes & tostum igne c. 5. v. 11. & 12. Videatur & Joseph l. 5. Antiq. c. 1. Transitus hic accidit 10. die Nisan c. 4. v. 10 die 14. Pascha celebrarunt & postridie Paschatos azymos panes & tostas igne aristas edere cœperunt. Ver-

no etiam tempore fruges omnes agrorum & qvarundam arborum fructus in Palæstinâ, Ægypto in Babyloniâ maturuerant. Qvi ergo in autumno demum ex agris collegissent. R. 3. Non videtur φράσεως illius חג האסיף festum collectionis, ea esse mens, ac si tum fruges ex agro fuere congregatæ inq; horrea vel domos collectæ; Sed id ea innuitur locutione, qvod tum, qvæ suo tempore ex agris & hortis in horrea & torcularium domus intulerant, ex horreis trituratione excussa, & ex torcularibus, lacubus expressa collegerint. Ita ipse Moses se explicat Deut. c. 16. v. 13. Festum tabernaculorum celebrato 7. diebus, qvum collegeris ex areâ tuâ, & ex torculari tuo.

Obj. 3. Barthol. locum Exod. 23. v. 16. Idem & unicum præcipuè urget Petavius dicens: movet me ut ita sentiam potissimum istud, qvod antè Mosen anni caput erat in autumno. Etenim Exod. 23. v. 16. Moses Tabernaculorum festum jubet celebrari בְּצֵאת הַשָּׁנָה in exitu anni.

R. Respicere hic Mosen ad annum Ægyptiacum, qvo Israelitæ Ægyptios imitati hactenus in Ægypto fuerant usi, cujus etiamtum usus, initiũ & finẽ qvod spectat, obtinebat in Sabbaticis & Jubilæis, in emptionibus & venditionibus &c. Aliàs certè Moses nuspiam in toto suo Pentateucho more Ægyptiorum ab autumno sed à vere annum inchoat, idq; juxta Dei noviter institutam annorum ἐπανόρθωσιν. Sed posteà in objectionis qvintæ λύσει plura horsum spectantia afferentur.

Obj: 4. Scaliger vetustissimam Judæorum consvetudinem, qvi Lectionarium ab autumno incipiunt.

R. Mosen qvidem à Deo jussum Populo Israelitico præcepisse ut librum legis semper præ oculis haberent; sed de publica illa, in Synagogis juxta פָּרָשׁוֹת seu divisiones certas, lectione anni tempore inchoandâ & finiendâ nec Moses, nec Josua, nec Judicum vel Regum qvisqvam vel tantillum habent. Rectius sentiunt illi, qvi Esdram peritum illum Scribam statuunt, post Babylonicam captivitatem Scripturam V. T. in has partes tribuisse ac morem, qvi nunc in legendo observatur, instituisse. Qvod etiam mense 7. populo reduci legem prælegere cæpisset, ab isto tempore postmodum semper initium legendarum Scripturarum ducere placuit. Nehem. c. 8. & 9.

Qvid autem hæc ad mundi exordium?

Obj:

Obj: 5. Barth. qvia mensis Thisri usq; ad liberationem ex Ægypto fuit primus mensis, vel anni exordium, qvod postea in memoriam liberationis nova lege translatum fuit in mensem Nisan: adeò ut ante illa tempora mensis Nisan nunqvam fuerit mensis primus anni. Unde tandem duplicis anni sacri & politici apud Ebræos est usus.

R. 1. Nisan nunqvam, sed semper Thisri ante Israelitarum ex Ægypto egressum, primum fuisse mensem & anni initium, negamus. Qvin potius asserimus Mosen antiqvissimum tempus ita describere ut non ab autumno, sed à vere; non à Thisri, sed à Nisan annorum supputationem ordiatur, utpote, qvod ab Adamo observatum, posterisq; traditum fuit, qvod & posteà nepotes observarunt, tum ante, tum post diluvium. Cum autem Israelitæ cum Jacobo Ægyptum ingressi tanto temporis intervallo ibidem degentes & conversantes Ægyptiacæ supputandorum annorum rationi assuescerent, tandem sub eorundem ex Ægypto egressum monitu Dei per Mosen ad pristinum exordium retracti sunt novâ additâ ratione, qvod eo tempore ex Ægypto migrarint diuturnæ servitutis expertes & pristinâ gaudentes libertate. R. 2. Politici anni usum qvod concernit, dixerim ego potius eundem ex ratione & conditione Sabbaticorum & Jubilæorum profluxisse, qvippe ad qvos in contractibus emptionis & venditionis &c. respiciendum fuit, ne proximus fraudem & damnum pateretur Lev. 25. v. 14. & 17. non verò iis Israelitas fuisse usos ad ætates mundi colligendas.

Obj: 6. Calvis. p. 134. Idem demonstrant anni Sabbatici, qvi ab æqvinoctio autumnali ex mandato Dei inchoabantur qvorum initium idem cum mundi initio voluit esse Deus ne semestre spatium superesset, qvod ad annos Sabbaticos non pertineret.

R. 1. Sabbaticos ab æqvinoctio autumnali incipiendos extra dubium est, Deo diserte id reqvirente. At idem initium eorum Sabbaticorum cum initio mundi esse, ne semestre spatium superesset, dico esse valde dubium, Scripturâ id nuspiam tradente. Neq; etiam creato mundo Deus ter Optimus mox Sabbaticos & Jubilæos instituit observariq; jussit, sed dudum post, qvando nimirum Israelitæ Ægypto egressi promissam terram erant intraturi. R. 2. Qvi Sabbaticos & Jubilæos προλεπτικῶς cum mundi epocha connectunt, dimidium illum annum à vere ad autumnum in hoc computo ajunt non curari. Alsted.

Obj: 7. Barthol. Cum Deus omnia creaverit bona & perfecta, creavit etiam arbores in statu perfecto, adeoq; cum fructibus maturis. Nam fructus certè mox dati sunt primis parentibus in alimentum. Gen. 1. At fructuum maturitas in autumno est. Ergo, Mense Abib fruges vere novo circa Jordanem in culmos exsurgunt, arbores autem vix efflorescunt. Sicut ergo homo creabatur perfectus: ita etiam arbores perfectæ & fructibus maturis onustæ. Ex adversariorum autem opinione seqventur, fructus arborum primum exiisse longè post creationem, adeoq; generatos semper, nunqvam creatos. R. 1. Omnes arbores herbasq; fructibus maturis in autumno fuisse onustos, hodiernæ arborum herbarumq; naturæ, qvæ à primâ creatione unicè dependet, non est consonum. 2. Hordeum certè circa festum Paschatos & triticum circa Pentecosten in Palæstinâ matura esse, ex Sacra S. clarius est qvam ut possit negari. Quarundam etiam arborum fructus in Paschate fuisse maturos, ex iis qvæ de intercalatione Judæici anni dicta sunt, manifestum est. 3. Absurdum igitur minimè est qvarundam arborum imò & herbarum fructus aliqvo tempore post creationem exiisse, adeoq; generatos non creatos fuisse. Confer argumentum nostrum primum, & qvæ ab objectionem 2. disputata sunt, & plenam hujus objecti 7. habebis enodationem.

Obj: 8. Barth. Affirmant cum Irenæo plæriq; paulo post creationem homines primos lapsos & ex Paradyso ejectos: At tum erat tempus autumnale, qvo terra præparatur ad semina recipienda; qvodqve tempus est agro colendo maximè idoneum. Dicitur autem Gen. 3. qvod Jehova emiserit eum de horto ad colendum terram ex qvà sumtus erat. R. 1. Non disputabo qvantum temporis inter primorum hominum creationem & lapsum intercesserit, cum palam sit, ex Sacris literis ἀποδεικτικῶς id ostendi haut posse Ponamus brevissimum id fuisse tempus, nec tamen propterea qvicqvã nostra sententia capiet detrimenti. Nam qvod primi Parentes ex horto dicuntur emissi vel ejecti ad colendum terram inde non statim seqvitur tempus fuisse autumnale. Etenim 1. agrum ad recipienda semina præparare non exhaurit φερὰσιν illam colere terram. Spectat etiam ad eam enascentes (ob inflictam maledictionem) steriles herbas, spinam, carduum &c. evellere, imò etiam maturos fructus tum herbarum, tum arborum colli-

gere

gere & in usum conservare, & plura alia laborum & culturæ genera. Nec 2. in textu dicitur, qvod mox ab ejectione debeat terram colere, sed suo tempore.

Obj: 9. Casp: Barth. qvod multa hoc tempore memorabilia facta sint 1. creatio mundi, lapsus primorum hominum & promissio Seminis 2. diluvium. 3, Baptismus Christi adeoq; Trinitatis manifestatio. Resp. 1. In autumno mundum fuisse creatum, hominem lapsum & diluvium factum, est adhuc in qvæstione. Mera igitur principij est petitio. 2. Nulla etiam est conseqventia. Christus baptizatus est circa autumnum &c. Ergo mundus in autumno conditus est.

Obj: 10. Authoritates perplurimas. 1. Ebræorum ut Aben Esræ filij in not. ad 7. Dan. Jonath. Chald. in Schol. ad c. 8. 1. Reg. & plurium aliorum. 2. Ægyptiorum 3. Chaldæorum antiqvorum &c. Barth.

R. 1. γενικῶς. 1. Est Authoritas saltem humana infirmum suppeditans argumentum. 2. Opponimus authoritatem plurium utpote Arabum, Assyriorum, Chaldæorum antiqvissimorum, item Eusebij, Hiero: Leonis Pontif. Strabi, Rabani, Augustini, Bedæ, Athanasij, Nazianzeni, Damasceni, Ambrosij, Theodoreti referente ipso Barthol.

R. 2. εἰδικῶς 1. Ægyptios qvod concernit, dico 1. Eorum sententiam de orbe condito in autumno, non ex traditione à mundi initio ortam & propagatam, sed ex naturâ terræ Ægyptiacæ, qvæ in autumno Nili diluvio liberata sementi apta existit. Qvod enim intellexissent orbem terrarum post κατακλυσμὸν aliqvem magnum de novo habitari & reparari cæptum fuisse, ac qvovis anno suis in terris diluvium experirentur: illud anni tempus, qvo Ægyptiaca terra aqvis exsiccatis, iterum sementem patiebatur, mundi reparati exordium existimarunt. 2. Testatur Proclus. l. 4. in Timæ. Plat. Ægyptios ὡροσκόπον τοῦ κόσμου fecisse Cancrum, eò qvod Lucida Canis cum signo Cancri oriatur. Cum igitur ipsi parum sibi constent ac propriam opinionem aliâ assertione evertant ipsorum testimonium parum valet.

II. Chaldæos verò non ab autumno ut falsò hic objicitur, sed à vere inchoare, qvod & faciunt Arabes & Assyrij, testatur Simpl. l. 5. Physicor. Arist: Nec aliter hi populi poterant, cum juxta tempus finiti diluvij qvod secundum Berosum, in vere accidit ut suprà audivimus, annos suos putarent.

Qvæſtio 2.

Qvot anni à mundi creatione ad diluvij initium effluxerint?

R. I. Calviſius Alſtedius & multi alij numerant à mundi ortu ad diluvium annos 1656. & dies 47.

II. M. Helvig. ſupputat ſaltem 1655. annos & 33. dies ab orbis conditu ad diem qvo Noach arcam ingreſſus eſt. Perparum qvidem â vero hic aberrat, malè tamen hanc ſuam ſententiam adſtruit, uti poſtmodum audiemus.

III. Puto verbis Moſaicis convenientius ſtatui, a mundi primordio elapſos annos, non 1656 uti vult Calviſius, ſed 1655. & præterea ex anno 1656. non tantum 33. dies ut ſentit Helvig. ſed menſem unum & 16. dies. Hoc dextrè ſatis ſtatuminatur. 1. Ex c. 7. v. 11. Geneſ. & ex c. 8. v. 13. & ſeq. Priori loco dicitur, qvod diluvium venerit & omnes abyſſi fontes ſe diffiderint, &c.

בִּשְׁנַת שֵׁשׁ־מֵאוֹת

in anno ſexcenteſimo vitæ Noachi. Hinc ita colligo. Si in anno 600. eiusq; menſe ſecundo, die 17. ætatis Noachi diluvium venerit, utiqve Noachus compleverat ſaltem 599. non verò 600. annum ingruente diluvio. At prius eſt verum. Ergo & poſterius. Idem probatur ex loco poſteriori, nimirum Gen. c. 8. v. 13. & ſeq. Aſſeritur enim v. 13. qvod in anno Noachi 601. & in menſe primo, primo die בְּאַחַת וְשֵׁשׁ־מֵאוֹת שָׁנָה &c. aqvæ diluvij חָרְבוּ exſiccatæ fuerint è ſuperficie terræ & qvod Noachus operculum arcæ removerit & viderit &c. Verſu verò 14. dicitur, qvod terra יָבְשָׁה exaruerit menſe ſecundo 27. die & verſibus ſeqventibus qvod ad mandatum Jehovæ Noachus ex arcâ egreſſus ſit &c. Si igitur in menſe ſecundo anni ſexcenteſimi primi ipſius Noachi, hoc eſt 601. anno ineunte aqvæ fuerint exſiccatæ, diluviumq; finitum, utiq; Noachus ingruente diluvio non compleverat annum 600. & per conſeqvens à mundi exordio ad diluvij initium non effluxerant anni 1656. & 46. dies ut putat Calviſius & qvi eum ſeqvuntur, ſed ſaltem 1655. & præterea menſis unus & 16. dies. Qvod erat demonſtrandum.

Non video qvid hic excipi poſſit, ni forſan qvis dicere velit בִּשְׁנַת innuere annum jam completum ut aliqvoties in libris Regum uſu

venit

venit. R. In libris Regum qvandoq;, fateor ingenue, hæc locutio ita explicatur ut 1. Reg. 15. v. 9. & 2. Reg. c. 9. v. 29. & alibi, ut cum illuc perventum fuerit, patefcet. Sed tum 1. fit mentio faltem annorum, nulla autem menfium & dierum adjecta deprehenditur. 2. Reqvirit imò cogit ejusmodi ἐξήγησιν alius clarior locus vel etiam plures. At verò hic res longè aliter fe habet. Nam 1. nullus poteft afferri locus vel teftimonium Scripturæ qvod ejusmodi hîc Gen. 7. v. 11. & c. 8. v. 13 explicationem evincat. Qvin potius 2. eadem locutio Gen. 7. v. 11. ufurpata c. 8. v. 13. repetitur. 3. Annus hic ita per adjectionem menfis & dierum utrobiq; limitatur ut non completus, fed inchoatus & currens intelligi & poflit & debeat. Dicitur namq; c 7. v. 11. diluvium cæpiffe in anno 600. (non fimpliciter & nude, fed mox additur) in menfe fecundo, die 17. Menfis igitur hic fecundus & dies 17. funt anni fexcentefimi, eumq; arguunt fuiffe non completum, fed inchoatum & jam currentem. Eodem modo fe res habet c. 8. v. 13. circa diluvij exitum.

II. Sententiam noftram probamus ex c. 9. v. 28. 29. Ubi afferitur, qvod Noachus poft diluvium vixerit 350. annos ut ita fuerint dies vitæ eius 950. anni. Si igitur veniente diluvio Noachus compleverat annum 600. feqvitur dies vitæ ejus fuiffe non 950. fed 951. annos.. Confeqventiæ ratio hæc eft, qvia integrum annum diluvium duravit & Noach in arcâ moratus eft. Collige jam annos qvos Noach peregit, nimirum 600. ante diluvium, 1. in ipfo diluvio & 350. poft diluvium, & emergunt 951. anni, qvod eft contra clara Mofis verba. Contra fi dixeris: Noachum compleviffe annos 599 ante diluvium, 1. in diluvio & 350. poft diluvium cum Mofe amice confpiraveris.

Excipies fortaffe an φράσιν poft diluvium non effe intelligendam de diluvij fine fed initio. Ita enim Alftedius explicat c. 11. v. 10. ne admittere cogatur Semum non fuiffe primogenitum &c R. Explicationem illam φράσεως hujus אַחַר הַמַּבּוּל poft diluvium, effe planè infulfam. Nam 1. מַבּוּל diluvium propriâ fuâ ῥήσει nihil aliud fignificat, qvam illam inundationem aqvarum, qvâ durante Noach in arca delituit. Cum ergo Scriptura dicit hoc vel illud factum poft diluvium non intelligit diluvij initium, primum aqvarum imbris illius 40. dies & 40. noctes durantis defcenfum, fed ipfum diluvium adeoq; in-

dicas

dicat tempus post diluvium vel inundationem finitam. 2. Stante explicatione Alstedij & assectarum, rectè qvis dicere posset: Noachum post diluvium integrum annum in arca vixisse. Ridiculè. Annum namq; illum non egit Noachus post, sed in ipso diluvio vel tempore durantis diluvij. Sic post diluvij initium ubi 40. dies & ultra pluvia ceciderat & aqvæ invalescere cæperant c. 7. v. 17. 18. 19. 20. 21. homines, pecudes, reptilia & volucres, in qvibus spiritus vitalis erat, aqvis diluvij suffocati perierunt, præter Noachum & qvi cum ipso erant in arcâ. Qvis verò sanæ mentis dicere sustinebit, eosdem suffocatos fuisse & extinctos post diluvium? Qvare relinqvitur hoc: Si Noachus integrum annum exegit in ipso diluvio vel tempore durantis diluvij, non spectat ille annus ad 350. qvos Noach vixit post diluvium sed est ab illis distinctus diversusq;. Qvod enim temporis spatium peregit in diluvio, id peregisse neqvit dici post diluvium.

Obj: 1. Cal. Gen. 7. v. 6. Noachum fuisse filium 600. annorum veniente diluvio. Eâ autem phrasi indicari Noachum annum ætatis 600. complevisse. R. Illam φράσεως hujus significationem non esse perpetuam. Qvandoq; enim saltem notatur annus vel tempus inchoatum & currens. E. G. Gen. 17. v. 12. habetur: filius 8. dierum circumcidetur &c. 21. Isaacus fuit circumcisus filius 8. dierum. At Lev. c. 12. v. 3. expresse dicitur: die octavo (currente scil.) circumcides carnem præputij ejus. Phrasis igitur: filius 8. dierum non infert, puerulum diem octavum complevisse, cum circumcideretur. Sic Exod. 12. v. 5. dicitur: agnum Paschalem debere esse filium anni, (latinjus, anniculum) Hic filius anni est explicante Junio & D. Brochmanno, qvi annum non excessit, etiamsi præcisè annum minimè complevisset. Nam aptus incipit esse inde ab 8. die: vide c. 23. v. 19. & Levit. 22. v. 27. Potuit ergò agnus 8. vel 9. &c. dierum dici juxta S. Sacræ stylum filius anni. Ita & hic Gen. 7. v. 6. φράσις. Noach filius 600. annorum, non evincit Noachum 600. annum complevisse, sed potuisse, non obstante φράσει, eum esse inchoatum saltem & currentem. Qvod autem hic 600. annus non fuit completus sed reverà saltem inchoatus invictè ostendit primum nostrum argumentum suprà allatum, qvo indicatur diluvium venisse anno Noachi sexcentesimo & qvidem non multò post illius initium.

Obj:

Obj. 2. M. Andreas Helvigius: annos mundi cum annis qvibus Patriarchæ liberos genuerunt, nec idem principium nec eundem finem habuisse. Cum enim Seth natus 105. annos filium Enos (forte 25. Junij) genuisset, nondum impleti erant 235. anni à mundi creatione, sed deerant adhuc 96. dies. Porrò cum Enos post 99. annos elapsos Kenan genuisset (ut apparet) 26. Martij, itidem nondum præterierant 325. anni mundi, sed desiderabantur adhuc 177. dies, ferè 6. Menses. Et ita procedit etiam in reliqvis Patriarchis. Deniq; concludit: non nisi 1655. annos à mundo condito fluxisse, hâc additâ probatione qvod ad integram hominis generationem reqvirantur 275. dies. R. 1. הוליד qvod in fonte occurrit, non significat imprægnare vel uterum implere. Id enim Scriptura honestè effert in V. T. per יָדַע cognovit Gen. 4. v. 1. & passim. In N. T. verò per γινώσκειν Matth. 1. v. 15. Sed designat hic mediante uxore prolem producere, notaturq; hac locutione nativitas prolis & ex utero in mundum ingressus. Hic ergo nullius est momenti, id qvod subdit de 275. diebus generationem reqvisitis.

R. 2. Cum varia homini fœtationis & partus sint concessa tempora, siquidem 7. 8. 9. 10. & 11. mense suos edit fœtus, qvo de prolixè Andreas Laurent. in Histor. Anat. l. 8. qvæst. 30. haut scio an sit temerarium, ne qvid gravius dicam, historiâ Sacrâ tacente, certum hujus vel illius Patriarchæ nativitatis diem determinare velle.

R. 3. Idem verbum הוליד c. 11. v. 10. & seq. recurrit. Si itaqve hæc supra ab Helvigio posita observatio & ratiocinatio alicujus esset ponderis, etiam ibidem obtineret, nec foret negligenda. At ipse inibi eam silentio prætermittit, & annos simpliciter numerat citra scrupulosam illam dierum à conceptione ad nativitatem ipsam infantis, supputationem.

Regeris: non tamen esse verisimile, omnes eodem anni tempore natos fuisse. R. 1. Sacra Scriptura hic tacet. Qvo igitur anni tempore præcisè hic vel ille Patriarcha sive conceptus sive natus sit, qvis certò pronunciabit? Supputamus annos prout Moses à Spiritu Sancto impulsus nobis præivit, cætera securi. 2. Probabilis est opinio Wilhelmi Langii pag. 253. dicentis: Mosen non ab ipso nativitatis puncto (semper) suos annos auspicari, sed ab anni initio, hoc est, à vere,

qvod natalem proximè ſeqvebatur. Patet hoc, inqvit, in Noacho. Anno namq; qvò diluvium finitum eſt ineunte, primo die, primi menſis, ſtatim incipit annus 601. Noachi cum tamen minimè certum ſit, Noachum iſto die aut tempore fuiſſe natum.

SECTIO II.

Siſtens

Intervallum temporis ſecundum.

A *Diluvij initio ad egreſſum Abrahæ ex Ur Chaldæorum anni fluxerũt 425.* Id ex Gen. c. 11. v. 10. & ſeq. ſic oſtenditur.

A Diluvio inchoato ad Arphaxadum natum elapſi ſunt anni 3

Duravit enim diluvium integrum annum ut liqvet ex Gen. c. 5. v. 11. c. 8. v. 13. & ſeq. Deinde à diluvio finito (id enim reqvirit locutio illa אַחַר הַמַּבּוּל ut ſupra monſtratum) ad natum Arphaxad effluxit biennium. Gen. 11. v. 10. Menſem qvod ſpectat & dies illos, qvi ex anno 1656. diluvium antegreſſi ſunt, qvi etiam diluvio exeunte, anni ineuntis Noachi 601. vel mundi 1657. initium extitere, eos inqvam cum biennio puto jungendos ut ita integros duos efficiant annos. Non refragatur huic meæ explicationi vox שְׁנָתַיִם biennium. Ea namq; undecies licet in Hebræo Codice occurrat, vix tamen vel ſemel integrum biennium ſignificat, ut plurimùm verò aliqvâ anni parte deficiens. Unde Spiritus Sanctus, cum duos plenos annos notari vult, שת שְׁנָתַיִם ſubjungit vocem יָמִים Fit hoc Gen. c. 41. v. 1. וַיְהִי מִקֵּץ שְׁנָתַיִם יָמִים Et fuit à fine biennij (vel duorum annorum) dierum, id eſt, Et fuit exacto juſto (vel integro biennij tempore ut rectè Jun. & Trem. Legitur præterea cum יָמִים 2. Sam. 15. v. 23. &, c. 14. v. 28. Jerem. 28. v. 3 & 11.

Ab Arphaxado ad natum Selah vel Schelachum effluxerunt anni 35

Qvia Arphaxad vixerat 35. annos cum gigneret Schelachum c. 11. v. 12.

A Schelacho ad Eberum 30

Schelach enim expleverat annos 30. qvando genuit Heberum v. 14.

Ab Hebero ad Pelegum 34

Nam

Nam Heber natus 34. annos, genuit filium ſuum Pelegum, v. 16.

A Pelego ad Regu 30

Tot namq; cum vixerat Peleus annos genuit Regu. v. 18.

A Regu ad Serugum 32

Regu enim ubi exegerat 32. annos dicitur genuiſſe Serugum v. 20.

A Serugo ad Nachorem 30

Serugo etenim natus eſt Nachor, poſtqvam is vixerat 30. annos v. 22.

A Nachore ad Thare ſunt 29

Qvippe Nachor 29. annos natus genuit Theracum v. 24.

A Thare vel Theraco ad Abram 130

Hoc qvomodo probatur poſtmodum peculiari oſtendam qvæſtione. Eſt enim majoris indaginis.

A nativitate Abrami ad egreſſum ejus, ex Ur Chaldæorum fluxerunt anni 70

Summa annorum à diluvij exordio ad egreſſum Abrami ex Ur Chaldæorum eſt 427.

Qværitur hîc: Qvot annos natus Thare genuerit Abramum?

I. Nonnulli, qvos inter Calviſius, Alſtedius, M. Helvigius & infiniti alij, acriter diſputant, Abramum fuiſſe natum 70. anno ipſius Thare.

II. Alij ut Theodoretus, Lyra, Torniellus, Calvinus, Junius, Interpretes Belgici, & multi ex Noſtratibus, cenſent Thare genuiſſe Abram, cum eſſet annorum 130. Et hæc ſententia eſt veriſſima & demonſtratur invictè. Qvia Theracus in Haran moriens fuit annorum 205. Gen. 11. v. 32. vel ultimo. Abram verò mox poſt mortem parentis Thare ex Haran egrediens & proficiſcens in Canaan fuit 75. annorum. Gen. c. 12. v. 4. & Act. 7. v. 4. Qvi 75. anni, ſi demantur ab 205. annis ipſius Thare, remanent 130. qvos natus Thare Abramum genuit.

Excipiunt contraſentientes variè, potiora, miſſis qvæ expeditæ & facilis ſolutionis ſunt, afferam.

I. Toſtatus, Pererius & ex noſtris D. Geſnerus dicunt: Abramum primò exiiſſe ex Haran ac veniſſe in Canaan adhuc vivente patre & agente 145. annum, cum ipſe eſſet annorum 75. & de hoc adventu agere Moſen c. 12. Poſt autem vel ſæpius rediiſſe in Haran ad viſendum patrem vel tunc ſaltem, cum audiret eum eſſe morti pro-

ximum vel jam obiiſſe, ad accipiendam debitam hæreditatis partem, adeoq; poſt mortem patris veniſſe in Canaan, nunqvam amplius diſceſſurum. Et de hoc adventu agere Stephanum Act. c. 7. v. 4. R. Abrahamum exiiſſe ex Haran in Canaan vivo adhuc patre & poſt ſæpius rediiſſe &c. abſq; omni prorſus Scripturæ Sacræ dicitur authoritate, eâdem igitur meritò rejicitur facilitate, qvà affertur. Moſes enim poſtqvam narraverat, Theracum ex Ur egreſſum perveniſſe Haran (Marci Craſſi clade nobilem) usq; ac ibidem conſediſſe Gen. 11. v. 31. & tandem illic, cum eſſet annorum 205. mortuum eſſe v. 32. Mox ſubjungit uno contextu, Abramum divini mandati in Ur accepti memorem, incæptum ante iter in Canaan continuaſſe & perfeciſſe ex Haran in Canaan proficiſcendo cum omnibus facultatibus & animabus acqviſitis c. 12. Ubi ipſa narratio hiſtorica non niſi unam ex Haran profectionem eamq; poſt patris mortem demum factam explicat, qvod & Stephanus Spiritu S. plenus confirmat, ut hîc nullus tum anticipationi ratione mortis Thare, tum reditibus ex Canaan in Haran & retrò, locus relinqvatur. 2. Nec reverſio illa poſt mortem Thare & acceptam hæreditatis partem, qvæ fingitur, convenit cum ἐμφάσει vocis qva utitur Stephanus, ſed de ea poſt pluribus agetur.

II. Excip. Brentius, Oſiander, Alſtedius: Guiliel. Henr. Vorſt. in obſervat. ad Chronol. Ganz: Abrahamum accepiſſe vocationem duplicem: unam in Chaldæâ Act. c 7. v. 2. & hanc ante mortem patris Thare factam: alteram in Haran Gen. 12. v. 1. & ſeq. & hanc poſt mortem patris.

R. Tum Moſes, tum Stephanus non niſi unius ejusdem vocationis faciunt mentionem. Secundæ illius, qvam in Haran Abrahamum accepiſſe dicunt, nullibi neq; Gen c. 12. neq; Act 7 ullum apparet veſtigium. Uterq; enim tum Moſes tum Stephanus vocationem illam qvam Abrahamo in Haran adverſa pars factam vult, ei aſſerunt factam non in Haran, ſed in Chaldæâ, cum Abraham adhuc eſſet in terrà ſuâ & apud cognatos Gen. 12. v. 1. Act. 7. v. 2. & 3.

Regeris

Ex verſu 1. c. 12. Gen. patère, factam hanc vocationem Abramo poſt mortem Thare, adeòq; in Haran. Ubi enim c. 11. v. 32. Moſes expoſuerat, Theracum in Haran obiiſſe, mox v. 1. c. 12. ſubnectit: Et Dominus

minus dicebat Abramo, egredere &c. qvod & Abram fecit. R. ויאמר qvod in fonte apparet, non esse vertendum in Imperfecto: Et dicebat, ut fecit Vulgatus, qvem nostra seqvitur translatio Germanica, sed dixerat, in Plusqvamperfecto: Præteritum enim (ut & futurum cum ו conversivo futuri in præteritum) apud Hebræos pro ratione contextus, modo imperfecti, modo plusqvamperfecti, imo & qvandoq; præsentis habet significationem. Observavit hoc Lutherus Jos. c. 2. v. 1. c. 10. v. 16. 1. Sam. 28. v. 3. c. 30. v. 1. & multis aliis in locis, ut de Belgicis Interpretibus & Junio, Tremellio nihil dicam, qvi vel millies ita reddiderunt. Hic autem ויאמר vertendum esse in Plusqvamperfecto, reqvirit id, qvod Jehovah dicit, abi è terrâ tuâ & à cognatione tuâ & à familiâ tuâ in eam terram qvam ostendam tibi v. 1. c. 12. qvod de Haran, ubi pauculos annos diversatus fuerat dici non potest. Ni igitur divinum hoc effatum vero sit contrarium, vertendum est ויאמר & dixerat Deus scil. cum Abramus adhuc erat cum patre in Chaldæâ patriâ suâ.

III. *Excip.* M. Helvig, 1. Stephanum non præcise numerare annos, qvot in itinere fuit, qvia ipsi alius erat scopus, nempe probare Christum esse Messiam ex semine Abrahami &c. Nec illam ex Haran traductionem sive translationem (weiter herauff Bringung uti loqvitur) solum Abramum concernere, sed etiam posteros ejus, in lumbis ejus existentes, qvi omninò post mortem Thare in terram Canaan traducti sunt. R. 1. Nec ex Stephani oratione nos probare itineris annos, sed hoc: post mortem saltem Thare Abramum ex Haran fuisse translatum, qod disertè textus asseverat, id nobis est satis. 2. De posteris Abrahæ in lumbis ejus qvi exstiterint, qvod subdit, nihil est. Nam de posteris non loqvitur Stephanus, sed de Abramo solo. Probo. De illo solo loqvitur & eum solum concernit hæc translatio Act. c. 7. v. 4. de qvo mox v. 5. dicit: nec dedit ei hæreditatem in eâ (Canaan) ne vestigium qvidem pedis. At hoc de Abrahamo verum; non de posteris ejus. Iis enim dedit terram hanc Jehovah, hæreditario jure possidendam Jos. c. 22. v. 1. & seq.

2. *Excipit* Helvig. Ut Melchisedek Heb. 7. 3. dicitur ἀπάτωρ ἀμήτωρ ἀγενεαλόγητος, non qvod revera talis fuerit, sed qvod nulla eorum in S. Sacris fit mentio: Ita Stephanus Abrahamum dicit trans-

latum in Canaan post mortem Thare non qvod jamdum reverâ erat mortuus, sed qvod c. 11 ipsius & ætas erat descripta & ipse veluti sepultus, posteà in totâ Genesi Thare ac vitæ ejus ne verbulo qvidem injiciatur mentio: R. Mira responsio. Stephanus Abramum Spiritu S. actus dicit cum Thare Chaldæâ egressum in Haran habitasse. Inde verò post mortem patris Thare in Canaan fuisse translatum. M. Hel. verò respondet, dici qvidem eum à Stephano translatum in Canaan post mortem patris, non qvod reverâ pater ejus mortuus esset, sed qvod ipsius mors ante à Mose erat perscripta &c. 1. Qvid est, si hoc non est Scripturas στρεβλῶν? Si ita Spiritus S. verba eludere licet, nihil poterit tam clarè & perspicuè dici qvin sophisticæ subjaceat. 2. Qvomodo probabis eam mentem esse locutionis Stephani? Nude hoc dici non sufficit. In universis Scripturis etiamsi studiosissimè qværieris, ejusmodi non invenies ἐξήγησιν. 3. Unde etiam hæc Melchisedeci & Thare firmabitur collatio? De Melchisedeci patre &c. nullibi in totâ S. Scripturâ qvicqvam habetur. Sed mors Thare ejusq; ætas anne Gen. c. 11. perspicuè traditur? Nec obstat, qvod posteà nullibi ejus fiat mentio: Sufficit enim semel factam, nec ulla est necessitas ut repetatur.

3. *Excipit* M. H. Illam in regione Philistinorum diuturnam peregrinationem non fuisse illam μετοικίαν de qvâ Stephanus loqvitur. Nam & post 62. annos ab egressu ex Haran cum Isaac 37. annos esset natus & Thare jam duos annos mortuus esset, fatetur tamen se advenam & peregrinum Abramus c. 23. 4. Sed biennium post, cum Abrahamus esset 140. annorum & filio uxorem ex Haran servo demandabat adductum, tum demum loqvitur ceu μετωκισμένος c. 24. v. 7. & de hac μετοικία agit Stephanus.

R. 1 Neq; nos dicimus verbo μετῴκισεν indicari vel notari peregrinationem in Philistinâ vel Cananæâ: Sed translationem, traductionem Abrami ex Haran in Cananæam. Qvod autem 2. putat antagonista μετοικίζειν excludere peregrinationem & incolatum, ac importare possessionē hæreditariam & firmam ut is, qvi dicitur μετωκισμένος verus sit terræ illius in qvâ est, possessor rechte seßhafftig und der Erb und eigen darinnen hat uti loqvitur in eo vehementer fallitur. Nam

μετοι-

μετοικίζειν notat saltem transferre de loco in locum ut fiat cum sedis & domicilij veteris mutatione & indifferenter se habet ad statum subseqventem, sive post sit civis & verus possessor sive peregrinus & incola. Videatur v. 43. hujus c. 7. Act. Ibi minatur Deus Israelitis se eos translaturum (in fonte est μετοικιῶ) ultra Babylonem, qvod & factum est & hæc in Babylonicam captivitatem migratio dicitur μετοικεσία Matth. 1. v. 11. Ergo Judæi, qvi dicuntur in Babylonem μετῳκισμένοι, ex peregrinis in Canaan, facti sunt rechte sesshafftige Leuthe die da Erb vnd Eigenthumb hetten? Contrarium est verissimum. 3. Abrahamus emissurus servum in Haran acceptum filio Isaaco sponsam, idem adhuc erat גֵּר וְתוֹשָׁב peregrinus & inqvilinus, qvem & qvalem se fatebatur c. 23. v. 4. Nec ex verbis vers. 7. c. 24. diversum evincitur ut vel nude textum inspicienti patescet. Ibi enim duntaxat divinæ suæ ex patriâ in Canaã translationis, promissionisq; de possessione terræ Canaan semini suo factæ dudum, mentionem (qvod mox post exitum ex Haran itidem facere poterat atq; fortassè etiam sæpè fecit) injicit & inde spem concipit, Deum hoc suum attentatum, hanc servi ablegationem bono eventu beaturum. Non ergo hæc vera est μετοικία qva de agit Stephanus. Plura qvidem M. H. affert, sed partim sunt nullius momenti partim etiam in objectionibus solventur; ideo nihil hic addo.

IV. Excip. Augustinus urget ἔμφασιν verbi μετῴκισε qvo non putat indicari profectionem Abrami de Charra post patris mortem sed potius collocationem ejus in Canaan eamq; vult factam anno Abrami 160. cum cœpit videre Jacobum nepotem suum, qvo cum etiam adhuc 15. annos vixit, cujus Jacobi integrum semen juxta Dei promissionem, terram Canaan hæreditario jure possidere debebat.

R. 1. ἔμφασις omninò est in verbo μετοικίζειν. Non enim significat translationem & traductionem de loco in locum nudam, sed ejusmodi ut sedes & domicilium ejus, qvi transferri dicitur, mutetur. Nam μετοικέω unde est μετοικίζω, est mutatis sedibus & domicilio transmigro. Hinc nomen μετοικεσία Matth. c. 1. v. 11. Et ita usurpatur hic v. 4. c. 7. & v. 43. Qvam verò Augustinus nobis pandit ἔμφασιν ac si non notaret profectionem, sed collocationem alicujus, ea 1. Scripturæ S. est ignota. 2. exemplis ex v. 43. c. 7. Act. & c. 1. v. 11. Matth.

11. Matth. refutatur. Vide qvæ ante Helvigio responsa. 3. Imo ex ipsius Stephani verbis & textus cohærentiâ proteritur Postqvam enim dixerat Stephanus, Abramum ad Dei mandatum è terrâ suâ & cognatione, Chaldæâ scil. exiisse & consedisse in Haran, mox subjungit: κἀκεῖθεν & illinc post mortem patris transtulit eum (Deus) in terram hanc. Est itâq; hîc terminus à qvo, qvi est Haran, & terminus ad qvem, qvi est Canaan, & motus ipse, ipsa translatio, ut ita profectio negari nullâ ratione posit. R. 2. Abrahamum videndo Jacobum qvidem in fide, qvâ innitebatur promisioni divinæ fuisse confirmatum, minimè vero ex peregrino & incolâ factum fuisse actu possessorem. Id enim neq; Isaaco, neq; ipsi Jacobo contigit, sed posteris ejus demum post 300. annos & qvod excurrit, postqvam nimirum ex Ægypto in Canaan regressi eam occuparant. Probatur hoc certo certius 1. Ex Gen. 15. v 13. Ubi Deus ipse prædicit Abramo, Semen ejus (cui Isaac & Jacob includuntur) futurum peregrinum in terrâ non suâ, & servirurum incolis ejus ac ab iis afflictum iri 400. annos. 2. Ex Jos. c. 22. v. 1. & seq. ubi asseritur, tum demum Dei promisionem fuisse impletam, qvo de supra pluribus.

V. Excipit Calvis. p. 138. Qvod ad locum Stephani attinet, longè ibi aliud agit Stephanus, qvam ut tempora supputet, vel Mosis supputationem excutiat & corrigat; sed loqvitur ibi Stephanus, qvod ad tempora & alias circumstantias attinet, secundum sententiam suorum adversariorum, qvi hæc vel ex versione 70. Interpretum vel ex Rabbinis, in Synagogis suis docebant. R. 1. Stephanus cum Mose egregiè concordat: Uterq; enim Spiritu Sancto actus locutus est. Blasphemiæ ergo proximum est, cogitare, nedum dicere Stephanum Mosis supputationem excutere & corrigere. Idem qvod Moses dicit, Stephanus magis magisq; explicat. 2. Nemo nostrum unqvam dixit Stephanum ibi v. 3. & 4. qvi allegantur, tempora supputare, sed Abrahamum ante mortem Thare ex Haran in Canaan translatum testari, qvod idem ex Mosaicæ narrationis seriè habetur. 3. Afferre hic Stephanum vel ex 70. Interpretum versione vel ex doctrinâ Rabbinorum à Mose diversa, vel ei contraria, falsissimum est. Stephanus enim Spiritu Sancto plenus locutus est.

Sed probat id Calvisius.

1. Ste-

1. Stephanus v. 14. afferit, Jacobum in Ægyptum transtulisse animas 75. cum tamen Moses binis in locis, & qvidem in specie eas numerando, 70. tantum supputet. R. Cum certum sit, & extra dubitationis aleam ἐναντιοφάνειαν qvidem in Sacris literis sæpissimè occurrere; ἐναντίωσιν verò sive veram contradictionem, nunqvam nec posse, nec debere salvâ & immotâ stante divinâ ejus authoritate admitti, nostrum non est Scripturam Scripturæ committere, sed potius summâ ope niti, ut dissonantiam tollantus, divinamq; ἁρμονίαν sartam tectam ad posteros propagemus, aut certè, si difficultatem superare non valemus, ingenuè ignorantiam nostram profiteamur. Faciunt huc aurea Justini Martyris verba in Dial. cum Triph. Judæo: Nunqvam audebo vel hoc in animum inducere, vel eloqvi, ut dicam, adversari sibi invicem Scripturas, verum si qvæ Scriptura, qvæ ejusmodi esse videatur, in medium proponatur & obtentum eum, qvasi adversaria sit alteri, habeat, omnibus modis persuasum habens, nullam Scripturam ab alia diversam esse, *ipse me potius, qvæ dicta sunt, non intelligere fatebor*. Effatum longè egregium atq; adeò dignissimum, qvod aureis literis eruditorum cordibus inscribatur. Objectam igitur ἐναντιολογίαν qvod spectat, eam, cum maximæ sit indaginis, solertissimisq; ingeniis non parum facessat negotij, postmodum peculiari qvæstione, Deo juvante, expediemus.

Probat. 2. Calvis. p. 138.

Sic inqvit, si in aliis locis non expressè diceretur, mansionem Israëlitarum in Ægypto fuisse annorum 430. ex Stephano statuendum esset, fuisse tantum annorum 400. R. Stephanum verba hæc, qvæ leguntur c. 7. v. 6. Actor. desumsisse ex ipso Mose & qvidem ex c. 15. v. 13. Genes. Si ergo Stephani narratio errandi ansam dare potuisset, Moses in eodem crimine hærebit. Cum ergo Calvisius Stephanum Mosi contrariari probat, ipsum Mosen sibimet ipsi imprudens committit. 2. Qvi verò versus 13. c. 15. Gen. & conseqventer Stephanus c. 7. v. 6. Actor. cum versu 40. c. 12. Exodi & versu 17. c. 3. Epistolæ ad Galat. optimè conciliari qveant & debeant, in tertiâ Ærâ ex professo ostendetur.

Probat. 3. Calv.

Sic Stephanus etiam dicit, Deum apparuisse Abrahamo in Meso-

potamiâ, priusqvam moraretur in Charan: cum tamen Charan sit urbs Mesopotamiæ, & Ur Chaldæorum, juxta Mosen. R. Vocem Mesopotamiæ apud Scriptores non semper usurpari in sensu strictiori, in qvantum Chaldææ & aliis circumjacentibus regionibus contradistinguitur; sed qvandoq; accipi in significatu latiori. Patet hoc ex Plinio. Is enim l. 6. c. 27. Babylonem & Ninum urbes in Mesopotamia censet, qvarum tamen illa trans Euphratem in regione specialiter dictâ Babylonia, hæc verò trans Tigrim in Assyriâ sita est. Et in hac generaliori significatione Stephanum fuisse usum voce Mesopomiæ, certum est ex ipso Stephano optimo sui ipsius interprete. Postqvam enim versu 2. & 3. dixerat, Abramum, qvum esset adhuc in Mesopotamiâ, accepisse à Deo mandatum ut egrederetur è terrâ suâ &c. mox v. 4. addit, eundem Abramum Deo obseqventem exiisse è terrâ Chaldæorum. Terra itaq; Chaldæorum tum temporis pertinuit ad Mesopotamiam, sub ejusq; complexu venit.

Atq; ita Argumentum nostrum, qvo probavimus Abramum natum anno Thare non 70. sed 130. contra varias variorum exceptiones & insultus per Dei gratiam defensum & in tuto collocatum est.

Obj. 1. Mosen expressè dicere Theracum genuisse Abramum, cum erat 70. annorum v. 26. c. 11. Genes.

R. Mosen verbis allegatis, saltem significare annos, qvos Thare natus fuit, cum primum generare cæperit: Qvem verò primum ex tribus illis generaverit, id ex his colligi non posse.

Instas ex Alstedio.

Indicatur his verbis Mosaicis natalis annus vel Nachoris vel Haranis vel Abrami. Non illius, neq; istius. Ergo hujus.

Probatur connexio Majoris: qvia Moses in hoc catalogo intendit natales annos electorum patrum ex qvibus Christus descendit, commemorare. Probatur etiam Subsumptio qvia nihil interest scire annum natalem Nachoris vel Haranis. Interest autem scire natalem Abrami electi patris à qvo descendit Christus.

R. 1. Ad majorem connexionem negando. Nam ut ante dictum, verbis illis duntaxat notatur annus qvo primùm Thare generare inceperit, adeoq; conseqventer indicatur natalis annus primogeniti. Qvis vero ex tribus illis, qvi hic recensentur, ille fuerit primogenitus, hic non exponitur, nec ex his verbis solidè haberi potest. Ut ita sentiamus

amus & respondeamus, nostrum suprà positum planè ἀδιάλυτον & invictum.

R. 2. ad connexionis probationem dicendo: assertum Alstedij (solerter aliàs & speciosè excogitatum) non esse universaliter verum. In illâ catalogi parte, qvæ versu 10. & seqventibus usq; ad 25. recensetur vel in præcedentibus Patriarchis, qvidem ita est; non verò in versu 26. & in genealogia Abrami in specie. Qvod enim in illis primogenitus semper fuerit ex numero eorum, à qvibus Christus descendit, ideò utrumq; exprimitur, & Patriarcha ex qvo Christus oriundus est, & primogenitus suo cuiq; parenti. Qvando autem ad Thare venitur, res aliter sese habet stylusq; mutatur. Cum enim ibi primogenitus non esset è numero eorum, è qvibus Christus descensurus erat, ideò qvidem pro more tempus ponitur, qvando primogenitus est natus, sed qvis ille sit, non explicatur, nec nomen ejus mox immediatè subjungitur; sed loco ejus collocatur is ex qvo Christus erat oriturus. Eodem modo res se habet c. 5. v 1. & seq. Utrobiq; enim scopus Mosis est primarius & principalis, texere genealogiam nasciturí Messiæ, vel ostendere Patres, ex qvorum semine esset descensurus humani generis Redemptor: secundarius verò & minus principalis, Chronologiam tradere & continuare. Ne igitur exinde in Chronologiâ existeret error, eaq; turbaretur, alibi vel brevi post exponit rem ipsam, unde & si citra oscitantiam scruteris, intelligi & pertexi Chronologia possit.

R. 3. ad Subsumptionis probationem dicendo 1. Nec ab Esavo descensurus erat Christus, ac ea propter, juxta Alstedium ejus natalem scire nihil intererat. Nihilominus tamen natalis ejus annus à Mose describitur Gen. 16. v. 16. Nec 2. in catalogo explicitè indicatur natalis Nachoris sive Haranis Siqvidem ex eo solo sciri non potest, qvisnam ex illis sit, qvem Thare genuit anno 70. ætatis. 3. Qvia Abrami intererat scire annum natalem, ideo etiam satis is exprimitur, etsi non hic, tamen alibi c. nimirum 12.

Inst. 2. Calv. p. 137. Cum 5. locis penè scrupulosè annos ætatis Abrahami expresserit Moses, cur in dubio relinqveret, quo anno Abram esset natus, à qvo tamen reliqvi anni ætatis ejus pendebant. R. Etsi hic v. 26. c. 11. in dubio reliqvit, mox tamen c. 12. v. 4. talia posuit,

fuit, ex qvibus per bonam conseqventiam annus natalis Abrahæ colligi potest.

Inst. 3. Qvid causæ dari potest, cum Mose dixerit: Thare erat 70. annorum, & genuit Abraham &c. si idem Abram eo anno natus non esset, sed post 60. annos demum nasciturus erat? R. Causa hæc datur, qvod ex Abrami semine Messias erat nasciturus, & vera Ecclesia in ejus posteritate permansura. Atq; ideo præponitur ipsis Haran & Nachor. Sic Isaac præponitur Ismaeli 1. Chro. c. 1. v. 27. Inprimis illustre exemplum hujus rei est Gen. c. 5. v. 32. Ubi Sem præponitur ipsi Japhet natu majori c. 10. v. 21.

Excip. ad exemp. Sem. 1. Alsted.

Japhetum non fuisse natu majorem, atqvi Sem. Verba enim אֲחִי יֶפֶת הַגָּדוֹל ita vertenda: frater Japheti major. Neq; enim epitheton הגדול additur propter Japhetum: qvia illius mentio fit incidenter. R. 1. Malè Alstedium interpretari verba Hebræa. Nam 1. הַגָּדוֹל pertinere ad יֶפֶת evincit interpunctatio vel accentuum ratio. יפת enim duntaxat notatum est servo (merca simplex qvi appellatur) qvi distinctioné nullam facit. 2. Hebræi comparativum non exprimunt per adjectivum præfixo ה: Sed ita ut sequenti voci, respectu cujus est comparativus, præfigant vel מ ut: Bona est Sapientia מִפְּנִינִים præ margaritis idest melior margaritis Proverb. c. 8. v. 11. Sic Ezech. 28. v. 3. sapiens es tu מִדָּנִיֵּאל præ Daniele idest, sapientior, vel etiam מִן sic Hag. c. 2. v. 10. Magna erit gloria domus posterioris מִן־הָרִאשׁ præ priori, id est, major. Sic Amos c. 6. v. 2 Eccles. c. 4. 9. Superlativum autem ה sepè facit, qvando nimirum substantivum, qvo cum construitur, ה articularicaret. Ut שֶׁמֶן הַטּוֹב oleum qvod bonum, hoc est, optimum Psal. 133. v. 2. Sic c. 9. Gen. v. 24. Noach evigilans rescivit, qvid fecisset sibi בְּנוֹ הַקָּטָן filius ejus qvi parvus, idest minimus. Sic Jud. 15. v. 18. & 1. Reg. 8. v. 42.

R. 2. Ratio annexa est nulla. Qvæ enim est conseqventia? Japheti mentio hic fit incidenter. Ergo הגדול epitheton non spectat ad eū. Nulla. R. 3. Esse autem Japhetum natu maximum probatur ex collatione c. 5. v. 32. & c. 11. v. 10. Illic enim Noach dicitur filius 500. annorum cum genuerit Semū. Ibi autem asseritur, qvod Sem natus 100. annos genuerit

Arphaxa-

Arphaxadum biennio post diluvium. Argumentum esto tale. Qvemcunq; genuit Noach filius 500. annorum, is fuit natus 100. annos, ingruente diluvio, cum Noach erat filius 600. annorum. Atqvi Sem non fuit natus 100. annos, diluvio ingruente. Ergo Sem non est is, qvem genuit Noach filius 500. annorum. Major suâ radiat luce. Minor probatur. Qvia Gen. 11. v. 10. dicitur Sem natus 100. annos biennio post diluvium genuisse Arphaxadum. Si ergo demum biennio post diluvium fuit 100. annorum. Ergo non adventante diluvio.

Excipit primo Alsted. Diluvium venisse 600. anno Noachi non completo, sed ineunte. Deinde biennium illud, de qvo Moses c. 11. v. 10. agit, intelligendum esse de diluvij initio.

R. 1. φεάσιν אחר המבול post diluvium propriè innuere non initium, sed diluvij finem, jam antè ostensum est in primo intervallo. Vera igitur non est explicatio Alstedij. 2. Qvod verò dicit, Noacho 600. annum ineunte, venisse diluvium, id qvidem verissimum est ut ex antedictis patet, sed propriæ adversatur hypothesi. Colligit enim à mundi exordio 1656. annos & qvidem, ut ait, completos. §. 4. pag. 9. ac initio hujus ipsius theomeratis dicit: diluvium incidere anno M. 1657. ineunte. Hoc si verum, utiq; falsum Alstedio est, diluvium venisse anno 600. Noachi ineunte. Adhibe calculum & me non fallere videbis. 3. Etiamsi concedamus ut omnino non concedimus, imò probamus, & venisse diluvium 600. anno Noachi ineunte, & biennium illud à diluvij initio pendêre, non tamen obtinet, qvod vult Alstedius. Sic enim argumentor. Si Sem fuit genitus 500. anno Noachi ineunte. Ergo fuit 100. annos natus ineunte 600. anno Noachi, atq; adeò diluvio adventante, & conseqventer non biennio post diluvium, qvod est contra Mosen c. 11. v. 10.

Excip. 2. M. Helvig. Perinde esse, sive Sem sit natu minimus, sive maximus, modo concedatur eum natum esse anno 500. ipsius Noachi. R. Hoc non concedi. Sem enim demum biennio post diluvium fuit centum annorum. Repetatur hic argumentum proximè oppositum Alstedio.

Replicat Helv.

Qvod Gen. 11. v. 10. de biennio habetur, id de diluvij exordio

 est

est intelligendum, cum Noach jussus à Deo arcam ingrederetur. R. Sit ita, stat nihilominus argumentum nostrum recto talo. Ostendam ad oculum. Ipse Helvig. 1. dicit Noachum cum arcam ingrederetur, fuisse præcise 600. annorum (Gen 600. Jahr alt p. 5. lin. 18. 19) 2. numerat à diluvio ad Arphaxad nativitatem duos annos p. 7. l. n. 3. Hæc duo si vera sunt, utiq; Noach, cum nasceretur Arphaxad, erit natus annos 602. & conseqventer Sem natus est non 500. anno Noachi, sed 502. Utcunq; se verterint antogonistæ, manet tamen certum & immotum, Semum non esse primogenitum, nec natum 500. anno ipsius Noachi.

Instan. 4. Calvis.

Si in annis nativitatis Abrami est mysterium, & ejus interpretatio dilata peculiari Dei consilio, usq; in N. Testamentum: qvæ causa hujus rei afferri potest, & qvodnam illud est mysterium, & cur non à Christo ipso vel ab Apostolis illud est explicatum? R. Gerræ Siculis gerris vaniores. Qvis somniavit, nedum dixit, in annis nativitatis Abrahæ esse mysterium, cujus explicatio in N. T. sit dilata? Sin veró id colligit inde Calvis. qvod Stephanus post mortem Thare Abramum ex Haran in Canaan translatum asseveret, hallucinatur. Nec enim Stephanus hoc primùm dixit, sed dudum antè ipse Moses, ut aliqvoties dictum, & brevi post pluribus dicetur.

Instant. 5. Calvis.

Tota certè series Chronologiæ sacrarum literarum turbaretur, & annorum reliqvorum à Prophetis annotatorum in sacris Bibliis, in seqventibus libris Mosis & reliqvorum Prophetarum in Ecclesiâ V. Testamenti prorsus nullus usus esset. Qvapropter neqvaqvam à Mose recedendum, nec historiæ hiatum hoc loco asserendo, reliqva, qvæ in Sacris continentur, in dubium vocanda sunt.

R. 1. Ubi in libris Mosaicis, imò in totis Bibliis, ejusmodi texitur catalogus, ut Gen. 5. & 11. ubi patres Christi, à tempore Jacobi ad Mosen natum, commemorantur cum annotatione annorum nativitatis? Nullibi. In libro Ruth. c. 4. v. 18. & seq. qvidem Genealogia patrum Christi, à Peretz Jacobi nepote, ad Davidem usq; pertexitur. At absq; annorum adjectione. Perturbaturne propterea series sacræ Chronologiæ? Si dixeris continuari Chronologiam, si non in patribus Christi, tamen in aliis Jacobi filiis: si non in Juda & Peretz, tamen

men in Josepho &c. At ubi pertexitur sacra Chronologia in stirpe Josephi? Annon à Josepho ingenti saltu transitur ad Mosen pronepotem ipsius Levi, qvi Josephi fuit frater. Nullibi etiam à Mose, imò ab ullo scriptore Sacro annotatur annus nativitatis Levi, hujus filii Cahathi, item ejus nepotis Amram, & pronepotis Mosis. Ideòne perturbatur series Chronologiæ & reliqvorum annorum in seqventibus libris &c. prorsus nullus est usus? Qvicqvid hic responderint, idem responsi loco ipsis reponemus, & qvidem longè melius & robore majori.

R. 2. Nego conseqventiam. Licet enim in illis verbis Gen. c. 11. v. 26. & 27. tempus nativitatis Abrami, non sit expressum, ex collatione tamen v. 32. c. 11. & v. 4. c. 12. per bonam conseqventiam optimè colligitur. Si enim post mortem Thare ducentos & qvinq; annos nati, Abraham ex Haran exierit, & qvidem habens 75. annos, seqvitur, non 70. anno Thare sed 130. Abrahamum fuisse natum. Prius est verum. Ergo & posterius. Subsumptio demonstratur, 1. ex ipsa Mosaicæ narrationis seriæ. 2. Ex clarâ Stephani Act. 7. assertione. Nos igitur non recedimus à Mose; sed Calvisius & qvi ipsum seqvuntur; non facimus historiæ hiatum, sed ipsi potius subtrahere conando 60. annos.

Obj: 2. Calvis. p. 138. Si hoc loco 60. anni insererentur, turbari annos Sabbaticos & Jubilæos, & nihil ordine gestum in hisce esset, in totâ Republicâ Judaicâ. R. Conseqventiam esse nullam. Nam anni Sabbatici & Jubilæi post Abrami nativitatem ultrà 500. annos demum instituti sunt, & observari cæpti, qvomodo igitur 60. hi anni (etiamsi extrinsecus insererentur, qvod tamen non fit. Juxta Scripturæ veræ explicationem enim spectant ad veram sacram divinitus factam annorum supputationem) possent annos Sabbaticos & Jubilæos turbare? qvomodo propterea nihil ordine in iis gestam fuisse dici potest?

Obj. 3. Cal. p. 138. Abramo miraculi instar fuisse visum, qvod anno ætatis suæ 100. esset filium geniturus Gen. 17. v. 17. Cujus admirationis certè causam non habuisset, si tam propinqvum exemplum in parente habuisset, isq; anno 130. genuisset. M. Hel. ita effert: Esse eam opinionem absonam (ungereimt und ungereimpt) cum ipse Abraham gignens anno 100. id miraculum reputet Gen. 17. v. 17. 18. c. 21. v. 5. 7. Qvi ergo posset Thare absq; miraculo (cujus tamen Scriptura S. ne verbulo qvidem meminit

minit) gignere, cum esset 130. annorum. R. 1. Jacobus genuit Beniamin jam natus annos 106. præter propter. Nec tamen Scriptura miraculi facit mentionem. Imò ipse Abrahamus post nuptias Isaaci, jam natus 140. annos, duxit Keturam, & ex eadem sustulit filios Simron, Jacksan & Median. Nec tamen Scriptura ullius miraculi meminit. Ergone erit opinio absurda, asserere Jacobum genuisse anno 106. & Abrahamum annos natum 143. præter propter? R. 2. Mirum accidit Abrahæ, qvod recordatus sit, tot se annos cum Sarâ in conjugio vixisse, neq; tamen ex eâ prolem vidisse, atq; hinc putarit, nec in posterum se visurum, promissionemq; Dei in Ismaele impletum iri. R. 3. Neq; homines unius ejusdemq; sunt naturæ virium ac roboris. Alter alterum exsuperat fœcunditate, atq; ad generandum magis est idoneus, roburq; illud virile & masc[illegible]um diutius retinet, in longævos annos & in extremam usq; ætatem. [illegible]uisse itaq; Patrem Abrami Theracum vegetiori & robustiori corpore atq; ipse fuerit Abraham, qvid obstat cur non statuamus? R. 4. Qvicqvid sit, sive Thare cum miraculo sive sine eo genuerit, de eo non laboramus, sufficit ex Scripturis certò & invictè demonstratum esse, ipsum 130. natum Abramum genuisse.

Obj. 4. Calvis. p. 138: colum 2. Ex loco Stephani neqvaqvam exactè haberi posse, qvod Abraham anno 130. ætatis Thare natus sit, cum nullibi addatur, qvod eodem ipso anno, qvo Thare defunctus erat, ipse etiam in terram Canaan translatus sit. Potuissent enim aliqvot anni intercedere, priusqvam parentis hæreditatem crevisset, composuisset, & se cum omnibus simul in viam dedisset, & nihilominus tamen Stephani verba rectè se haberent: & ita totius Ecclesiasticæ historiæ veritas labefactaretur. R. Qvamvis qvoad literam non dicatur mox eodem ipso anno post mortem Thare Abrahamum fuisse profectum in Canaan, habetur tamen κατὰ διάνοιαν. Patet hoc 1. ex Mosis & Stephani verbis & narrationis ordine. Postqvam enim Moses dixerat, Thare mortuum anno 205. ætatis, mox subjungit c. 12. v. 4. Abrahamum ex Haran profectum fuisse in Canaan. Et Stephanus dicit: μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα post ipsum mori, patrem &c. Qvod autem dicit Calvis. Potuisse aliqvot annos intercidere, & ad id dico. 1. à posse ad esse non valet conseqventia. 2. tam diu ob narrationis ordinem

nem & verborum ἐμφασιν credendum esse mox à morte Thare Abramum ex Haran abiisse, dum id esse non posse firmâ aliqvâ ratione demonstretur. 2. Probatur, mox post mortem Thare & non demum post aliqvot annorum decursum ex Haran in Canaan fuisse Abramum translatum ex Exod. 12. v. 40. & Gal. 3. v. 17. Qvi anni 430. incipiendi sunt, ex qvo Deus Abramo dixerat, ut ex terra suâ exiret &c. qvando etiam mox se Abramus & Thare in viam dederunt. Sed de illis duobus testimoniis postmodum prolixè dissseretur, ex qvibus præsentis probationis veritas elucebit.

SECTIO III
Exhibens
Intervallum tertium.

A vocatione & egressu Abrahæ ex Ur Chaldæorum ad Israëlitarum ex Ægypto exitum, anni 430. fluxerunt. Colliguntur ita.

A vocatione Abrami ex Ur Chaldæorum ad natum Isaacum sunt 30

Probatur sic, qvia à nato Isaaco ad Israelitarum ex Ægypto egressum exactè elapsi sunt 400. anni. Hos si subducas ab annis 430. reliqvuntur 30. anni. Robur & lucem hæc accipiunt ex divinorũ testimoniorum Gal. 3. v. 17. Exod. 12. v 4 & Genes. 15. v. 13. explicatione, qvam post subjungemus. Eodem modo colligitur Abramum cum parente in Haran commoratum fuisse, non 60. annos, uti garrit Alstedius, sed saltem 5. ut rectissimè Judæi statuunt. Seder Olam. Rab David Ganz.

A nato Isaaco ad nativitatem Jacobi elapsi sunt anni 60

Expresse id habetur Gen. 21. v. 5.

A nato Jacobo ad descensum in Ægyptum 130

Apparet hoc Gen. 47. v. 9.

Ab ingressu Jacobi cum familia in Ægyptum ad mortem Josephi effluxerunt 71

Ostenditur ita: adventante Jacobo in Ægyptum Joseph erat 39. annos natus. Cum enim coram Pharaone staret & somnia ipsi interpretaretur, erat annorum 30. Gen 41. v. 46. Cæperunt mox anni fertilitatis 7. iisq; elapsis successerunt 7. sterilitatis: Horum secundo Josephus Jacobum in Ægyptum accersebat, qvi etiam veniebat c 45. v. 6.

v. 6. Cum autem moreretur Josephus erat annorum 110. Gen. 50. v. 26. Ab his si subtraxeris 39. residui sunt 71.

A morte Josephi ad natum Mosen 59

Hos ita evincimus. A nativitate Isaaci ad egressum ex Ægypto exactè sunt anni 400. Hos enim 400. Gen. 15. 13. ita supputandos postmodum demonstrabo. Præsupposità hypothesi hac verissimâ, seqvitur à morte Josephi ad natum Mosen non fuisse elapsos annos 64. uti Alstedius, neq; 63. ut Bucholzerus & Calvisius, neq; 60. ut Helvigius opinantur, sed 59. Hoc qvomodo seqvatur, ostendam. Ab Isaaco nato ad mortem Josephi sunt 261. Ut ex antedictis facilè haberi potest. His si adjeceris 80. annos, qvos habuit Moses, cum educeret populum ut mox ostendetur. Anni hi collecti conficiunt 341. qvi numerus 59. annis minor est, atq; 400. illi Gen. 15. 13. Et hi 59 anni fluxerunt à morte Josephi ad natum Mosen.

A nato Mose ad exitum ex Ægypto effluxerunt anni 80

Dicitur enim Mosen fuisse annorum 80. cum Pharaonem compellaret, & Dei mandatum de dimittendis Israelis ei proponeret Exod. 7. v. 7.

Summa annorum 430.

Subnectam hic jam, ut promisi, dictorum, Gen. 15. v. 13. & Exod. 12. v. 40. ἐξήγησιν. Absq; illorum enim vero intellectu, hujus Æræ vel intervalli Chronologia est admodum dubia, ut ex annorum collectione præmissâ videre est.

Qværitur ergò hic I.

Unde 400. illi anni Gen. c. 15. v. 13. sint inchoandi?

I. Qvidam hos annos exordiuntur ab anno, qvo Abramus ex Ur Chaldæorum egressus est.

II. Nonnulli computationem inchoant ab exitu ex Haran.

III. Alij initium horum annorum ducunt ab ipso die (hoc est decennio post egressum ex Haran) qvo historia hæc ipsa Gen. 15. contigit, & in qvo Deus cum Abrahamo fœdus percussit. Verum ut unâ fideliâ tres dealbem parietes, dico sententias has subsistere non posse. Nam 1. Jehovah v. 13. expresse dicit: scito certò peregrinum futurum semen tuum &c. Hinc ita argumentor: Qvocunq; tempore Abramus semen nondum habuit, ab eo tempore 400. hi anni supputari ne-

que-

qveunt: At tempore 1. egreſſus ex Ur Chaldæorum vel 2. exitus ex Haran, vel etiam 3. editi hujus oraculi &c, Abramus ſemen non habuit. Ergo à tempore 1. egreſſus ex Ur 2 ex Haran & 3 editi hujus oraculi & initi fœderis 400. hi anni ſupputari non poſſunt. Excipitur.

Etſi multos annos Abramus poſt egreſſum ex Ur & Haran ſterilis fuerit, tamen jam tum fuiſſe declaratum patrem. Qvare ut Levi cum adhuc in lumbis Abrahæ eſſet decimatus dicitur à Melchiſedech Ebr. 7. v. 9. 10. Ita exulante Abramo, exulat ejus poſteritas, afflicta poſteritate Abrahæ, affligitur etiam ipſe Abraham. R. 1 Cum ex Ur Abram evocaretur, non mox conſtituebatur & erat pater populi, ad qvem ſpectabat promiſſio, ſed accipiebat promiſſionem, fore, ut pater ſuo ſcil tempore fieret, ut diſertè explicatur Gen c. 17. v. 4. R. 2. Si propterea, qvod poſteritas in lumbis Abrami eſſet, ea qvæ Abramo accidêre, ipſius etiam ſemini vel poſteritati accidiſſe dicenda ſunt, & contrà, multa ſeqventur inconvenientia. Sic de Abramo dicit Stephanus Act. 7. v. 8. qvod in terrâ Canaan hæreditatem non accepeſit, ne veſtigium qvidem pedis. Ergone idem etiam de ſemine & poſteritate ejus aſſerendum? Longè alia Jehova ipſe hoc ipſo capite 15. v. 16. Abramo promittit, nimirum דוֹר רְבִיעִי qvartam generationem reverſuram huc, hoc eſt in Canaan, eamq; hæreditario jure poſſeſſuram, cui & eventus reſpondit. Joſ. c. 24. v. 8.

2. Hic non niſi 400. annorum fit mentio. At ab egreſſu ex Ur Chaldæorum elapſi ſunt 430. anni, ab exitu ex Haran 425. & à tempore pacti hujus fœderis, & editi oraculi 415 Vaticinij ergo hujus de 400. annis impletio, ab illis temporibus, qvibus prædicta hæc tria facta ſunt, incepiſſe neqvit.

Excip. 1. qvidam eſſe σφάλμα ac 400. poſita pro 430.

R. Cum nullum codicem Hebræum afferre poſſint, qvi aliter legat, Onkelos & Septuaginta ita reddant, & deniq; Stephanus eodem modo alleget Act. 7 v. 6. mendum hic ſtatui neqvit.

Excip. 2. nonnulli Scripturam hic tempus non ita præciſè ſupputare, ſed ſolum ſignificare circiter 400. annos populum exulaturum. Ita enim inqvit D. W. ſolemus aliqvando definitè, aliqvando infinitè qvidpiam numerare. Alij ita efferunt eſſe hic rotundationem numeri per qvam minor numerus prætermittitur. Wilhelmus Langius

 ita:

ita: annos 400. Deum numerare non exactè, sed sicut Historici solent, numero rotundo usum. p. 261. R. Synecdoche talis qvâ minor numerus omittitur ob rotundationem, uti ajunt, statuenda non est, absq; extremâ necessitate, qvæ hic est nulla. Nam ex Gal 3. qvod allegatur, negotium non conficit, ut seqventi qvæstione videbitur.

Qvia 3. hic Abrahæ, qvod prædicitur, erat adhuc futurum. Textus enim dicit: גֵר יִהְיֶה זַרְעֲךָ semen tuum peregrinum erit in terrâ non suâ &c. Malè igitur hujus vaticinij initium refertur ad anteriora tempora egressus ex Ur, vel ex Haran, vel editi hujus oraculi.

IV. D. Affelmannus p. m. Alstedius & alij annos 400. numerant à persecutione Ismaëliticâ, qvæ contigit 5. anno à nato Isaaco, qvando Ismael Isaaco παιχνιακῶ; insultavit Gen. 21. v. 9. Gal. c. 4. v. 29.

R. Verba Jehovæ non tantum dicere, semen Abrahæ servitururum & afflictum iri; sed etiam & qvidem primo peregrinum futurum in terrâ non suâ. Isaacus autem גֵר peregrinus cæpit esse in terrâ non suâ, non demum sexto nativitatis anno, sed mox qvando natus est.

V. Rectius ergo Judæi (Seder Olam R. David Ganz) eosq; secutus Augustinus l. 16. de Civit. Dei c. 24. Torniell. Perer. Beza, Junius, Piscat. Tossanus & ex nostris Dn. Gesnerus & Dn. D. Salom. Glassius. in Rhet. sac Tract. 1. c. 17. p. 462 numerationem annorum 400. à nativitate Isaaci ordiuntur. Qvippe Isaac erat promissi seminis vel posteritatis initium, qvo in mundum ingresso, prædictio illa divina Gen. 15. v 13. impleri cæpit. Obj. annos illos 400 Gen. 15. videntur sonare in specie de captivitate Ægyptiacâ. Ergo tum demum inchoandus ille annorum numerus, qvando Ægyptum intrarunt.

R. 1. Verba Jehovæ generaliora esse, qvam ut soli Ægypto applicari possint. Dicit namq; Dominus: Semen tuum erit peregrinum בארץ לא להם in terrâ non suâ, qvæ loqvendi ratio æqvè Palestinæ atq; Ægypto convenit. 2. Qvid? qvod sæpè afflictiones sat graves Abramidæ à Cananæis perpessi sunt, anteqvam in Ægyptum descenderunt,

Qværitur 2.

Unde initium 430 annorum Exod. c. 12. v. 40. ducendum?

1. Eugebinus, Genebardus eos inchoandos volunt, ex qvo Jacobus cum filiis in Ægyptum migravit. Mornæus lib. de. ver. Rel. Ch. c. 26. dicit

26. dicit 400. annos Israelitas in Ægypto vixisse. R. Hanc opinionem refutari. 1. ex Epist. ad Gal. 3. v. 17. ubi asseritur, qvod 430. annos post factam Abrahæ promissionem & διαθήκην προκεκυρωμένην lex sit data. Lex autem data est primo anno post egressum ex Ægypto. Promissio autem facta est Abrahæ cum ex Ur Chaldæorum evocaretur Gen. 12. v. 1.

2. Qvia a descensu Jacobi in Ægyptum usq; ad egressum ex eadem anni 430. nullo modo colligi possunt. Cahath enim, qvi unà cum patre suo Levi in Ægyptum venit Gen. 46. v. 11. inibi vixit & complevit annos vitæ 133. Amram verò qvem Cahath in Ægypto genuit, qvi & ibidem mortuus est, vixit annos 137. Exod c. 6. v. 18. & 20. Moses verò filius ipsius Amram fuit annorum 80. cum ex Ægypto populum educeret. Exod, c 7. v. 6. Ex qvibus ὀφθαλμοφανερῶς patet, saltem 250 annos neqvaqvam verò 430. confici posse, etiamsi ponatur Cahath natum fuisse sub ipsum ingressum in Ægyptum, nec etiam anni subducantur (qvod tamen omninò fieri debet) qvos habuere hi patriarchæ cum genuerunt.

Excipiunt: Aliqvot patres fuisse omissos inter Cahath & Amram. R. 1. Hoc esse probandum. Non sufficit ita nude dici 2. Scriptura ubicunq; ipsius Cahath meminit, ita & non aliter genealogiam texit. Videatur Exod. 6. v. 16. Num 3. v. 17. & c. 16. v. 1. & 1. Chron 6. v. 1. 3. Plura in eadem historiâ exempla occurrere, ubi nepotes exeunt ex Ægypto, qvorum avi cum Jacobo in Ægyptum venerant, in qvibus eadem generationis ratio invenitur: ut Pallu filius Ruben, recensetur inter eos qvi cum Jacobo in Ægyptum venerunt, is genuit Eliabum. Eliab verò Dathan & Abiram, qvi perierunt in deserto. Sic Corah seditiosus nepos fuit Cahathi avi ex Jezehar: Num c. 16. v 1 & 1. Chron 7. v. 37. Hæc exempla inqvit Calvisius p. 139. evidentissimè demonstrant mansionem Israelitarum non durasse post descensum Jacobi in Ægyptum annis 400.

Obj. 1. Explicationem hanc esse contra clara textus Mosaici verba Exod. 12. v. 40. Ubi Moses non loqvitur. 1. de temporibus patrum, sed filiorum Israelis; non 2. de peregrinatione, sed de habitatione & servitute; 3. non extra, sed in ipsa Ægypto solùm. 4. Abraham qvidem in Ægyptum profectus est Gen. 12, v. 10. sed diu ibi non

est moratus, nec servituti fuit subjectus. 5. Isaacus nunqvam in Ægyptum venit idq; ex Dei interdicto Gen. 26. v. 2. 6. Jacobus 130 annum compleverat anteqvam illuc perveniret.

R. 1. γενικῶς. Cum suprà invictè demonstratum sit, filios Israëlis in Ægypto non vixisse 430. annos, hic, ne Scriptura sibi ipsi contrarietur, conciliatio qvâ optimè fieri potest, qværenda est. Puta igitur Græcam versionem sensum egregiè expressisse, qvando ita habet: ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἣν παρῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ Χαναὰν αὐτοὶ καὶ οἱ Πατέρες αὐτῶν ἔτη τετρακόσια τριάκοντα. Hoc est, Habitatio verò filiorum Israelis, qvâ habitarunt in terrâ Ægypti & in terra Canaan, ipsi & Patres ipsorum, fuit 430. annorum. Opponit se his non nemo. Ut interpreti & paraphrasti inqvit profano non licet de suo aliqvid addere & scriptori infarcire: ita nec Septuaginta Senioribus hoc licuisse. R. Fateor, interpreti incumbere ut verbum verbo, qvantum lingvæ genium patitur, reddat ac, si qvid, qvod ad genuinum sensum reqviritur, addere necessum habeat, id vel in margine ponat, vel nota al qvâ ab ipsis divini textus verbis secernat. Qvapropter Interpretes hos (qvicunqve tandem illi sunt) ab omni labe hic immunes non pronuntio: interim eos hic illud, αὐτοὶ καὶ οἱ Πατέρες αὐτῶν, & ἐν γῇ Χαναὰν, de suo extra & præter scripturam addidisse minimè largior. Qvin potius intrepidè assevero, id qvicqvid est additamenti ex ipsâ Scriptura S. unicè profluxisse. Objicis, ne verum qvidem esse qvod dicunt. Nam 1. Abrahæ 100 annos habenti natus est Isaac, qvo tempore fœdus super semen illud futurum (Christum nempe) confirmatum est, à qvo ad legem datam Paulus 430 annos numerat. Hæserat enim Abram in Canaan 25 annos ante natum Isaacum. Eos igitur annos si addas ad 430. habes 455. annos, qvibus filij Israëlis una cum patribus suis peregrinati fuerant tam in terra Canaan, qvam in Ægypto. 2. Nec etiam Abraham & Isaac sunt filij Israel nec Israel ipse sui ipsius filius.

R. 1. Verissimum esse qvod hic loci dicit Græca versio. R. 2 ad probationem 1. Inniti supputationem illam huic hypothesi, nimirum nato demum Isaaco fœdus fuisse confirmatum juxta Paulum Gal. 3. 17. eumq; inde 430. annos computare: qvam hypothesin veram non esse post demonstrabitur. R. 3. ad probationem 2. Etiamsi Abraham, Isaac & Jacob nec sint nec dici possint filij Israel, inde tamen non

non seqvitur, solos filios Israelis hic esse intelligendos. Nulla enim hic apparet exclusiva, qvâ Abraham Isaac & Jacob excluduntur. Urgemus itaq; illud vulgatum: Unius inclusio, non est alterius exclusio. Exempla hujus rei in Scripturis perqvam multa ostendit D. D. Glassius. Sufficiat nobis vel unicum illud ex Jobo c 32. v. 4. Ubi dicitur, Elihu præstolatus Jobum in verbis. Etsi hic solum nomen Jobi positum sit, ille tamen solus non intelligitur, sed etiam tres ipsius amici, ut ex seqventibus liqvet. Ponitur autem solus qvia extremo loco locutus fuerat inde à c. 26. & qvia principaliter is erat de cujus causa qværebatur & disceptabatur, inqvit. D. Sal. Glass. Ita & hic Exodi c. 12. v. 40. qvidem soli filij Israelis ponuntur, non tamen soli intelliguntur, sed etiam eorum majores, Abrahamus, Isaacus & Jacobus. Ponuntur autem hic soli filij Israelis, qvia de iis hic agitur exitusq; ex Ægypto miraculosus describitur, & quia annos hos 430. in Ægypto finierant. Inclusionem horum Patriarcharum cogit infallibilis Sacræ Scripturæ veritas, qvæ aliàs periclitaretur.

Regeris: aliâ te & qvidem meliori ratione huic malo posse mederi. Esse enim orationem hanc ellipticam, in Scripturis freqventissimam, eamq; supplendam addito עַד הָיָה ante שְׁנַת שְׁלשִׁים hoc modo: & habitatio filiorum Israël, qva habitarunt in Ægypto fuit usq; ad annû 430. Initium â qvo hi anni 430. numerari debent Moses hic non nominat, sed remittit lectorem ad ea qvæ Gen. c. 15. v. 13. hac de re dicta R. 1. Si hæc עד הי ellipsis adeò (de qvo ego valde dubito) in Scripturis est freqvens, cur ne unicum qvidem laudatur Scripturæ S. testimonium, qvo probetur? 2. Non est ἔλλειψις in Scripturis statuenda citra summam necessitatem. Aliàs qvidvis ex qvovis exsculpi poterit, atqve adeo Scriptura erit nasus cereus, qvod absit. Nec enim tam clarus erit textus, qvin hoc ratione eludi possit. 3. Certè fundamentum, cui fictæ hujus ἐλλείψεως supplementum, innititur est admodum cariosum & infirmum. Dicitur namq; Mosen remittere nos ad c. 15. v. 13. Genes. ubi initium annorum 430. monstretur. At hoc est falsum. Nam Gen. 15. v. 13. Moses ostendit initium non 430. de qvibus Exod. 12. v. 40. Sed 400. annorum, & innuit arcescendum â nato Isaaco, de qvo ante pluribus actum.

R. 2. ἀδικῶς ad 1. Mosen qvidem loqvi de filiis, non tamen ex

cludere

cludere parentes: Sed de eo jam ante. R. ad 2. Eodem modo. Habitationem illam itidem non exludere peregrinationem in Canaan & aliis terris. R ad 3. Non velle Mosen filios Israelis, exqvo cum Jacobo in Ægyptum descenderunt, ibidem 430. annos continuò habitasse. Tum enim & sibi ipsi & Paulo contradiceret; sed solius Ægypti expresse meminit, qvia 1. habitationis 430. annorum magna pars in Ægypto consumpta est. Illic enim non tantum diversis temporibus considerunt & habitarunt Patriarchæ Abrahamus & Jacobus, sed & posteritas eorem ibidem annos 210. continuò habitarunt 2. tot ac tantis prodigiis Ægypto tandem egressi diutinæ eiq; durissimæ servituti atq; adeò 430. illis annis colophonem imposuerunt. R. ad 4. Si propterea à temporibus Abrahæ annorum initium arcelci neqvit, qvod in Ægypto non servierit, utiq; nec ab ingressu filiorum Jacobi in Ægyptum hi anni numerari possunt. Nam non statim illi servierunt, sed 71. annos usq; ad mortem Josephi, imò & aliqvot annos post, suâ libertate & prospero statu gavisi sunt. R. ad 5. Isaacum nunqvam venisse in Ægyptum nobis nihil incommodat. Ex antedictis enim satis superq; elucet, solam Ægyptum non fuisse locum, in qvo 430. incolatus servitutis & afflictionis annos petegêre. R ad 6. Jacobum 130. annum complevisse anteqvam in Ægyptum veniret, verum est. At qvid inde? Nihil omninò nostram sententiam qvod tangat, nedum evertat.

Obj. 2. tam brevi temporis spatio videl. 210 annis, familiam Jacobi non potuisse in tantam multitudinem excrescere ut ex Ægypto exierint sexies centena hominum millia ad bellum apta.

R. I. Cur non posseet? annon familia hæc fæcunditatis benedictione fuit celebratissima? 2. Potuisse etiam plures citra miraculum tanto temporis spatio à Jacobi filiis in Ægypto progenerari, ostendit Alstedius pag. 12. Verba ejus ita habent: Unus ex istis Patriarchis, v. g. Ephraim, si anno ætatis 20. uxorem duxit, singulis annis potuit gignere singulos liberos. Itaq; anno 30. ætatis, habuit denos liberos. Anno 60. potuit habere nepotes 100. anno centesimo mille pronepotes: anno 120. abnepotes 10000, anno centesimo qvinqvagesimo 100000. atnepotes: anno centesimo octogesimo 1000000. trinepotes: anno ducentesimo decimo 10000000. posteros. Fac jam, liberos, nepotes, pronepotes & ab nepotes in Ægypto mortuos & posteros nondum esse armis aptos. Relinquuntur atnepotes 100000.

& tri-

ꝛ trinepotes 1000000: qvi ſummatim ſunt 1100000. Fac iterum os eſſe partim viros, partim fœminas. Relinqvuntur viri 550000. ex no Ephraimo, apti ad bellum. Hanc ſummam multiplica per 12. tot enim ſunt Patriarchæ) & exurgent 6600000. Hactenus Alſtedi- t. Idem monſtrat Calviſ. in Iſag. p. 139. & qvidem prolixius.

II. Calviſius, Alſtedius & multi alij annos hos 430. ſupputant ab greſſu Abrami ex Haran.

III. Paræus, D. Bœmius, Interp. Belgici Epocham hanc præfato- ım annorum decennio poſt egreſſum ex Haran, inchoant.

IV. R. Moſes F. Nachman. Rab. Bechai, Don Iſaac Abarbinel alii referente R. Ganz: Ex Chriſtianis D. Ludovic. de Dieu in Com- entario in Act. Apoſt. Wilhel. Lang. l. 2. de annis Chriſti cap. 4. p. 8. annos hos numerant à nato Iſaaco.

V. Seder Olam, R. Ganz. D. Affelmannus, M. Helvíg Dn. D. Salomon laſſius in Rhetor. Sacr. p. 462. numerum 430. annorum ordiuntur ex o Abramà Deo vocatus, & ex Ur Chaldæorum profectus eſt, cui ſen- ntiæ aſſurgo eamq; probo. Qvocunq; tempore Abram primum de mine benedictoaccepit promiſſioné, ab eo430. anni ſunt numerandi. Atq; cum ex Ur Chaldæorum evocaretur, primùm accepit promis- onem de benedicto ſemine.

Ergo ab eo tempore, cum ex Ur Chaldæorum evocaretur, anni 430. ſunt numerandi. Major probatur ex c. 3. v. 17. epiſt. ad Gal. bi Apoſtolus dicit annis 430. poſt factam Abrahæ promisſionem le- m fuiſſe latam. Minor itidem probatur. 1. Ex Gen. 12. v. 1. 2. 3. erba ita habent: Dixerat Jehova Abramo abi è terrâ, & à cogna- one tuâ, atq; à familiâ patris tui, in eam terram, qvam oſtendam ti- . Et efficiam te patrem gentis magnæ ac benedicam tibi, & magnifi- bo nomen tuum, adeoq; eſto benedictioni. Nam benedicam iis, qvi nedicunt tibi, & qvi maledixerit tibi eum exſecrabo: & benedictæ unt in te omnes familiæ terræ. 2. eadem minor oſtenditur ex Act. 7. v. 2. 3. 4. Fateor ſæpè qvidem Abrahæ ſemen illud benedictum iſſe promiſſum ut c. 12. & 18 c. 22. Veruntamen qvæ primum ei facta t promisſio, ea inqvam verè & propriè promisſionis nomine venit, æ poſtmodum ei facta ſunt, non promisſiones ſed repetitiones pro- isſionis ſemel factæ dicendæ ſunt.

Variè ad locum ex Gal. 3, 17. excipiunt.

I. Alſtedius inqvit promiſſio de ſemine benedicto Abrahæ facta ſeu fœdus Dei cum Abramo initum, cum ex Haran natus 75. annos migraret, deſcribitur Gen 12. v. 1, 2. 3. R. 1. promiſſionem illam tum Abrahæ primum factam cum ex Haran migraret, negamus. 2. Probationem ex Gen. c. 12. v. 1. 2. 3. pro nobis facere. Probatur hoc 1. ex ipſis verbis Moſaicis: abi è terrâ tuâ & à cognatione tuâ, & à familiâ tuâ. Accepit ergò mandatum de exeundo & promiſſionem de ſemine benedicto, non cum eſſet in Haran, ſed in Ur Chaldæorum terrâ ſuâ &c. hoc eſt, in patriâ. 2. Idem firmiſſimè demonſtratur ex Act. c. 7. v. 2. 3. Ubi non tantum mentio fit divini mandati de exeundo, ſed & additur, qvod acceperit mandatum hoc ad huc exiſtens in terrâ Chaldæorum, utpote ex qvo poſt egreſſus eſt obſecundans divino mandato.

Regeris φεάσιν ex terrâ tuâ, & generatione tuâ, non neceſſariò deſignare patriam. Cum & Gen. c. 24. v. 4. eadem occurrat, nec tamen patriam ſignificet, ſed Haran. Ibi enim Abrahamus Elieſerum juramento obſtringit, ut proficiſcatur ad terram ſuam & ad generationem ſuam adductum filio Iſaaco ſponſam. Non autem profectus eſt Elieſer ad Ur Chaldæorum, ſed ad Haran. R. 1. Toſtatus putat civitatem Haran, in qvâ Nachor & ejus progenies habitabat, Abrahamum vocaſſe terram ſuam, qvod in eâ longiſſimè fuiſſet moratus & M. Helvig. vocat Haran patriam ſcil. non nativitatis, ſed habitationis & domicilij. Verum אַרְצִי מוֹלַדְתִּי notat terram nativitatis, nunqvam tantum habitationis & domicilii. Ita igitur intelligenda & vertenda oratio Abrahami: Ito ad terram meam וּמוֹלַדְתִּי & (ו hic eſt ἐξηγητικὴ) qvæ me (mediantibus parentibus) genuit ſeu produxit. Qvæ certiſſima eſt patriæ deſcripto. Obſervavit hoc B. Lutherus Gen. 24. v. 7. ubi verba מֵאֶרֶץ מוֹלַדְתִּי reddidit: Aus meiner Heimat Rectius ergo 2. reſpondet Pererius: Abrahamum regionem, qvæ trans Euphratem eſt, & comprehendit Meſopotamiam & Chaldæam, appellaſſe generatim terram ſuam, qvod tota illa terra transfluvialis diceretur reſpectu Palæſtinæ. 3. Si vel maximè qvandoq; locutio hæc ita acciperetur, hic tamen illam σημασίαν locum habere non poſſe, ex Stephani explicatione eluceſcit.

Regeris 2.

Mosen c. 12. v. 1. & 2. ubi scripserat: & dicebat Deus Abramo, exi è terrâ tuâ &c. mox subdit, Abramum ex Haran exivisse. R. ויאמר vertendum esse non, & dicebat, in Imperfecto, sed & dixerat in plusqvamperfecto, sed de eo ante pluribus.

Regeris 3.

Cur ergo non præponitur primæ ex Ur egressioni. R. mandatum illud divinum utriusq; profectionis tum ex Ur, tum ex Haran fuisse causam impulsivam. Ponitur ergo in medio ut reddatur causa partim superioris ex Ur profectionis, partim etiam præsentis ex Haran. Qvippe illius mandati, qvo ante qvinqvennium ex Chaldæâ exiverat, memor mortuo parente denuò itineri se accingit Deo obsecuturus.

II. Excip: Paræus: Ab eo tempore annorum supputatio est inchoanda, ubi κύρωσις διαθήκης vel confirmatio fœderis facta est. Id enim verba Pauli Gal. 3. v 17. reqvirere. At illa κύρωσις non est facta cū ex Ur egrederetur, sed decennio post egressum ex Haran Gen. 15. v. 13. R. ἐπαγγελίαν promissionē & κύρωσιν διαθήκης confirmationem fœderis uno eodemq; factam tempore, adeoq; saltem differre ut pars & totum. Pepigit Deus cum Abramo fœdus adhuc in Ur existente, inq; eo ex suâ parte promisit inter alia Abramo, in semine ejus, hoc est Christo omnes gentes benedictum iri. Hoc ergo qvando credidit, & mandato ejus se obsecundaturum recepit, διαθήκη κεκυρωμένη, fœdus illud firmatum est & ratum habitum.

Regeris.

Act. 15. v. 18. dicitur: eodem die Deus fœdus cum Abrahamo percussit.

R. 1. Fœdus illud Gen. 15, 18. non concernebat benedictionem Abrami & universarum gentium in semine benedicto, de qvo Paulus Gal. 3, 17. agit, sed hæreditariam terræ Canaan possessionem. Patet hoc 1. ex versu 8. Cum enim Deus promissionem de possessione repetivisset his verbis: Ego sum Jehova, qvi eduxi te ex Ur Chaldæorum, ut dem terram, qvam possideas hæreditario jure, respondet Abram; Domine Deus qvo agnoscam me hæreditario jure possessurum? Qvibus verbis non ostendit, se dubitare de Dei promissione, sed petit confirmationem promissionis per externum aliqvod Symbolum, non tam sui, qvam posterorum causa, ut illi promissionem eò firmiori fide

amplecterentur. Huic petitioni Deus statim annuit & Symbolicam datæ promissionis confirmationem subjicit. 2. Elucescit idem ex v. 18.19 20. & 21. Ubi data promissio illustratur à terminis ipsius promissæ terræ ac populorum eam tum inhabitantium recensione.

III. D Ludo. de Dieu, Wilhelmus Lang. dicunt Paulum numerare 430. à nato Isaaco. Tum enim fœdus à Deo confirmatum est.

R. Fœderis κύρωσιν seu confirmationem, qvâ de agit Paulus factam esse cum primum Deus Abrahæ ad huc in Chaldæâ degenti, ut inde egrederetur, præciperet eiq; promitteret benedictum Semen, qvando etiam Abramus ei fidem habebat & obedientiam promittebat. Hoc ut melius intelligatur, notetur: κύρωσιν διαθήκης vel fœderis confirmationem dupliciter accipi: vel enim signat fœderis, qvod pangitur, ratihabitionem, cum utraq; pars conditionibus utrinq; oblatis & acceptis acqviescit, atq; sic fœdus ratū habet, & hæc est propria significatio; vel notat fœderis conclusi & ratihabiti expletionē, cum id, qvod in fœdere vel reqvisitum vel promissum à patribus confœderatis, efficitur sicq; fœdus servatur & continuatur qvæ significatio est popularis & minus propria. Non loqvitur Paulus de posteriori, sed priori fœderis κυρώσει seu confirmatione, qvâ fœdus fuit integrè sancitum & ratificatum. Probatur hoc inde, qvod juxta Apostolum ἐπαγγελία & κύρωσις διαθήκης unoq; & eodem tempore facta sint. Jam autem negari non potest promissionem de benedicendis gentibus in Abramo, hoc est, semine ejus Gen. 22 v. 17. qvi est Christus Gal. 3. v. 16. factam fuisse in Ur Chaldæorum. Tum enim primum promissio ea fuit promulgata, licet posteà aliqvoties fuerit repetita ut c. 18. v. 18. c. 22. v. 17. &c.

Reponis:

Dici fœdus hoc confirmatum in Christum. Hoc autem tum demum factum cum Isaac natus est, de qvo scriptum est: In Isaac vocabitur tibi semen c. 21. v. 12.

R. 1. Negamus nato Isaaco demum fœdus confirmatum in Christum. Nam προσδιορισμῷ illo, εἰς Χριστὸν, nihil aliud Apostolus indicat, qvam Deum cum fœdus cum Abramo iniret & sanciret, respexisse ad Christum ceu fœderis illius fundamentum & causam meritoriam, qvi nobis integrâ suâ obedientiâ benedictionem acqvisivit, in

qvem

qvem etiam nos credere oportet, si qvidem illà acqvisità benedictione uti frui velimus. Qvæ igitur consequentia. Jehova, cum sanciret fœdus cum Abrahamo respexit ad Christum. Ergo hoc tum demum factum est cum Isaac nasceretur? R. 1. Probationem ex c. 22. v. 12. Gen. esse nihili. Nam eo duntaxat significatur, ex Isaaco, non autem ex Ismaele nobilissimum illud semen, in qvo gentes benedicendæ sunt, proventurum. Inde autem minime seqvitur, κύρωσιν διαθήκην de qvà Paulus agit, factam demum nato Isaaco. Qvæ enim est connexio? Semen, in qvo gentes benedicentur, ex Isaaco non ex Ismaele proveniet. Ergo κύρωσις διαθήκης Dei cum Abramo facta est Isaaco in lucem edito. Argumentari possumus eodem modo & forte melius. Ex solo Jacobo, non ex Esavo Semen illud promissum in qvo gentes benedicentur, provenit. Ergo fœdus confirmatum est in Christum, nato Jacobo. Ut igitur hic nulla est cohærentia, nulla seqvela. Ergo nec illic.

Obj. c. 15. Gen. Sane ubi Deus de 400. annis loqvitur, post qvos Semen Abrami terram Canaan possidere debebat, expressis verbis indicat Isaacum illic qvoq; indigitari. Verba sunt: Scito certò semen tuum alienum futurum &c. v. 13. R. Concedimus hæc de Isaaco qvoq; intelligenda esse, imò ab Isaaci nativitate unicè 400. annos numerandos jam ante qvæstione præcedenti probavimus. Inde autem concludi neqvit 430. annos Gal. 3. v. 17. à nato Isaaco esse supputandos, sed potius contrarium. Si enim à nato Isaaco ad legem datam vel egressum ex Ægypto fluxerunt 400. anni, utiq; non 430. At prius est ex Gen. 15, 13. Ergo.

Qværitur 3.

Qvomodo concilianda ἀντιλογία qvæ videtur esse inter Mosen Gen. 46. v. 27. Exod. 1. v. 5 Deut. 10. v. 22. & inter Stephanum Actor. 7. v. 14? Cum secunda in Ærà disputarem contra Sethum Calvisium qvædam ex apologia Stephani Act. 7. allegantem qvibus conatur probare protomartyrem hunc nonnulla ex Rabbinis, non verò ex Scriptis θεοπνεύστοις afferre, promisi me hoc in tertio Intervallo ἐναντιοφανειαν hanc sub examinis incudem revocaturum. Ut igitur fidem liberem, jam jam rem ipsam Deo aggrediar adjutore variasq; de eà opiniones in medium proferam, ut ita contrariis juxta se positis veritas magis ma-

gisq; patescat. I. Eugebinus in recognitione V.T. ad veritatem Hebr. super. c. 46. Genes. contendit numerum qvinarium septuagenario mendosè esse adjectum inscitiâ vel incuria librariorum non solum in versione LXX. Interp. h. l. sed etiam Act. 7 v. 15. Paræus dicit: Stephanum dixisse & Lucam scripsisse 70. Locum verò fuisse depravatum à librariis. R. 1. Versionem LXX. Interp. qvod concernit, concedo πέντε illud fuisse adjectum & qvidem perperam. Testatur enim Hieronymus olim apud LXX. Interp. qvinarium illum numerum non fuisse. Hoc si verum est, additamentum certè negari haut potest, qvod etiam malè id se habeat, ex iis qvæ postmodum afferentur, videre erit. R. 2. Locum in Actis c. 7. v. 14. depravatum fuisse omninò negamus. Reclamant enim 1. omnes codices. Qvippe qvi constanter 75. legunt. 2. antiqvissima translatio Syriaca, qvæ eundem numerum habet.

II. D. Osiander in glossis marginalibus aït Stephanum 70. Interp. versionem secutum fuisse, R. Stephano rem fuisse, non cum Græcis, sed cum Ebræis, & qvidem coram Synedrio in ipsa Hebræorum metropoli hoc est, Hierosolymis. Nullatenus, igitur verisimile est, eum relicto textu Hebræo vel παραφράσει Chaldaicâ, voluisse seqvi Græcam LXX. versionem eamq; corruptam. Et si fecisset, qvi morsus & calumnias auditorum sibi infensissimorum effugere potuisset.

III. Hieronymus, cui perqvam multi assentiuntur, vult Lucam secutum fuisse LXX. Interpretes, qvi 5. personas de familiâ Josephi annumerarunt, nepotes videlicet ejus tres, unum ex Manasse appellatum Machir, duos ex Ephraim appellatos Sutalaam & Taam, duosq; pronepotes alterum ex Manassis filio Machiro, Galaadum, alterum ex Ephraimi Sutalaamo, Edamum. Cur vero S. Evangelista Lucas maluerit uti versione 70. Interp. qvam fontibus Hebraicis, Hieronymus ita explicat: non debuisse Lucam scribere contrarium aliqvid scripturæ LXX. qvæ jam fuerat gentibus divulgata, qvorum autoritas illo tempore major erat, qvam Lucæ, qvi ignotus & vilis nec magnæ fidei in nationibus ducebatur. R. 1. Hac ratione Lucas scripsisset diversa ab iis, qvæ Stephanus disseruerat, qvod in Historiographo profano non toleratur, nedum in sacro. Qvod autem annectitur, non debuisse Lucam scribere contrarium LXX. versioni, id puto limitandum,

in-

in qvantum scilicet LXX. Interp. versio textui Hebræo ceu fonti non adversatur. Al às certè nemo non videt majorem fontis & ipsius veritatis rationem Stephanum non duntaxat habere debuisse, sed & reverà eum habuisse, qvam versionis extra dubium in multis depravatæ. Accedit, qvod Lucas non solum gentibus & Græcis &c. sed & ipsis Judæis, & Ebræis scripserit. Verosimile itaq; non est, ipsum ne Græcos offenderet, seposito fonte Ebræo vel paraphrasi Chaldaicâ, vitiosa Græcâ versione usum fuisse. Hoc enim modo Hebræis verè offendiculum præbuisset, cum contrà Græci si fortè offensi fuissent, scandalum non dantum sed acceptum fuisset. Quid? qvod Lucas scriptione Evangelicæ historiæ jam tum fidem & autoritatē sibi acqvisierat: utpote qvi Paulo jubente vel etiam, juxta nonnullos, dictante Evangeliū scripserat, cujus etiam testimonio ut & aliorum Apostolorum adhuc superstitum, comprobatum fuit: ut vix dici possit, Lucam acta Apostolica exarantem & divulgantem fuisse ignotum, vilem, nec magnæ fidei in nationibus. R. 2. Nec ipsius verba permittere ut statuamus Lucam Græcà usum versione. Ait enim Josephum misisse & accersivisse Jacobum patrem & cognationem &c. At potuerunt ne in Ægyptum accersi & cum Jacobo illuc proficisci, qvi nondum erant in rerum naturà, sed adhuc latitabant in lumbis filiorum Josephi, jam tum in Ægypto existentium & longè post nascebantur?

IV. Epiphanius, Franciscus Junius censent, comprehendi 75. numero uxores 4. Jacobi & duo filios Judæ Ger & Onan. Jacobum autem excipi. Et ultimum hoc innuere verba Græca, qvæ ita habent: accersivit patrem suum & cognationem suam in animabus 75. Esse enim ἐπέμψεν articuli Græci statuendum ac si legeretur: καὶ πᾶσαν συγγένειαν αὐτοῦ τὴν ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα,

R. Ger & Onan jam ante Dominus in terrâ Canaan exstinxerat, ut patet ex Gen. 38. v. 7. & 10. & mulieres 4. Jacobi itidem obiisse admodum est probabile. Nullibi enim cum de descendentibus in Ægyptum agitur, earum fit mentio. Moses qvidem Gen 46. v. 26. numerum 66. ponens expressè uxores filiorum excipit, at uxorum patris Jacobi ne verbulo qvidem meminit. Hinc Luth. in Chronol. Vor diesem Zuge sind gestorben Lea, Bilha, Zilpa. Denn derselben keine kempt mit in Egypten. Hi omnes cum jam ante fuerunt vitâ defuncti, qvi ad descen-

ſcenſum in Ægyptum potuerunt invitari? qvomodo Ægyptum potuerunt ingredi & ibi mori? Dicit enim Stephanus expreſſe: accerſivit Joſephus Jacobum patrem ſuum & omnem cognationem &c. qvi omnes etiam in Ægyptum deſcenderunt & ibidem demortui ſunt.

V. Valdè probabile eſt, Stephanum non præciſè allegaſſe v. 27. Gen. 46. vel v. 5. Exod. 1. ſed ex re ipſa tum reverà factâ, hoc qvicqvid dicit, à Spiritu S. actum in medium attuliſſe. Cum enim non ſoli filii & nepotes Jacobi in Ægyptum à Joſepho & accerſiti ſint & venerint, ſed & eorundem uxores, qvæ in vivis fuere, puto Stephanum 66. illis viris Gen. 46. v. 26. annumeraſſe 9. mulieres, qvæ loco citato Moſes exceperat. Regeris 1. fuiſſe 11. filios Jacobi, qvi ſuâ cum familiâ unà cum patre Jacobo in Ægyptum deſcenderunt. R. Uxorem Judæ jam ante in terrà Canaan deceſſiſſe clarè traditur Gen. 38. v. 12. & credibile eſt ipſum manſiſſe viduum inprimis ob commiſſum inceſtum cum Thamare, Gen. 38. v. 15. & ſeq. Ex reſiduis unam adhuc ante deſcenſum in Ægyptum, è vitâ migraſſe itidem eſt probabile, qvæcunqve etiam & cujuscunq; uxor fuerit. Qvicqvid ſit & qvomodocunqve res illa ſe habeat, plures 9. non fuiſſe ex Stephano colligitur. Si enim πᾶσα συγγένεια Jacobi, qvæ accerſita cum Jacobo in Ægyptum venit, fuit 75. animarum juxta Stephanum & Lucam; eorum verò qvi è femore Jacobi egreſſi ſunt, 66. juxta Moſen Gen. 46. v. 26 ſeqvitur mulieres non plures atq; 9. fuiſſe. Mulieres enim eorum unà in Ægyptum deſcendiſſe eſt extra dubium. Regeris 2. Ex Moſe id haberi non potuiſſe. R. Nec in Moſe extare, qvo nomine appellati ſint magi, qvi Moſe reſtiterint, cum coram Pharaone à Deo juſſus miracula patraret. Unde igitur Paulus ſcire & ſcribere potuit eos vocatos fuiſſe Jannes & Jambres: ex eodem fonte & Stephanum hæc ſcire & proferre potuiſſe. Regeris 3. συγγένειαν notare ſaltem conſangvineos, non vero affines. R. Negatur. Nonnunqvam enim ſumitur γενικῶς & ſuo ſignificatu complectitur etiam affines. Adjectivum συγγενὴς ita accipitur Rom. 9. v. 3. Mar. c. 6. v. 4. & Luc. 1. v. 58. (imò qvãdoq; æqvi pollet τῷ κηδεστὴς, κηδεμὼν & notat affinem vid. Steph.) Cur non etiam ſubſtantivum cognatum συγγενεία eandem ſignificationem haberet? Ita uſurpatur qvoq; Act. 7. v. 3. Ubi jubetur Abramus exire è terrâ ſuâ, & ἐκ τῆς συγγενείας σου. Hic vox συγγενείας uxores

uxores cognatorum & ſangvine Abrahamo junctorum non excludit, ſed includit. Eodem modo ſe habet Lucæ 1. v. 61. & alibi. Eadem ratione nodum hunc ſolviſſe Cl Langium & ante ipſum virum reverendum & doctiſſimum Dn. M. Danielem Michaëlem p. m. ſuperattendentem Diæceſeos Guſtrovienſis ante paucos annos, vidi poſtqvam antedicta in chartam conjeceram.

SECTIO IV.
Proponens
Intervallum qvartum.

AB egreſſu filiorum Iſraelis ex Ægypto ad primi templi à Salomone exſtructi fundationem anni 479. menſis unus, & dies unus elapſi ſunt. Salomo enim Rex Iſraelis anno regni ſui qvarto, hoc eſt anno 480. menſe ſecundo & qvidem die ſecundo ab exitu Iſraelitarum ex Ægypto templum ædificare cœpit & fundamentum jecit. 1. Reg. 6. v. 1. & 37. 2. Chron. c. 3. v. 2. & 3. Colliguntur autem illi anni hoc modo.

Ab exitu ex Ægypto ad ingreſſum in Palæſtinam fluxerunt anni 40

Tot enim annos Ægypto egreſſi hinc inde in deſerto Iſraëlitæ peregrinati ſunt, ut patet ex Deuter. c. 1. v. 3. collato cum c. 33. v. 38. Numer. Ejusdem numeri 40. Paulus meminit in Act. c. 13. v. 18. Evincitur & ita: Cum Moſes coram Pharaone ſtaret, & cum ipſo de dimittendis Iſraëlitis loqveretur, erat annorum 80 ut Exod. 7. v. 7. docetur. Moriens autem, cum jamjam Iſraelitæ ductore Joſua Jordanem eſſent tranſituri, 120. annos natus erat. Deut. 31. v. 2. & c. 34. v. 7. Deme 80. annos ab 120. & habes 40.

Ab ingreſſu duce Joſua populi Iſraelitici in Canaan, ad ſervitutem primam ſub Cuſchane Riſathaim Meſopotomiæ Rege effluxerunt anni 26

Populum qvot annos Joſua gubernarit in Scripturis non exprimitur & eruditi de eo vehementer variant. Joſephus ipſi tribuit annos 25. Clemens Alexandrinus & Euſebius 27. Seder Olam 28. Lucilus 17. Rab. Maimon 14. Cajetanus 10. Arbitror ego aſſignandum Joſuæ annos 17. Senioribus poſt ipſum 6. & ſpatio illi inter horum mortem & primam ſervitutem ſub Chuſchan Riſataim 3. annos. Acta

N namq;

namq; Josuæ plures videntur reqvirere annos, atq; 10. illos Cajetani. Deinde Jos 24. v. 31. & Judic. c. 2. v. 10. expressè dicitur; Seniores defuncto Josuâ, dies suos prolongasse. Deniq; aliqvod temporis vel annorum spatium fuisse inter mortem Seniorum & primam servitutem, liqvet ex Jud. c. 2. v. 10. 11. 12. & c. 3. v 5. 6. 7.

Ab initio servitutis sub Chuschan Risataim ad Athnielem liberatorem anni elapsi sunt 8

I. Calvisius & multi alij numerant à morte Josua, ad mortem Athnielis 40. annos, qvibus terra dicitur qvievisse. c. 3. v. 11. ac putant Athnielem post 18. annos Seniorum, constitutum fuisse Judicem ac regnasse 22. annos. His 22. annis includunt annos 8. qvibus Israëlitæ Cuschani Risathaim servierunt, & statuunt Athnielem vigesimo nono illorum 40 annorum bellum intulisse Regi Mesopotamiæ Cuschani, ac jugum externæ dominationis avertisse. R. 1. Asseritur Judic c. 2 v. 18. Deum fuisse cum Judicibus ac per eos Israëlitas servasse è manu hostium, & qvidem, omnibus diebus vindicis illius. Hoc si verum (est autem verissium) utiq; verum esse neqvit, Athniele existente duce & vindice, à Cuschane Risathaim servitutis jugum Israëlitis impositum, eosq; id portasse annos 8. ac demum elapsis iis, ab Athniele fuisse remotum. Si *exceperis*, id qvod dicitur c. 2. v. 8. respicere saltem tempus, qvo Judex à Deo excitatus fuit ad liberandum populum, non verò qvo primum à populo Judex electus est.. R. Probetur Athnielem fuisse judicem electum à populo 11. annis, anteqvam Deus ipsum excitavit & populi judicem & vindicem constituit. Ex Scripturâ Sacrâ, (imò ne qvidem ex Josepho,) id ostendi neqvit. R. 2. Qvies illa 40. annorum seqvitur liberationem populo per Athnielem acquisitam. Qvomodo igitur 40. illis annis, anni regiminis Seniorum & 8. servitutis includi possent?

Excipis: verba de 40. annorum qviete malè verti. Non enim ea esse vertenda: terra qvievit 40. annis, sed ad qvadragesimum annum. R. Video qvidem ita reddidisse Tremellium & Junium non solum hic c. 3. v. 11. sed etiam v. 30. & c. 5. v. 31. & c. 8. v. 28. Verum vitiosè & perperam id factum assevero. Nam 1. עד in Hebræo textu non apparet. Versioni igitur non erat infarciendum. 2. Nec ἐλλειψις

statu-

statuenda est citra summam necessitatem, qvæ hic apparet nulla. Possumus enim aliter & longè melius rem expedire absqve ejusmodi ἐλλείψει. 3. Cur non affertur vel unicus locus, qvo evincatur ἔλλειψις τοῦ עד in ejusmodi locutionibus. 4. Si עד esset subintelligendum Spiritus Sanctus vel semel in qvatuor his locis expressè posuisset. 5. Imò si vel maximè aliàs in SS. usitata & probata esset ellipsis τοῦ עד, his tamen in locis eam esse non posse, probat annorum computatio. Multi enim tum anni deficerent. Qvod autem Judæi, Calvisius & qvi eum seqvuntur, annos Eli & Simsonis distinctè & seorsim numerent & sic defectum suppleant, in eo hallucinari eos postmodum ostendetur.

II. Abraham Bucholzerus & M. Helvigius dicunt, octennium illud, qvo Cuschani Risathaim servitum fuit, includendum esse 40. illis annis qvibus terra qvievit & Athniel regnavit. R. 1. Ex v 9. 10. 11. c. 3. patet octennium illud præcessisse liberationem per Athnielem præstitam, ac 40. qvietis annos eandem secutos fuisse. Inclusio ergo illa octennij hic locum habere non potest. 2. Nec locutio: terra qvievit: eam inclusionem admittit. Si enim Athniel elapsis annis apostasiæ Israelitarum à Deo, & eam secutæ servitutis 8. annorum, prodiit in bellum contra Cuschanem, eumq; bello compescens servitutis jugum excussit & libertatem recuperavit, qvod dicitur v. 10. certè non apparet, qvomodo terra 40. annis qvieverit, qvod tamen itidem asseritur v. 13. 3. Athnielem 40. illos annos, qvibus terra dicitur qvievisse, regnum administrasse, probari non potest. Nec enim hic dicitur Athnielem Israelitas judicasse 40 illis annis, ut legitur de Jephtha c. 12. v. 7. & de Ebsan. v. 10. de Elone v. 11. & de Abdone v. 14. de Simsone c. 15. v. 20. & c. 16. v. 31. & de aliis, sed dicit, terram qvievisse 40. annos. Qvæ distincta cum sint, minimè sunt confundenda.

Regeris: attamen immediatè connectitur mors Athnielis cum fine 40. annorum. Dicitur enim: Et qvievit terra 40. annis, & mortuus est Athniel.

R. I. Vir doctissimus W. L. putat ita legendum: Et qvievit terra 40. annis. Et mortuus est Athniel filius Kenas, & Israelitæ perrexerunt malum facere in oculis Domini. Ita enim, ait, ista combinantur c. 2 v. 19. Cum moreretur Judex, retrocedebant & magis perversè agebant &c. At hac ratione interpunctatio qvæ in sacro textu

conspicitur, violatur. Non enim post illa verba: terra qvievit, ponitur Sophpasuk, vel vox הארץ habet Sylluk, sed Athnach. Post illa igitur verba non ponendum est punctum, sed duo saltem puncta Prætereà verba: & mortuus est Athniel, non conjunguntur in textu Hebræo cum illis: Et Israelitæ perrexerunt malum facere &c. Hæc enim novum versum 12. scil. inchoant: illa autem, & mortuus est Athniel, versum undecimum finiunt. Qvod ex c. 2. v. 19. adducitur hanc distinctionem non firmat. Nam hic c. 2. v. 19. in ipso fonte extra omne dubium ita cohærent reqvirente id accentuatione. Contrà autem c. 3. v. 11. distinctio apposita aliter nos edocet. Non ignoro qvandoq; non obstante Silluk, videri combinenda verba, cum verbis versus seqventis, hic tamen ut illuc veniatur nullam reor esse necessitatem.

R. igitur 2. Etiamsi mors Athnielis, uno eodem versu 11, qvo qvies 40. annorum narratur, comprehendatur, inde tamen non seqvitur non nisi elapsis 40. qvietis annis Athnielem fuisse mortuum. Separatur enim mors Athnielis à qviete 40. annorum accentu Athnak post Silluk omnium maximè distinguente. Verterem itaq; versum 11. & 12. ita: Et qvievit terra 40. annis: Verum Athniel mortuus erat (non elapsis demum illis 40. annis, sed longè ante.) Seqvitur v. 9. 12. Cum verò Israelitæ (mortuo scil. Athniele) adjecissent facere malum in oculis Jehovæ, etiam roborabat Jehova Eglonem Regem Moabitarum contra Israelem &c.

Liberationem Israelitarum per Othnielem præstitam seqvuntur anni, qvibus dicitur qvievisse 40

Post mortem Athnielis explicatam refertur Israelitas in peccata & idololatriam relapsos Egloni serviisse 18. annis c. 3. v. 12. 13. 14. Qværitur qvid cum illis faciendum? R. 1. Sunt qvi eos seorsim & distinctè numerant. Ita Judæi ut ex Josepho patescit. Verum qvo minus hoc fiat, reclamant clarissima verba 1. Reg. 6. v. 1.

II. Calvisius includit eos annis 80. qvibus post liberationem per Ehudem factam, terra qvievisse legitur c. 3 v. 30. Dicit enim Calvisius ab hoc tempore (scil. à fine 40. annorum v. 11) numerantur anni 80. usq; ad mortem Ehud Judicis, cui hi 80. anni tribuuntur. Inserit igitur his secundam Israelitarum sub Eglone Moabiarum Regee servitutem, cui subjecti fuerunt 18. annis c. 3. 14. eamq; servitutem vult incho-

inchoatam 16. anno gubernationis 80. annorum Ehudis &c. R. 1. Repetantur huc omnia mutatis saltem mutandis, qvæ antè ei circa 40. annos qvietis erranti opposita fuere. 2. Perqvam libenter scirem, qvid causæ sit cur præcisè apostasia Israelitarum in 16. anno octuaginta illorum annorum, servitutis initium figatur & non in anterioribus vel posterioribus?

III. Bucholzerus & Helvig. servitutem 18. annorum annumerant 80. annis Ehudis. R. Eundem errorem repetentibus, eandem, qvæ suprà data est, responsionem obvertimus.

IV. Rectius servitutis 18. anni includuntur 40. illis qvíetis c. 3. v. 11. Objicis. anni afflictionis & angustiæ nec sunt, nec dici possunt anni qvietis. Anni servitutis fuere anni afflictionis & angustiæ. Ergo anni servitutis nec sunt nec dici possunt anni qvietis. Probatur major ex ῥητῶι שָׁקְטָ הָאָרֶץ qvievit terra, qvæ significat, incolas terræ Israeliticæ, servitutis & afflictionis, qvam ab hostibus antè erant perpessi, per manum vindicis jam expertes pristinâ tranqvillâq; gavisos fuisse libertate. R. 1. Negamus majorem. R. 2. ad probationem majoris, ῥητὸν שקטה הארץ justo angustius explicari. Cùm enim hic dicitur terram qvievisse 40 annis, significatur γενικῶς incolas terræ Israëlitas recuperatâ per vindicem libertate pristinâ, armis abstinentes bellum non gessisse. Qvi ipse ῥητῶς hujus sensus servitutem non respuit, sed optimè cum eâ stare potest. Innuitur enim eâ 1. Israelitas cæsis & profligatis per vindicem à Deo excitatum hostibus, positis armis acqvievisse. 2. Eosdem in cetera scelera relapsos novâ novi hostis irruptione à Deo mulctatos, conscientiâ delictorum exterritos neq; libertatem propugnare, neq; amissam recuperare ausos, sed servitutem & qvæ eam comitantur hostilem injuriam tolerasse.

A fine 40. annorum qvietis primæ qviescit terra iterum annos 80

Annos 20. servitutis sub Jabine Rege Cananæo, qvorum mentio injicitur c. 4. v. 3. Calvisius includit seqventibus 40. annis Deboræ & Baraki; idem faciunt Bucholzerus & Helvigius. Sed malè. Servitus namq; hæc 20. annorum, antegreditur liberationem per Barakum factam & conseqventer etiam 40. terræ qvietem, cònfer qvæ superius dicta sunt, Rectius ergò includuntur præcedentibus 80. an-

nis qvietis secundæ, qvâ terra, recuperatâ per Ehudem libertate, qvievisse dicitur.

A fine qvietis 80 annorum & liberatione è servitute Jabinis per Deboram & Barakum tertiò terra qvievit Jud. c. 5. v. 31. annos 40

Annis his 40. includendos putamus 7. annos qvibus Israelitæ à Midianitis afflicti fuerunt. Calvis. Bucholz. Helv. g. seqventibus annis 40. Gideonis annumerant. Perperam. Nam qvod 7. hi servitutis anni antecesserint 40. qvietis annos diebus Gideonis ut loqvitur textus c. 8 v. 28. & qvod 40. hi anni, qvibus Gideon populum judicavit, à tempore cæsorum Midianitarum & parte libertatis sint inchoandi, negari neqvit. Qvippe ante illud tempus Gideon nullius aut certè perqvam parvæ erat autoritatis & existimationis, nec Judicis munere functus.

A tempore deletorum Midianitarum per Gideonem qvievit terra, dum Gideon vixerit, annos Jud. c. 6. 7. 8. 40

Gideone mortuo Abimelech regnavit annos cap. 9. 3

Post hunc Thola filius Puæ c. 10. 23

Deinde Jair populum judicavit annos c. 10. v. 3. 22

A morte Jair seqvitur servitus sub Philistinis & Ammonitis annorum c. 10. v. 6. & seq. 18

Calvisius servitutem hanc incipit 17. anno Jairis, atq; eis (18 scil. annis) finitis ponit Jephthaeum. Annos ergo 6 de 18. illis includit regno Jairis. Bucholzerus verò totos illos 18. servitutis annos includit annis 22. Jairis atq; incipit eos qvarto ejus regiminis anno. Helvigius verò dicit, 18. annos hos referendos esse ad gubernationem Jairis & ad initium Jephthæ. 1. R. Et ipsa textus cohærentia & horribilis inprimis Israelitarum defectio & Idololatria monstrat, non nisi post mortem Jairis ἀποσχεῖσαν hanc Israelitarum & conseqventer servitutem 18. annorum accidisse. 2. Nec Jephthæ initio ut Helvigius vult pars annorum 18. inseri potest. In exitu enim illorum Jephtha nuntios misit ad Ammonitas qvestum injurias & paulo post Ammonitas vincit ac ab eo tempore judicavit annos 6.

A devictis Ammonitis & initio imperij Jephthaei ad mortem ejus sunt anni Jud. c. 11. & 12. 6

Post judicat populum Ebzan annos c. 12. v. 8. 7

Elon verò præest annos c. 12. v. 11. 10

Abdon

Abdon c 12. v. 13. 14 15. 8

A morte Abdonis Eli pontificatus sui anno 16. Reipublicæ curam suscipit & sustinet annis 24⅗

1. Sam. 4. v. 18. dicitur Eli Israelem judicasse 40 annis: hos habes si prædictis 25. adjeceris 15. qvibus ante pontificatum gesserat. Qværitur hic qvorsum referendi 40. anni qvibus Israelitis Philisthæi dominati sint? 1. M. Helvig. dicit, hos partim esse 20. Simsonis, qvibus Israelem judicavit tempore Philistinorum c. 15. v. ultim. partim verò se extendere in annos gubernationis Eli 1. Sam. 4. 18. cum eti- etiam hujus filii duo in bello à Philisthinis trucidati sunt & arca fœderis ab hostibus capta est. Ibidem v. 17. Supputationem itaq; M H. ita instituit: Simsonem omissis 40. annis Pelisthæorum mortuo Abdoni mox subjicit & Simsoni ipsum Sacerdotem Eli. Eodem modo procedit Bucholz.

Verum I. an Simson mox successerit Abdoni Valdè dubito. Nam Abdone demortuo & sepulto c 12. v. 15. & ultimo, dicitur c. 13. v. 1. Israelitas denuò malum fecisse in oculis Jehovæ, ac ea propter Deum iratum eos tradidisse in manus Pelisthæorum. Aliqvantulum igitur temporis fuit inter Abdonis initium & dominium Philisthinorũ. Nec 2. Samsonis 20. annorum initium coincidit præcise cum initio dominationis Philisthinæ, sed aliqvanto post contigisse necesseest. Patet hoc ex c. 14. v. 3, 4. Ubi postqvam relatum erat Simsonem Pelisthæam puellam ducere voluisse, ut occasionem affligendi acciperet, dicitur, Pelisthæos eo tempore dominium in Israelitas habere. Idem post aliqvot septimanas fatentur ipsi Israelitæ, cum sic compellant Simsonem, qvi segetem Philistinorum immissis 300. vulpibus cum ardentibus facibus accensam corruperat, an nesciebas Pelisthæos dominium habere in nos? 3. Si itaq; regimen Eli elapsis 20. annis Simsonis successit, utiq; illud Philisthinorũ imperium 40. annorum in Israelitas fuisset finitum vigesimo primo anno ipsius Eli. At verò temporibus Eli Israelitas, profligatis Pelisthæis in libertatem fuisse assertos, nullibi in totâ Scriptura dicitur, imò ne minimum qvidem hujus rei ibidem indicium occurrit. Contrà verò disertè legitur 1. Sam. 4. Israelitas dupliplagavel clade à Pelisthæis fuisse affectos, percussis primò 4000. viris iterum 30000. ac arcâ fœderis captâ.

II. Calvis. 40. annos dominii Philistinorum incipit 4. anno Abdonis

Abdonis. Subjicit mox defuncto Abdoni imperium ipsius Eli & Simsonis initium ponit in annum 21. ipsius Eli. R. Si hæc ita se haberent, dominium Pelisthæorum finem obtinuisset 35. imperii ipsius Eli & Simsonis 14. anno. Sed his Eli temporibus Pelisthæorum dominatum in Israelitas cessasse nullibi in SS. dicitur, nec ullo modo est probabile. Qvin potius legimus qvinqvennio post 1. Sam. 4. bis Israelitas à Philisthinis victos &c. Si dixeris à Simsone finem impositum Philisthæo 40. annorum dominatui. R. 1. Simsonem qvidem cæpisse liberare Israelem ex manibus Pelisthæorum ut Angelus prædixerat c. 13. v. 5. non tamen jugum planè sustulisse. Nam manserunt etiam ipsis 20. annis, qvibus Simson eos judicasse dicitur, sub imperio & jurisdictione Pelisthæorum. Hinc dicitur c. 15. v. ultim. Et judicavit (vindicavit, ultus est) Simson Israelem בִּימֵי in diebus Pelisthæorum, hoc est, qvando imperabant Israelitis. Videntur id duntaxat magnanimitate & fortitudine Simsonis adepti Israelitæ, ut Pelisthæis iram & robur Simsonis reformidantibus, servitutis jugum levius extiterit. Neq; enim ante vigesimum Samuelis annum, qvi itidem vigesimus est à capta & restituta arcâ 1. Sam, 7. v. 2. 3. à servitute illâ liberati sunt.

III. Franciscus Junius in notis ad v. 1. c. 13. Jud. ait, hos annos incipere à 14. anno gubernationis Jairis, de qvo c. 10. 3. & desinere in nuptiis Schimschonis, ubi primùm occasione captâ Pelischthæos cædit, ut ex eorum spoliis socios, prout promiserat, muneraret infrà c. 14. 19. nam qvæ hoc capite (13. scil.) narrantur inqvit, temporibus præcedentium Judicum contigerunt. R. 1. Confunditur hoc modo servitus hæc 40. annorum cum eâ, qvâ servire coacti sunt Philisthinis & una simul Ammonitis 18. annis Jud. 10. v. 7. 8 R. 2. Desiisse illam servitutem in nuptiis est falsissimum. Nam 1. non paucis septimanis, post cæsos illos 30. viros, ex qvorum spoliis socios prout in nuptiis promiserat remuneratus est, profitentur adhuc ipsi Israelitæ, sibi dominari Pelisthæos c. 15. v. 11. 2. Imò totis illis 20. annis qvibus Samson judicasse dicitur, nihilominus Pelisthæi Israelitis dominati sunt. Nam Simson qvidem fuit populi vindex qvodammodo & qvandoqve vindictam de Pelisthæis sumsit, non tamen planè Israelitas liberavit. R. 3. Durasse illam servitutem sub Jephtha & tot post eum Judicibus, nullum

nullum in eorum historia indicium occurrit: qvin potius proditur Israelitas defuncto Abdone denuò in peccata prolapsos, ac idcircò à Deo traditos in manus Philisthinorum 40. annis. Jud. 12. v. 15. c. 13. v. 1.

IV. Rectius ergò dicitur initium dominationis sæpius dictæ incidere in 21. annum Eli Pontificis, & desinere anno 20. Samuelis exeunte. Simsonem qvod spectat, illius animum heroicum & fortitudinem puto emicare cæpisse primo mox anno dominij Philisthinorum, atq; 20. illius annos sub 20. posterioribus ipsius Eli comprehendi. Sed videatur de his l. 2. in anno M. 2884. & seq.

A morte Eli Samuel & Saul regnarunt annis Act. 13. v. 21. 40
Seqvuntur Davidis anni 1. Reg. 2. v. 11. 2. Sam. 5. v. 5. $40\frac{1}{2}$
Et deniq; Salamonis 3

Nam qvarto ejus imperij anno templum ædificari est cæptum 1. Reg. 6. 1. Colligamus jam annos, ut 40. deserti, 26. sub Josua & Senioribus &c. 8. Dominij Cuschanis Risathaim. 40. qvietis primæ, 80. qvietis secūdæ. 40. qvietis tertiæ. 40 qvietis qvartæ diebus Gideonis 3. Abimelechi. 23. TholaPhua. 22. Jair. 18. Servitutis sub Philistinis & Ammonitis. 6. Jephthaci. 7. Ibzan. 10. Elonis 8. Abdonis. $24\frac{1}{2}$. Eli. 40. Samuelis & Saulis. $40\frac{1}{2}$ Davidis. 3. Salomonis, & habebimus 479. annos. Anno autem Salomonis 4. qvi est ab egressu ex Ægypto 480, templum extrui cæptum est 1. Reg. c. 6. v. 1. Ut omnia melius intelligantur, latercu-lum subjiciam.

40. Deserti.		7. Ebzan.
26. Josuæ &c.		10. Elon.
8. Servit. sub Cuschan Risathaim.		8. Abdon.
40. Athni. & qvietis.	1	$24\frac{1}{2}$. Eli.
80. Ehud. & qvietis	2	40. Samuelis & Saulis.
40. Burak. & qvietis	3	$40\frac{1}{2}$. Davids.
40. Gideon. & qvietis	4	4. Salomonis.
3. Abimelech.		
23. Thola.		
22. Jair.		Summa
18. Servitut. sub Philist. & Ammon.		480.
6. Jephtha.		

Qværitur I.

Qvot anni ab egreſſu Iſraelitarum ex Ægypto ad primi templi fundationem effluxerint? R. Sunt & hic diverſæ ſententiæ. I. Dionyſius Petavius enumerat 520. annos. II. Anonymus qvidam Author Clavis Apocalypticæ annos 580. ſupputat. III. Meſtlinus habet annos 592. IV. Joſephus Scaliger, Sethus Calviſius, Johan-Henricus Alſtedius, Wilhelmus Langius & infiniti alij ab exitu Iſraelitarum ad inchoatam templi ædificationem elapſos ſtatuunt 479. annos 1. menſem & 1. diem. Et horum ſententia eſt longè veriſſima. Expreſſis enim verbis docetur. 1. Reg. c. 6. v. 1. templum extrui cæptum anno, ab exitu Iſraelitarum ex Ægypto, 480. menſe זִו hoc eſt, ſecundo & qvidem die ſecundo, ut habetur 2 Chron. c. 3. v. 2. Exacti igitur erant ab egreſſu Iſraelitarum ex Ægypto ad exordium ædificationis templi 479. anni, 1 menſis & 1. dies.

Excip. Petavius allegatis locis 1. Reg 6. v. 1 & 2. Chron. c. 3. v. 2. annos 480. numerari non ab exodo ex Ægypto, ſed ab ingreſſu in terram Canaan. Dn. Meſtlinus diſtingvit inter exodum inchoatum & completum. Illum vult factum cumprimum Ægypto egredi cæperunt; hunc verò qvando jam terram Canaan ingrediebantur, qvem etiam Scriptura. 1. Reg. 6. v. 1. & 2. Chron. 3. v. 2. indigitavit.

R. 1. Diſtinctionem hanc 1. implicare contradictionem, uti ajunt, in adjecto. Nam exodus ex Ægypto non eſt, neq; dici poteſt ingreſſus in terram Canaan & contrà, 2. Exodus ex Ægypto fuit completus, non demum qvando jam poſt peregrinationem 40. annorum in deſerto, in Palæſtinam pergebant, ſed cum extra territorium Ægypti venirent, id qvod factum eſt, cum per mare rubrum vel Erythræum irent, atq; adeò mox eodem menſe, qvo primò Ægypto egredi inciperent. Sic Exod. c. 19. dicitur, qvod venerint menſe tertio poſt exitum ex Ægypto in deſertum Sinaj. Id autem dubio procul non ad regnum Ægypti, ſed Midianitarum & Edumæorum ſpectabat.

R. 2. ἔξοδος צֵאת מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם exire ex terra Ægypti, ſemper deſignat exitum ex Ægypto propriè dictum, nunqvam verò vel peregrinationem in deſerto extra Ægypti terminos ſito, vel etiam ingreſſum in terram Canaan ſimul complectitur. Sic mox c. 16. v. 1. Exod. dicitur Iſraelitas perveniſſe in deſertum Sin die 15. menſis ſecundi

secundi לְצֵאתָם מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם τὸ exire vel exitus eorum ex terrâ Ægypti. Eadem locutio recurrit. c. 19. v. 1. & Num. c. 1. v. 1. & c. 9. v. 1 & c. 33. v. 38. eodem manente sensu.

Reger. Petavius ac adducit locum ex Deuter. c. 4. v. 45. & 46. Ubi putat bis phrasin, exire ex Ægypto, occurrere eo sensu, qvo ipse locos 1. Reg. 6. v. 1. & 2. Chron. 3. v. 2. explicare conatur. Verba ita habent: Hæc sunt testimonia, ceremoniæ & judicia, qvæ locutus est Mose ad filios Israel בְּצֵאתָם מִמִּצְרָיִם in exire eos, vel ut Vulgatus reddit: qvando egressi sunt de Ægypto. Trans Jordanem in valle contra phanum Phegor in terra Sihonis Regis Emorræorum, qvi habitavit in Hesbon, qvem cœciderunt Mose & filij Israel בצאתם ממצרים qvando egressi sunt de Ægypto. Dicitur hic Mosen elocutum verba Domini & cæcidisse Sihonem בצאתם ממצרים in exitu eorum (in exire eos) ex Ægypto, cum tamen certum sit, id non factum cum primùm ex Ægypto ire cœperant, sed 40. anno post, qvando jam promissam terram ingrediebantur.

R. Laudatus ex Deuteron. locus Petavianam opinionem neqvaqvam juvat. Committitur enim in eo ἔλεγχος ψευδερμηνείας. Nam ב præfixum infinitivo צֵאת hic non significat, nec est vertendum *in*, sed *post*, uti significat & vertitur Exod. c. 2. v. 23. Numer. c. 28. v. 26. Psalm 54. v. 1. & 51. v. 1. Eqvidem non inficior significationem *post* τὸ ב esse rariorem, eam autem, qvâ notat *in* esse communissimam usitatissimam & freqventissimam; hanc tamen hic non obtinere, sed illam, ex ipso contextu arbitror patere. Tunc temporis enim qvando Mose prædicta verba elocutos est, non poterat dici Israelitas ex Ægypto exire. Qvippe exitus ex Ægypto ante 39. annos erat completus. Imò cum ex Arabiâ & Edumæa, in qvâ 40. fere annos peregrinati fuerant, jam egressi, in terrâ Sihonis Regis Emorræorum &c. versabantur & Jordanem transituri ac Palæstinam ingressuri erant. Missa igitur significatione *in* assumenda est alia textui convenientior, qvâ ב *post* notare diximus. Hoc modo: Hæc sunt testimonia &c. qvæ locutus est Mose ad Filios Israel בצאתם ממצרים post exire eos ex Ægypto, vel latinius, postqvam Ægypto fuerant egressi (scil. ante 40. ferè annos, nimirum) cis Jordanem in ipsa valle, è regione Bethpehoris, in terrâ Sihonis Regis Emorræorum, qvi habitavit in Hesbon, qvem cæcide-

ciderunt Mose & filij Israel, qvostqvam egressi fuerant ex Ægypto.

Obj. 1. Actor. 13. v. 20. Ubi Paulus dicit, Israelitis datos Judices annis 450. usq; ad Samuel. Si his addideris 40. Saulis 40. Davidis. 3. Salomonis & 40. deserti, & 7. terræ occupatæ & distributæ erit summa 580.

R. 1. Si annos à Paulo silentio præteritos, qvibus Josua præter 7. illos terræ occupatæ & sorte distributæ, populo Israelitico & post mortem ejus Seniores præfuerunt, addideris, ut omninò fieri debet, numerus hinc collectus neq; Petavio, neq; anonymo, neq; Mestlino favebit. 2. Qvid de annis 450. Actor. 13. v. 20. sentiendum, ex seqventi qvæstione intelligi poterit, ubi videatur.

Obj. 2. Liber Judicum, in qvo anni longè plures atqve 480. qvi 1. Reg 6. v. 1. & 2. Chro. 3. v. 2. expressi sunt, enarrantur. R. 1. Scripturam Sacram sibimet ipsi nunqvam contrariari. Annorum ergo computatio ita in libro Judicum instituenda est, ut cum libris Regum & Chronicorum non hostiliter pugnet, sed amicè concordet. Hoc qvi optimè fieri possit & debeat, ante ostensum fuit. R. 2. Si omnes Judicum & Servitutis annos in libro Judicum recensitos numeraveris, inceperisq; à primà Israelitarum servitute sub Cuschan Risathaim, habebis exactè. 450. annos. Adde 40 Saulis. 40. Davidis & 4. Samuelis, & consurgent inde anni 534. Addantur amplius 40. deserti & deniq; anni Josuæ & Seniorum, qui fluxerunt ante initium primæ Servitutis, videlicet 24. (14. Josuæ & 10. Seniorum, ut Petavius ipse censet) & erit summa 598, non verò 520. ut numerat Petavius. Author anonymus qvidem præcisè numerat 580. Verum bis hallucinatur. Nam. 1 annos Josuæ & Seniorum non integrè ponit, sed saltem 7, qvibus referente Paulo, terra occupata & sorte distributa fuit. At verò extra omne dubium est, Josuam plures 7. annis populo præfuisse. Senioribus etiam aliqvot anni erunt tribuendi, cum Josuæ c. 24. dicantur vitam prolongasse post mortem Josuæ. 2. Ipse anonymus 3. Salomonis saltem supputat, cum tamen qvartus ejus annus juxta lib. Reg. & Chron sit 480. Jam autem anonymus numero illi 480. præcisè dicit addendos non 101, sed 100.

Qværitur hic 2.

Qvomodo explicandus locus Pauli Actor. c. 13. v. 20. ut cum v. n 6. 1. Reg. amicè conspiret? Verba Apostoli ita habent: Et cum

c. 16.

delevisset septem gentes in terrâ Canaan, sorte distribuit eis terram. v. 19. Et postea annis circiter qvadringentis dedit judices usq; ad Samuelem Prophetam v, 20. Contrà 1. Reg. 6. v. 1. exsertis verbis legitur: Et fuit anno 480. exitus filiorum Israelis ex Ægypto, anno 4. mense ziv. (is mensis est secundus) regni Salomonis super Israelem, ut ædificaret domum Jehovæ. Ex his verbis certò certius elucescit, ab egressu Israelitarum ex Ægypto ad templi Salomonæi initium effluxisse 479. annos, mensem unum & diem unum. Nam 480. anno, qvi 4. est Salomonis, mense secundo & die secundo (ut 2. Chron. 3. v. legitur) Salomon Templum ædificavit, hoc est, ædificare cœpit & fundamenta jecit. 1. Reg. 6. v. 37. & Chron. 3. v. 3. Qvod si igitur ab his 479. detraxeris annos 40. deserti vel qvibus populus sub Mose in deserto peregrinatus est, dein 7. annos terræ occupatæ sorte & distributæ, 40. Samuelis & Saulis (tot enim ipse Paulus eis tribuit v. 21.) ac deniq; 40. Davidis & 3. Salomonis, remanebunt saltem 349. anni, non verò 450. ut dicit Paulus. Hanc dissonantiam horum Scripturæ locorum ut tollant docti, variis modis rem aggrediuntur. 1. Sunt qvi in 1. Reg. 6. v. 1. pro ארבעים qvadringentesimo legi volunt חמשים qvingentesimo. At verò cum 1. omnes codices Hebræi constanter legant ארבעים. nec 2. ulla inter voces ארבעים & חמשים sit similitudo, opinioni illi subscribere non possumus.

II. Alii igitur rectius nodi solutionem petere conantur ex diligentiori ipsius loci Paulini consideratione. Sed in diversas scinduntur sententias. 1. Beza, D. Walth. in Harmonia & D. Ludovicus de Dieu in animadversionibus in Acta Apostolica exordium supputationis statuunt sumendum à nato Isaaco, à qvo ad deletos usqve, ductore Josua, Cananæos & terræ distributionem, intercesserunt anni 447. Qvia vero 3. anni desint, addidisse Paulum, inqvit Beza in notis minoribus, particulam circiter, ac usum numero majore & integro ob rotundationem. R Qvo minus huic sententiæ assurgam, obstat id qvod. 1. Paulus diserte docet, annos 450. fluxisse post terræ promissæ occupationem & distributionem, non verò ante. Cum enim sermonem exorsus narrasset, Deum elegisse Patres Israelitarum ac populum brachio excelso ex Ægypto eduxisse v. 17. pravosq; eorum mores in deserto 40. annis sustinuisse v, 18 ac deletis 7. gentibus terram sorte distribuisse v. 19. subjungit v. 20. καὶ μετὰ ταῦτα &

post hæc ipsa (qvæ scil. jam ante facta disseruerat) dedit Judices. Datio igitur Judicum incipit post terræ κληρυχίαν, & non à nato Isaaco.
2. Connectit tempus annorum 450. cum initio temporis Samuelis. Dicit namq; Deum dedisse Judices usq; ad Samuelem. Excip. verba μετὰ ταῦτα esse conjungenda cum initio versus 17. q. d. post electionem patrum annis 450. dedit &c. confer notam ad versum 20. Act. 13. Belg. Interp. R. 1. Si ita licebit verba Scripturæ conjuncta disjungere, & disjuncta conjugere, brevi Sacra S. euadet nasus cereus, nec testimonium tam clarum poterit afferri, qvin qvilibet paulo ingeniosior cum suâ præconceptâ opinione falsâ conciliare qveat. 2. Non meminit hic Paulus in specie ipsius Isaaci, sed dicit in genere Deus, popopuli Israelis elegit patres nostros. Ad solum igitur Isaacum hæc restringi nec possunt nec debent. 3. Hoc modo ingens illud spatium 349. annorum, inter terræ κληρυχίαν & Samuelem, qvibus tot judices populum judicarunt, citra annorum adjectionem transiliisset, cum tamen & proximè antè 40. annos deserti, & postea 40. Samuelis & Saulis expressè posuerit.

II. Alij putant Paulum annos 450. numerare ab exitu Israelitarum usq; ad tempora Davidis, ita ut anni Moses, itemq; Samuelis & Saulis includantur. Hoc enim ajunt agere Apostolum potissimum, ut serie temporum & rerum gestarum monstratâ, à Mose ad Davidem perveniat, è cujus semine Christum secundum carnem natum esse doceat. Porrò anni ab egressu populi usq; ad tempora Davidis numerantur 440. Paulum verò annos circiter 450. dixisse, quod accuratiorem annorum supputationem suscipere tunc nollet. R. Neq; hanc sententiam esse veram. Nam 1. Ipse Apostolus voce, μετὰ ταῦτα, manifestè significat, dationem Judicum 450. annis, seqvi tempus peregrinationis in deserto 40. annorum, & terræ occupatæ & sortæ distributæ. Non ergo hi anni numero illi 450. includuntur. 2. Dicit Paulus, Judices Israelitis datos 450. annis ἕως Σαμυὴλ τοῦ προφήτου usq; ad Samuelem Prophetam, ac mox versu seqventi annos Samuelis & Saulis seorsim recenset, tribuitqve ipsis 40. annos. Qvare nec illi 40. anni iclusi possunt dici. 3. Nec supputatio illa vera est. Si enim à 479. subduxeris 40. annos Davidis & 3. Salomonis, remanent non 440. sed saltem 436.

III, Sunt

III. Sunt qvi pro τρίακοσίοις incuria librariorum ſcriptum fuiſſe autumant τετρακοσίοις, idq; facile ob vocum cognationem fieri potuiſſe. Ita ſentiunt è noſtris ipſe Lutherus, è Reformatis Beza in notis majoribus, & è Pontificiis Cornelius à Lapide. Reſpondent contraſentientes. 1. nullum exemplar habere τρίακοσίοις, nec 2. Syrum ita expreſſiſſe. Sed B. Lutherus ita loqvitur in gloſſa marginali: Etliche Texte haben 400. aber die Hiſtorien vnd Rechnung der Jahre leydens nicht. Iſt des Schreibers Irthumb/ der Vier für drey geſchrieben hat/ welches leicht iſt geſchehen im Griechiſchen. Qvæ verba innuere videntur, Lutherum vidiſſe, vel etiam ab aliis audiviſſe viſa exemplaria, qvæ non qvadringentis, ſed trecentis habuerint. Qvod ſi ita ſe reverà res haberet, omnis prorſus eſſet ſublata difficultas. Aufer enim ab annis 479. 1. Reg 6 v. 1. primò 40. deſerti, 7 terræ occupatæ & diſtributæ, ac deinde 40. Samuelis & Saulis & 40. Davidis & 3. Salomonis, & videbis remanere 349. qui deſideratur annus, optimè dici poſſet à Paulo indicari voculâ ὡς circiter, adeoq; eum ob numeri rotundationem pro 449. adhibuiſſe 450. Sin verò oſtendi non poſſit, exemplaria qvædam habere vel habuiſſe τρίακοσίοις, aſſentior Dn. Wilhelmo Langio, qvi IV. arbitratur, Paulum numerum hunc non potuiſſe ex ſuâ, ſed ex Judæorum ſententia, apud qvos tum agebat, & qvibus loqvebatur. Divus enim Paulus, inqvit l. 2. c. 7. p. 279. dicit ſe omnibus omnia factum, ut omnes lucrifaceret, Judæis qvidem Judæum, Idiotis verò idiotam. Imò ut benevolentiam captaret, Phariſæum ſæpius ſe eſſe ſimulabat. Sicut Act. 23. v 6. exclamat, ſe eſſe Phariſæum, filium Phariſæi, qvod tamen ſimpliciter verum non erat, ſed limitatè, ut Philoſophi loqvuntur. Verum hoc à Paulo factum, ut maximam & in vulgus potentiſſimam ſectam ad ſe pertraheret, ut doctrinam de Chriſto, ejusq; reſurrectione ſuis dogmatibus conformem crederent, adeoq; & ipſos, & plurimos alios lucrifaceret. Atq; ita etiam heic, dogma, ſive opinionem hanc Phariſaicam ſine dubio, ita ſtatim in docto hoc auditorio propoſuit, ut eos eà ratione magis attentos redderet, cum audirent, ipſum doctiſſimæ ſectæ placita ſeqvi, atq; ita multorum animas lucrifaceret. Nam verè doctiſſimis Judæorum hanc de Judicibus opinionem fuiſſe, ex Joſepho patet, qvi Paulo σύγχρονος fuit, qviq; Sacerdos, omnium Sectarum ſacris initiatus (ut ipſe de ſe teſtatur) optimè cogni-

cognitum habebat, qvid sapientissimi ac doctissimi de talibus rebus sentirent. Is enim lib. 5. ita calculum subducit, ut singulatim servitutis ac liberationis annos recenseat, totqs cuivis Judici tribuat, qvot post liberationem in Scripturis numerantur. Hactenus doctissimus Langius.

Qværitur 3.

Qvid sentiendum de annis 300. Jephthaci Jud. c. 11. v. 26.

Iunius in notis dicit: ab exitu ex Ægypto incipit numerus, unde narrationis suæ initium fecerat v. 18. Præcisè autem 300. numerat (Jephtha) licet ex historiæ veritate, qvam Chronica nostra confirmat, supputatio 305. anni intercesserint. Sed hoc genus ellipseos nō est insolens ad rotundationem numeri. R. Dicit Jephtha, qvod populus Israeliticus Sihonem Regem Emoræum ac totum populum ejus percusserit ac terram Emoræum possederit c. 11. v. 21, 22. Cum igitur non mox ab egressu ex Ægypto, sed demum 40. annis post, Israelitæ Sihonem ceciderint ejusq; terram occupaverint, suâ sponte liqvet, annos hos 300. non posse numerari ab exitu ex Ægypto. Non enim potuerunt inhabitare terram 40. annis, ante qvam occuparant, ejusq; inhabitatores expulerant vel trucidarant.

II. Anonymus qvidam paucos ante annos brevissimum qvendam in lucem edidit tractatum, qvem inscribit *Clavem apocalypticam*, in eo circa finem ferè supputationem annorum in Sacris occurentium instituit, ac in libro Judicum omnes servitutis annos seorsim supputandos censet, idq; inde probat, qvod duo Characteres, ut ait, huic supputationi faveant, ut 1. anni 300. qvorum meminit Jephtha c. 11. v. 26. & 2. assertio Pauli Act. 13 20. R. 1. De annis Pauli qvid habendum Act. 13. præcedenti qvæstione dictum est, ubi videatur. 2. Assertionem Jephthae qvod concernit, ea computationem anonymi hujus non juvat, sed evertit. Si enim omnes etiam servitutis anni computentur, numerus à Jephtha expressus, annis 26. superatur. Autor qvidem anonymus numerat præcisè 301. At ille duplicem vel fraudem vel errorem committit. Nam 1. omittit 7 annos, qvibus Israelitæ terram Emoræorum ante Palæstinam occupatam & distributam, inhabitarunt. Incipit enim ille 300. Jephthaci annos post κληρουχίαν. At novit vel novisse debebat, Israelitas in Chesbone habitare

cæpisse,

sæpisse non demum 7. anno Josuæ, sed ultimo Mosis in fine scil. 40. annorum deserti, qvo tempore totum territorium Emoræorum occupatum & Rubeniticæ & Gadditicæ & dimidiatæ tribui Menaschiticæ ad habitandum datum Jos. 1. v. 12. & seq. Num 32 v. 29. & seq. 2. annos 18 qvibus Israelitæ Pelisthæis & Ammonitis serviisse dicuntur c. 10. v. 8. perperam numero 300 eximit. Nam negari nullâ ratione potest Jephthacum in fine horum 18. annorum dixisse, Israelitas 300. annos habitasse in Chesbone &c. Qvod si igitur 18. hi anni, ut profectò debent, annumerentur, numerus ille non est 301. annorum, ut hic author anonymus pessimè conputat, sed 319. Adde jam 7. annos, qvibus terra trans Jordanem occupata & sorte distributa est, ut etiam fieri oportet, habebimus annos non 301. sed 326.

III. Si anni supputentur ut à me antè factum est, hoc est, si includas 18. annos servitutis sub Cuschan. Risath. primæ qvieti terræ 40. annorum, & 20. servitutis annos sub Jabine Cananæo secundæ qvieti 80. annoum ac deniq; 7. servitutis annos sub Midianitis qvieti tertiæ annorum 40. &c. Jephthaci assertum optimè se habet adeòq; omninò existit character & index veritatis sententiæ nostræ. Nam fluxerunt tum ab occupatione terræ Emoræorum anni 300. Nam 301. initio Jephta hæc eloqvebatur.

SECTIO V.
Edisserens
Intervallum qvintum.

Ab ædificationis templi Solymitani principio ad ejusdem destructionem effluxerunt anni $428\frac{1}{2}$.

Ad faciliorem eorundem annorum supputationem hæ notentur regulæ.

1. Accurata Regum Judæ & Israelis instituatur collatio ex libris Regum & Chronicorum & qvidem fonte Hebræo non neglecto. Vir qvidam excellentissimus dicit: Scaligerum illum ingenio & labore stupendum Chronologiam & comparationem Regum Judæ & Israel, qvæ doctissimorum etiam virorum ingenia mirum fatigavit, prætricis illis attingere noluisse, sed seqvi maluisse simpliciter seriem Regum

 Judæ

Judæ tantum eo annorum distinctorũ ordine qvem illis Scriptura tribuit, non sollicitum de comparatione aut continua serie Regum Israel, ad qvam salvandam figmentis variis opus est. Veruntamen cum perqvã sæpè ex Chronologia Regum Israelis limitatio & determinatio petatur, eum misere falli certissimum est, qvi eâ sepositâ se certam supputationem facturum sibi persuasit. Difficultatem hic nonnullam conciliatione Chronologiæ Regum Judæ & Israelis occurrere negari neqvit: est tamen ejusmodi ut etiam sine figmentis superari possit, modo diligens in timore Domni scrutinium adhibeatur.

2. Regum utriusq; tum Judæ, tum Israelis anni integrè sumantur, dum ipsa historia ejusq; circumstantiæ, vel alius Scripturæ contextus. limitationem exposcat. Sit igitur talis annorum præfatorũ collectio.

A qvarto Salamonis (inclusivè) *anno ad Rehabeamum anni effluxerunt* 37

A Rehabeamo ad Abiam 17

M. Helvigius saltem 16. annos Rehabeamo tribuit, 17. putat esse primum Abiæ. R. annos integrè esse numerandos, in S. Sacra limitet, ipse inqvit M Helvigius. Nullibi autem hic apparet limitatio. Relinqvendi igirur 17. illi anni sunt Rehabeamo. Sed objicit M H. annum illum 17. esse Jerobeami 18. qvi Salamone adhuc regnante, annum ante Rehabeamum ordinatus est Rex 1. Reg. c. 11. v. 29. R. 1. annum 17. Rehabeami esse 18. Jerobeami negatur. Nam uno eodemq; anno ambos factos esse Reges patet ex 1. Regum c 12. Cum enim Rehabeam proceribus Israelis onerum publicorum allevamentum flagitantibus dure nimis responderet, illi spreto Rehabeamo Regem Jerobeamum eligebant. Resp. 2. Ierobeamum ante Rehabeamum Salomone adhuc regnante, Regem fuisse ordinatum itidem negatur. Nam 1. ex 1. Reg. 11. v. 29. id non probatur. Ibi enim duntaxat Jerobeamo regnum promittitur, non verò actu confertur vel etiam Rex is ordinatur, ut ex versu 31. liqvet: Ubi Propheta ait. Sic inqvit Jehova Deus Israelis, ecce ego laceraturus sum hoc regnum è manu Salamonis &c. & daturus tibi. 2. Contrarium invictè ostenditur ex versu 34. In qvo Deus asseverat se Salamoni propter Davidem integrum regnum relicturum, nec qvicqvam illius ablaturum de manu Salamonis, sed è manu filij ejus. Idem jam ante Deus ipsi Salamoni minatus erat c. 11. v. 11. & 12.

Ab Abia ad Assam anni elapsi sunt 2

Eqvi-

Eqvidem Abiæ aſſignantur anni 3. 1. Regum c. 15. v. 2. attamen tertio filius ejus Aſſa regnare cæpit. Dicitur enim 1. Reg. 15. v. 9. Aſſam cæpiſſe regnare anno 20. Jerobeami, qvi eſt 3. Abiæ. Excipis, cum dicitur v. 9. Aſſam regnare cæpiſſe 20. anno Jerobeami, id intelligendum eſſe de fine illius 20. anni. Qvia Nadab Jerobeamo dicitur ſucceſſiſſe anno 2. Aſſæ infra v. 25. Hinc Tremell. & Junius ita vertunt: ano 20. completo Jerobeami &c. Belgici Interpretes verba: in anno 20. In margine ita explicat: Ontrent het eynde des Jaers. R. 1. annum 20. Jerobeami heic completum negatur. 2. Probatio annexa eſt nauci. Neq; enim ſeqvitur, Nadab Jerobeamo ſucceſſit anno 2. Aſſæ v. 25. Ergo Aſſa regnum adiit anno 20. Jerobeami non currente, ſed completo, hoc eſt anno 21. Inſpice ſubnexam tabulam juxta clara textus verba conſtructam & veritatem effati videbis.

Rehabeam		Jerobeam		
17		17		
Abia 1		18		
2		19		
3	Aſſa 1	20		
	2	21	Nadab. 1	
	3	22	2	Baeſa 1
				2

Ab Aſſa ad Joſaphatum fluxerunt 41

Alſtedius, Langius & qvos hi ſeqvuntur ei tribuunt 41. annos, vi etiam 1. Reg. 15. v. 10. & 2. Chroni. c. 14. v. 13. expreſſè ponuntur. erum cum 1. Reg. 22. v. 41. aſſeratur Joſaphatum 4. anno Achabi, vi ſunt 41. Aſſæ, regnum capeſſiſſe, utiq; 41. Aſſæ annus eſt 1. Joſoiati & propterea in ſupputatione Aſſæ attribui neqvit. Qværitur ic: qvomodo tollenda ἀντιλογία qvæ videtur eſſe inter 2. Chron. 16. v. 1. & 1. Reg. c. 16. v. 8? Nam hic ſcribitur Elam filium Baeſæ pa- defuncto in regno ſucceſſiſſe anno 26. Aſſæ. Illic verò dicitur, BaenRegem Iſraelis anno 36. Aſſæ contra Judam aſcendiſſe & ædificaſſe: ſic legitur ædificaſſe, 10. poſt obitum ſuum anno. R. Varij variè pondent. 1. Cajetanus & alij dicunt. 2. Chron 16. v. 1. textum rruptum ac pro 36. legendum 26. Verum cum omnes codices Heci, Chaldæi, Græci Latini conſtanter 36. habent, opinio hæc vero n eſt ſimilis.

II. Genebrardus arbitratur verba. 2. Chron. 16. v. 1. ita explicanda: anno 36. regni Asa, id est regni bellorum tumultibus commoti: qvia c. 14. v. 1. legimus, 10. annis terram qvievisse, hoc est, regnum fuisse pacatum, qvi qvidem anni 10. non numerantur in libris Regum. Et propterea semper in lib. Reg. addendi vel intelligendi sunt; nimirum qvando legimus, Baesa cæpit regnare anno 3. regni Assæ; debet intelligi, anno 13. regni Assæ, sed tertio ex qvo cæpit bellis vexari. Et cum legimus anno Asa 26 cæpit regnare Ela: debet intelligi 36. regni Assæ, sed 26, ex qvo cæpit bellicis tumultibus perturbari. R. Explicationem nullatenus subsistere posse. Nam 1. admodum durum videtur tot Scripturæ locis decennium esse addendum. 2. Seqveretur inter Jerobeamum & filium Nadabum fuisse mox interregnum 10. annorum, qvod vero non est simile. 3. Non posse textus admittere ut semper uti ait, annis Assæ decennium addatur. Videatur v. 29. c. 16. 1. Reg. Legimus ibi: anno 38. Assæ cæpit regnare Achab. Adde decennium & habes 48 At hoc est contra Scripturam, qvæ Assam 41. saltem annos regnasse testatur. 1. Reg. 15. v. 10. & 2. Chron. c. 14. v. 13. Sic 1. Reg. c. 16. v. 23. legitur: anno 31. cæpisse regnare Amri; adde jam 10. annos & erit 41. & ultimus Assæ, qvo mortuus est & qvo regnum adiit, Josaphat. Hic autem non cæpit regnare anno primo Amri sed 4. Achabi, ut expresse scribitur. 1. Reg. c. 22. v 41. Sin fortasseàn excipere velis duo hæc loca. R. 1. Ergo τὸ semper fuerat omittendum. 2. oppono versum 15. & seq. Ubi narratur 27. anno Assæ occisum fuisse Ellam & pro eo regnasse Simri ac eo post septiduum iterum percusso ipsum Amri à populo factum Regem: adde decennium 27. anno Assæ & erit 37. Sed versu 23. expressè habetur, anno 31. Amri regnare cæpisse. Si igitur (studio duo eaq; distincta regnandi initia ipsius Amri heic prætereo) 31. anno. regnum inivit. Ergo non 37. anno. Rectius igitur & solidius. III. respondetur 36. illis annis 2. Chron c. 16. v. 1. non indicari annos, qvibus Assa regnum administravit, sed qvot anni, ex qvo regnum Salamonis divisum fuerit, scissumq; in regnum Judæ & Israelis, effluxerant. Sensus itaq; versus ultimi c. 15. & v. 1. c. 16. 2. Chron. (Cohærent enim & se mutuò explicant) hic est: Bellum (appertum) non fuerat (inter Regem Israelis & Assam) usqve ad Regni Judæ, qvod tum Assa admini-

stra-

ſtrabat, annum 35. (inclusivè) ex qvo populus diſtractus, regnumq; Salomonis diviſum. Verum Baeſa aſcendit contra Jehudam & Rama ædificare cæpit anno 36. illius regni Judæ, cui Aſſa præerat, hoc eſt anno regni Aſſæ 17. Ei enim ſi addideris 17. annos qvibus Rehabeam regnavit & 2. Abiæ, habes præciſè 36. annum.

A Joſaphato ad Joram ſunt anni 21

I. Alſtedius, Langius Joſaphato integros 25. annos aſſignant. ℞. Anni illi 25.] qvidem expreſſè ponuntur. 1. Reg 22. 42. & 2. Chron. 20. v. 32. Qvia verò Joram filius ejus 2. Reg. 8. v. 16. dicitur, anno 5. Jorami Regis Iſraelis, regnante adhuc Joſaphato Patre ejus, regnum iniviſſe, ac qvintus Jorami Iſraelis eſt 22. Joſophati, ſeqvitur 21. ſaltem annos in computatione hac Joſaphato tribuendos, reſiduos autem ... regni filij ejus Jorami, qvi 8. annis regnavit & regni illud octennium. 5. Jorami Iſraelis anno exorſus eſt. Eſſe autem qvintum annum Jorami Iſraelis 22. Joſaphati probo ex 2. Reg. c. 3. v. 1. Ubi dicitur, qvod Joram filius Achab factus ſit Rex Iſraelis 18 anno Joſaphati. Si igitur 1. annus Jorami filij Achabi eſt 18. Joſaphati, 5 ejusdem eſt 22. Joſaphati.

II. Qværi hic poteſt qvoto anno patris Achabi filius ejus Ahaſia regnare cæperit? R. 2. Reg. 1. v. 11 expreſſè dicitur, eum factum Regem anno 17. Regis Joſaphati, qvi cæpit in 20. anno ipſius Achabi. ...ivit igitur regnum 20. anno patris Achabi. Obj. Hac ratione ſe... Ahaſiam prius vita fuiſſe de functum, qvam Achab in bello Syriaco ceciderit. Hoc autem eſſe neqvit. Nam vixiſſe ad minimum poſt ...itum Patris Achabi dimidium annum, patet ex hiſtoriâ Joſaphati, ...i è bello in qvo perierat Achab, reverſus regnum ordinat conſtitu... judicibus & præfectis 2. Chron. 19. v. 1. & 4. Poſt hæc (אַחֲרֵי־כֵן) ...niunt Ammonitæ & Moabitæ, ac de iis Joſaphat divinitus victo...m reportat & prædam partitur 2. Chron. c. 20. v. 1. Tandem (oc...rit hic iterum וְאַחֲרֵי־כֵן) ſocietatem init cum Ahaſiâ de claſſe in ...hir mittenda 2. Chron. c. 20. v. 35. R. Veriſſima ſunt hæc. Nec ...nen indè ſeqvitur Ahaſiam deceſſiſſe ante mortem Achabi patris. ...m dici poteſt & debet Ahaſiam à patre deſignatum Regem 17. an... Joſaphati circa finem ferè vel ultimo ejus qvadrante, & Achabum ... annum non compleviſſe, ſed vel in exitu qvadrantis primi vel ini... ſecundi qvadrantis obiiſſe. tio

III. Qværitur & hic: qvando Joram Israel vel filius Achabi regnare cæperit? R. 18 anno Josaphati 2. Reg. 3. v. 1. & 2. anno Jorami filii Josaphati. 2. Reg. 1. v. 17 anno 21. avi Achabi, patris verò Ahasiæ anno vel primo desinente vel secundo ineunte. Regni igitur fuit consors non solum vivente patre Ahasia sed & avo Achabo.

IV. Concilianda hic sunt duo testimonia Scripturæ 2. Reg. 8. v. 16. & 2. Reg. 1. v. 17. Hic dicitur Joramum Achabi factum Regem 2. anno Jorami Josaphati; illic verò Joramum filium Josophati cæpisse regnare vel Regem factum 5. anno Jorami filii Ahasiæ Regis Israelis. R. Joram Juda à Patre Josaphato Samariam, Achabum salutatum, profecturo anno ipsius regni 17. constituitur gubernator & Prorex & posteà ac eodem anno regni 22. designatur Rex. Fit igitur Rex & incipit regnare 2. Reg. 1. v. 17. Joram filius Achabi. 2. gubernationis Jorami filij Josophati. anno qvi est 18. patris Iosophati 2. Reg 3. v 1. Joramo autem Josaphati filio regnum confirmatur vel Rex ille declaratur anno 5 Jorami filij Achabi, qvi est 22. annus Josaphati 2. Reg. 8. v. 16. Patescent hæc melius si inspexeris tabellam Regum Judæ & Israelis collationem exhibentem, qvam postea subjungam.

A Joramo ad Ahasiam elapsi anni 7

Alstedius, Langius tribuunt Joramo 8. integros annos. R. Assignantur qvidem ei 8 anni 2. Reg. 8. v. 17. Veruntamen 8. illo anno filius ejus Ahasia regnum adiisse dicitur 2. Reg. 8. v. 25. qvi annus octavus Jorami est duodecimus inchoatus ipsius Jorami Israelis ut patet ex c 9. v. 29.

II. M Helv. Joramo saltem annos 6. attribuit. Putat enim Ahasiam 7. ejus anno cæpisse regnare. Probat hoc ex 2. Reg. 9. v. 29. Ubi legitur Ahasia regnum inivisse anno Jorami 11. R. Ahasiam & Ioramum Achabi uno eodemq; anno mortuos esse. Ambo enim interfecti sunt à Iehu. 2. Reg c. 9. At Joram non interiit anno 11. regni sui, sed 12, qvi est 8. annus Iorami Iosaphati. Cum itaq; Ahasia unum saltem annum regno præfuerit, utiq; non 7. sed 8. anno cum Patre regnare cæpit. R, 2. In dicto 2. Reg. 9. v. 29. intelligi annum 11. non currentem sed jam completum. Expresse enim c. 8. v. 25. asseritur: ipsum Ahasiam regnare cæpisse anno 12. Iorami. Observarunt hoc Tremell. & Iunius, & ideò sic reddunt: anno undecimo completo. Et Belgici Interpretes in notis marginalibus ita explicant: In eynde van het elfte/ ende begin van het twelfde. Siet boven/ c. 8. v. 25. Qvæ-

Ab Ahasia ad Athaliam fluxit annus 1

Qværitur heic I. qvomodo concilianda duo illa testimonia 2. Reg. 8. 26 & 2. Chron. 22. v. 2. In illo dicitur Ahasia fuisse, cum inceperit regnare, annorum 22. In hoc verò annorum 42. R. 1. Hieronymus Lyra & qvi eos seqvuntur ajunt, Ahasiam regnasse cum Patre Ioramo 20. annos & post ejus mortem adhuc unum annum. Cum inciperet primò cum Patre regnare, fuisse ipsum 22. annorum & de hoc agi 2. Reg 8. v. 26. cum solus regnum iniret, fuisse annorum 42. de qva 2. Chron. 22. v. 2. R Assertum hoc omni destituitur S. Sacræ fundamento. Nec enim ullibi legitur vel Ioramum patrem præter & post 8. illos annos ipsi assignatos 2. Reg. 8 v. 17 & Chron. 21. v. 25. regnasse alios 20. annos; vel Ahasiam filium præter & ante unum annum illi tributum 2. Reg. 8. v 26. & 2. Chron. 22. v. 1. cum Patre regnasse 20. annos.

Excip. Propter impietatem horum Regum annos silentio prætermissos: ne autem errore involveretur historia vel Chronologia, annos eos 20. vitæ Ahasiæ esse additos. R. Non posse hanc ἐξήγησιν subsistere. Nam 20. illi anni neq; post octennium illud patris Iorami possunt locum invenire. Non ante: Seqverentur enim Iosaphatum 4. annis saltem exsuperasse filium Ioramũ, qvod ἄτοπον. Probatur cohærentia. Qvia Iosaphat regnum capescens fuit natus 33. annos. Ioram autem filius regnare cœpit, juxta hanc explcationem, anno Iosophati 2. & qvidem natus 32. annos 2. Reg. 8. v. 17. Deme jam 32. à 36. & remanent 4. Neq; etiam 20. illi anni collocari possunt post octennium Iorami. Nam 8. ille Iorami Iudæ annus est 12. & ultimus Iorami Israelis, qvo is à Iehu est occisus c. 9. v. 24. Eodem tempore & occisus est Ahasia v. 27. postqvam jam antè Pater ejus Ioram filio Iosaphati objerat. Nusqvam ergo viginti illi anni apparent, nullibi eis remanet locus.

II. Iunius dicit: 2. Reg. 8. enarrari ætatem Achaziæ, qvâ cœperat regnare: 2. Chron. 22. v. 2. verò totum tempus ex qvo domus Amri usq; ad regnum Achaziæ regnare cœperat. Amri enim (cujus nomen hic ad familiam pertinet) regnavit 8. annis solus, Achab cum Ahasia filio 22. & Ioram à Iehu sublatur. 12. annos. Qvi anni collecti numerum illum 42. constituunt. Atq; hinc vers. 2. c. 22. 2. Chron. ita vertunt: Regnavit Achazia filius Iorami Rex Iudæ, cujus matri nomen Athalia nata Homri agentis 42 annum, cum Achazia regnaret.

Traje-

Trajectio obscurior, inqvit Iunius in margine cujusmodi est 1. Sam. 20. v. 10. Hetzr. 10. v. 17. & Nehem. 12. v. 22. qvâ non observatâ hic locus variis qvæstionibus & interpretationibus est involutus. Arripienda inqvit D. Walth. p. 252. Tremellij & Iunij solutio tantisper donec melior excogitetur. R In ipso fonte nulla est trajectio], sed in versione Tremellio Iunianâ, non tantum obscurior, sed planè monstrosa & in codice Biblico inusitata. Allegata testimonia omni carent trajectione. In ultimo Nehem. c. 12. v. 22. est levissima, & usitatissima si modo trajectio dicenda. Sed de versiono præsentis loci pluribus agendum. Verba Hebræa ita habent.

בן־ארבעים ושתים שנה אחזיהו במלכו ושנה אחת
מלך בירושלים ושם אמו עתליהו בת־עמרי:

Si rectè vertas, ita forsan sonabunt. Natus 42. annos (filius 42. annorum erat Achazia cum regnare inciperet (regnaret) & unum annum regnavit Ieruschalaimis: & nomen matris ejus (erat) Athalia filia Homri. Duo sunt hujus versus membra: Prius signat ætatem Achaziæ, cum regnum adiret, & qvamdiu regnum administravit. Et hoc accentu ^ athnach Imperatore est distinctum & finitum: Posterius verò indicat Achaziæ stirpem maternam ejusq; nomen pandit, & clausum est accentu Sylluk. Corrumpunt & depravant versum hunc Tremell- & Iunius: Ita enim vertunt: Cujus matri nomen Athalia, nata Homri agentis 42. annum, cum Achazia regnaret, qvi anno uno regnavit Ieruschalaimis, ac si ita in fonte legeretur. ושם אמו עתליהו
בת־עמרי בן־ארבעים ושתים שנה במלכו אחזיהו ושנה אחת
מלך בירושלים.

Vides hic membrum secundum versus hujus ab iis præponi & primum post poni. Est itaq; 1. hic transpositio & trajectio violentissima & in Scripturis S. inusitatissima. 2. Violatur interpunctatio pessimè. Nam qvæ cohærent disjunguntur, & qvæ disjuncta sunt combinantur. Verba enim בן־ארבעים ושתים שנה filius 42. annorum, qvæ infallibiter cum אחזיהו Achazia, ratione accentus (in textu qvi apparent) cohærent, ab eodem distrahuntur & avelluntur ac contrà qvò non spectant, & à qvo in ipso textu vel maximè distincta sunt, violenter traducta ceu infelicissimo conjugio copulantur.

Ab

Ab Amri enim diſtincta ſunt. 1. per Athnach 2. per Sylluk accentibus omnium maxime diſtingventibus: contrà. שנת ultima eorum verborum vox ſaltem duce, Paſchta notata eſt, qvi ea ab Achazia hic non ſeparat, longèq; minoris eſt authoritatis atq; ipſe Athnach. Placet huc arceſſere verba Tremellij & Junij egregia, qvæ habent in præfatione Bibliorum &c. *Regula eſt*, inqviunt, *γραμματικωτάτη, ſingularem vocum naturam, conſtructionem earum & interpunctationem obſervandam eſſe. At multa antehac fuerunt præter vocum naturam formamq; reddita, voces detortæ, res conſtructæ alia ab aliis diſtractæ, earum interpunctationes, qvaſi qvædam ſententiarum ſepes avulſæ.* Hactenus Trem. & Jun. Elegans etiam eſt ſententia Aben-Eſræ: *Qvæcunq; expoſitio non fuerit juxta rationem accentuum, ne ei acqvieſcito: author enim accentuum novit expoſitionem melius qvam tu ipſe:* Confer Buxt. in Theſ. p. 599. Horum ſi meminiſſent, nunqvam ejusmodi inſulſam & obſcuriſſimam traſectionem adhibuiſſent.

R. 2. Eandem ſententiam evertit ipſa φράσις: Ben arbaim &c. Etenim בֶּן cum שְׁנַת & numerali conſtructum, perſonisq; attributum, centies & ſepties licet in S. Sacris occurrat, ſemper tamen annos ætatis illarum perſonarum denotat, nunqvam verò annos officij & imperij. Ac eapropter verba hæc: Filius annorum 42. &c. neqveunt ſignificare numerum annorum regni Amri vel familiæ ejus. Agnoſcit hoc Alſtedius ita ajens p. 499. Hanc ſententiam refutat ipſa phraſeologia, itemq; collatio ſimilium locorum, ubi phraſis illa occurrit. Qvare violenta iſta expoſitio meritò exploditur.

R. 3. Etiamſi trajectio illa obſcurior, & portentoſa admitteretur, non tamen ſic res planè expediretur. Nam Amri qvidem regnavit 8. annis, ſed filius ejus Achab anno 8. & ultimo unà regnare cæpit, nimirum 38. anno Aſſæ 1. Reg. 16. v. 29. In ſupputatione igitur Amri non niſi 7. attribui poſſunt anni. Achabum qvod ſpectat, illi qvidem tribuuntur anni 22. c. 16. v. 29. 1. Reg. Verum cum Ahaſia unà regnare cæperit anno 21. relinqvuntur ſaltem anni 20. Ahaſia regnat annum, & Joram incipit regnare anno 22. Achabi, & qvidem 12. annos. Colligamus jam annos 7. Amri 20. Achabi 1. Ahaſiæ & 12. Jorami, & habemus 40. non verò 42.

III. Cajetanus, Torniellus & Oſiander hic mendum amanuenſi-

um agnoſcunt ac pro 22. ſcriptum volunt 42. Sed objicitur illis, omnes codices Hebræos, Chaldæos, Græcos, Latinos convenire ac 42. habêre. Alſtedius tandem dicit, ſe deſcendere in ſententiam eorum, qvi putant in Paralyp. notas olim numerorum vitiatas, inde in alia exemplaria & lingvas manaſſe, & pro כב 22. poſitum מב 42. qvæ notæ abſimiles non ſunt. At regero, in textu Hebræo non occurrere notas numerorum neq; lib. Reg. neq; Chron. ſed integris vocibus utrobiq; numerum fuiſſe deſcriptum 2. Chron. haberi אַרְבָּעִים 2. Reg. עֶשְׂרִים. Qvid ergo tandem ſtatuendum? Reſpondeo ingenue, me ignorare. Præſtat ignorantiam fateri, qvam falſa pro veris vel apprehendere vel venditare.

Qværitur hic 2. qvomodo in concordiam redigendi duo verſus 1. Reg 16. nimirum 16. & 23. Ibi enim aſſeritur Amri conſtitutum fuiſſe Regem à toto populo 27. anno Aſſæ, poſtqvam audierat Simri conſpiraſſe contra Elam, eumq; percuſſiſſe. Hic autem v. 23. proditur Amri anno 31 Aſſæ cæpiſſe regnare, & qvidem 12. annos. R. Anno 27. Aſſæ conflagrato cum regiâ domo ipſo Simri, cæpit Amri regnare, ſed regno per ſeditionem cum Tibni diviſo v. 21. mortuo autem Tibni ſolus regno potitur anno 31. Aſſæ. Verſus 31. itaq; ſic explicandus: Anno 31. Aſſæ ſolus cæpit regnare Amri ſuper Iſraëlem 12. annos, nimirum præter 4. qvos cum Tibni habuerat communes, adhuc alios 8. qvorum ultimus eſt 38. Aſſæ Regis Judæ.

Ab Athalia ad Joaſchum effluxerunt anni 6
1. Reg. 11. v. 1. & 3.

A Joaſcho ad Amaziam elapſi ſunt anni 37

I. Alſtedius & Langius Joaſcho annos 40. qvorum mentio expreſſe fit 2. Reg. 12. v. 1. & 2. Chronic. 24. v. 1. aſſignant, eosq; omnes numerant. Veruntamen cum Amazia filius anno Joaſchi 38. qvi eſt 2. annus Joaſchi Regis Iſraelis 2. Reg. c. 14. v. 1. unà regnare cæpit, ſeqvitur 37. ſaltem ejus annos eſſe ſupputandos.

II. Tremellius & Junius numerant 39. Joaſchi annos, ut ex tabellâ 2. Regum libro præmiſſa liqvet. Ut autem ad annorum eorum numerum pervenire qveant, verba hæc: בִּשְׁנַת in anno &c. vertunt: ab anno ut 2. Reg. 13. v. 1. & c. 14. v. 1. & verſ. 10. c. 13. addunt vocem, completo R. 1. Citra probationem & neceſſitatem vox

בשנת

בשׁנת c. 13. 1. &, c. 14 1. redditur ab anno & v. 10. c. 13. adjicitur vox completi. Si ita liceret procedere, facili negotio totam Regum Chronologiam immutarem & perturbarem. R. 2. Joaſch Rex Judæ incipit regnare 7. anno ipſius Jehu eſt 2. Reg. 12. v. 2. Ergo 28. & ultimus annus ipſius Jehu eſt 22. Joaſchi. Ni igitur velis hic absqve Scripturâ, imò contra Scripturam, interregnum unius anni ſtatuere, omninò ſeqvitur Jehoachazum filium Jehu cæpiſſe regnare in anno 23. Joaſchi Regis Iehudæ; non verò ab anno 23. hoc eſt 24.

Ab Amazia ad Uſiam ſunt 40

Regnat enim ipſe 29. & poſt ejus mortem eſt interregnum 11. annorum. Qværitur hic: An Interregnum ſit ſtatuendum? M. Helvig. Tremel. Iun. Belgici Interp. negant. Ego amplector affirmantem cum Luthero, Bucholzero, Calviſio & multis aliis. Qvia 2. Reg. 15. v. 1. legitur, qvod 27. anno Ierobeami Azaria vel Uſia cæperit regnare. Amazia autem pater ejus deceſſit anno 15. Ierobeami. Illis igitur 11. annis, qvi inter 15. & 27. annum fluxere fuit interregnum.

Excipiunt. 1. annum illum 27. Ierobeami, fuiſſe annum 24. Huzziæ: Ita Iunius in margine. Belgici Interpretes ita explicant verba, qvibus dicitur Uſia cæpiſſe regnare anno 27. Ierobeami: T W ommet volle machte als Konick alleene te regeren. Anders waß he oock tevorn ettelike Jahren in eenige regeeringe geweeſt/ offte ten minſten als Konig gehowden. ſiet boven/c. 14 v. 21. R. 1. Uziam anno 24. regni ſui & 27. Ierobeami demũ plenâ poteſtate & imperio ſolum regnare cæpiſſe dicitur, minimè autẽ demonſtratur, vel demonſtrari poteſt 2 Imò ne qvidem probabile & veriſſimile videtur. Dicunt enim Uſiam 18 anno Amaziæ, natum jam 16. annos, cum ipſius pater Amazia Lachiſcum fugeret, fuiſſe à populo conſtitutum Regem. Fuiſſet ergo anno 27. Ierobeami cum imperio 24. annis, & natus 40. annos. Qvomodo igitur dici poſſet, eum tunc demum ſolum regnare cæpiſſe plenâ poteſtate & imperio; anteà autem, præſertim 11 illis annis, qvibus mortuo patre regnum adminiſtraſſe ſtatuitur, ſaltem aliqvomodo regnaſſe vel ad minimum pro Rege habitum? 3. Præſupponit hæc exceptio, qvæ probari non poſſunt & qvæ non concedimus: Videlicet. 1. Amaziam annó 17. fugiſſe Laciſcum. 2. filium Uſiam, mox à conſpiratione contra Amaziam & ejusdem fugâ, fuiſſe conſtitutum Regem: Cum verba textus & cohærentia ejusdem ſignificent, Amaziam non niſi 29. vel ultimo regni ſui anno fugiſſe

Laciſcum, ibiq; à conjuratis per ſuos emiſſarios comprehenſum, morte affectum, Solymamq; reportatum & ſepultum 1. Reg 14. v. 17, 18, 19, 20. Filium verò Uſiam 4. annorum infantem ſub tutoribus vixiſſe, donec pubertatis annos attingeret. Eſſe autem hic ſenſum, qvem verba propriè & primò ſuppeditant, repudiandum, verbaq; aliter explicanda, id omninò prægnante aliqvâ & ſolidâ ratione erit oſtendendum.

Excipit 2 M. Helv. 2. Reg. 15. v. 1. agi, non de Uſiæ regni initio, ſed de ejus flore & ἀκμῇ, quando nimirum Uſa confirmatus ſuperbire cæpit, & mox leprâ percuſſus eſt. R. 1. Cum eadem hæc loqvendi formula in omni ferè hiſtoriarum Regum initio occurrat, notetqve, qvoto Regis συγχρόνου anno Rex cæperit regnare, qvot tum fuerit annorum, & qvot annos regno præfuerit, idem in exordio hiſtoriæ Azariæ Regis meritò obtinet tantiſper dum prægnans à contraſentientibus afferatur ratio, qvæ contrarium cogat. 2. Cum leprâ percuteretur Uſia vel Azaria non incipiebat, ſed deſinebat regnare. At his verbis non regni terminus & finis, ſed initium deſignatur.

Obj. Helvig. 1. Interregni ne verbulo qvidem mentionem Scripturam hic facere, uti aliàs libro Iudicum c. 19. v. 1. Fuit diebus illis, qvibus non erat Rex in Iſrael. R. Sufficit qvod per bonam conſeqventiam interregnum ex Sacrâ Scripturâ deducatur.

Obj. 2. Eſſe contra divinam promiſſionem 1. Reg. 9. v. 5. & 2. Chron. 7. v. 18. R. 1. Verbis illis promitti, non defuturum è ſtirpe Davidis ſucceſſorem: qvod autem uno defuncto Rege, mox novus debeat ſuccedere, nec poſſe aliqvod temporis ſpatium intermortuum & ſucceſſorem intercedere, ex iis minimè evincitur. 2. Promiſſio eſt conditionalis, ſi nimirum mandatum Dei ſint ſervaturi; ſin contra fecerint, minatur Deus ſe non tantum ad tempus, ſed & in totum ſtirpem Davidis regno dejecturum, imò è ſuperficie hujus terræ exſtirpaturum 2. Chron 7. v. 20. 3. Licet actu Regem filium Amaziæ Uſiam non mox à cæde patris, conſtituerint, legitimus tamen regni hæres Uſia & exſtitit, & dubio procul à populo habitus fuit.

Ab Azaria vel Uſia ad Jothamum elapſi ſunt anni 52
2. Reg c. 14. v. 21. & c. 15. v. 1. & 2. Chron. c. 26. v. 1. & 3.

Qværitur hîc: *Qvoto anno regni Regis συγχρόνου Jerobeami Azaria cæperit regnare?* 1. Rabbini, Genebrardus, Trem. & Iunius, Belgici Interp. & M. Helvigius volunt ipſum adiiſſe regnum, non 27. Ierobeami,

ami sed 15. anno, vivente adhuc Patre Amazia in exilio Lacisci. II. Lyra, Lutherus, & maxima pars Chronologorum, quibus adstipulor, ponunt initium regni Usiæ, 16. annum jam habentis, in 27. annum Jerobeami. Fundamentum eorum est clara Spiritus S. assertio 2. Reg. 15. v 1.

Obj. 1. M Helv. Si anno 27. Jerobeami Usia regnare cæpit, & qvidem natus 16. annos, seqvitur ipsum in lucem editum Lacischi 11. Jerobeami anno, & 25. Amaziæ, cum is esset in exilio & extremâ miseriâ, qvod vero minimè simile est, & absurditatem (uti loqvitur) incurrit. R. 1. Qvæ est conseqventia? Amazia fuit in exilio & miseriâ. Ergo ipsum eo tempore genuisse filium, non est verosimile, sed absurdum potius. Annon Israelitæ in Ægypto oppressi, & posteà captivitate Babylonicâ, nihilominus, imò eò magis liberos genuerunt. Exilium & Angustia liberorum generationem non tollit. 2. Amaziam anno 17. passum suorum conspirationem, fugisse Lacischum, ac ibi tot annis in exilio & miseriâ vixisse, dicitur; at invictè probatum nondum est, neq; etiam potest.

Obj. 2. Seqvi inde interregnum & in regno Judæ, & Israëlis. At hoc est contra Scripturam. R. Interregnum ex Scripturâ probavimus. Eidem igitur non adversatur.

Obj: 3. Ex apologo Joaschi Regis Israëlis intelligi, jam tum ipsum Amaziam habuisse filium, forsan 13. annorum, cui Rex Israel filiam denegavit. R. Error est ex non intellecto apologo. Confer notas Junij & Belgicorum Interpretum, ubi longè aliam, eamq; veriorem & meliorem deprehendes explicationem.

Obj: 4. Et qvi potuisset regnum administrari tot annis, si nec Amazia, nec filius, ejus loco regnasset? R. Per tutores pueri Amaziæ, & proceres regni.

Obj: 5. Cur non citius Asariam ad regnum evexerunt, cum septennis Joas, octennis Josia, & 12. annorum Manasses reges sint facti? R. Nulla est in objecto conseqventia. Habuit populus Jehudæ suas rationes absq; dubio, cur tam diu Regis electionem distulerint, qvæ nos latent, cum Scriptura hac de re taceat. Aliàs fortè ita difficilè non foret, afferre causas sat plausibiles, qvamobrem Joaschum anno ætatis 7, & Josiam anno 8, hunc Usiam verò paulò seriùs, & qvidem denum 16. anno regno præposuerunt.

Obj. 6. Seqveretur inde hoc absurdum, Achazum novennem genuisse

nuiſſe Hiskiam. R. Non eſſe neceſſarium, ut ſtatuamus, Achazum fuiſſe præciſè novennem, cum genuerit Hiskiam. Nam φράσις, Hiskias fuit filius 25. annorum, non neceſſariò importat, annum 25. eum compleviſſe. Poteſt igitur dici, phraſeologiâ hac non adverſante, Hiskiam cum regnum adiret, jam fuiſſe ingreſſum annum 25. ut ita parens ejus Achaz fuerit decennis, cum Hiskias in lucem ederetur. Decennem autem gignere, utut forſan rarò evenerit, non tamen prorſus eſt impoſſibile & naturæ inconveniens. Refert enim Hieronymus, puerum novem annorum coiviſſe, ac propriam nutricem gravidam reddidiſſe. Confer etiam ſi libet, D. Johannem Scenkium l. 4. Obſervat. Medic. & Jacobum Menochium Juris Conſultum excellentisſimum l. 2. cent. 1 de arbit. Judicum qvæſt. p. 175. & M Johan. Sperling tractatu de formatione hominis in utero c. 2. p. 49. Ubi aliqvot hiſtorias puerorum, qui novennes aut decennes generarunt, recenſent. Hoc ſi verum, cur puerum ex populo fæcunditatis benedictione celebratisſimo, & ex heroico & regio ſangvine, tot centenis annis antè, qvando natura adhuc fuit firmior & robuſtior, oriundum genuiſſe decennem adeò eſſet abſurdum & naturæ inconveniens? R. 2 Si verò omninò imposſibile (qvod tamen nondum mihi eſt perſvaſum) foret, decennem gignere, poſſemus dicere, Achazum aliqvot annos cũm patre Jothamo regnaſſe, & tum, cum id regimen, qvod cum parente ipſi fuit commune, ſuſceperit, fuiſſe 20 annorum. Nec posſunt hoc refutare contraſentientes. Ipſi namq; aliomodo abſurdum hoc naturæ (ipſorum verbis utor) non conantur evitare, nec etiam poſſunt.

Regeris: qvot annos hac ratione addis Achazo ad juſtum tempus generationis, tot Jothamo demis, & ſic idem ibidem recurret abſurdum. R. Negatur. De Jothamo enim extra dubium eſt, eum cum imperio fuiſſe, patre ejus ob lepram ab hominum conſortio excluſo, non parvum temporis ſpatium, licet certum annorum numerum, Sacra S. ſilente, definire neqveamus. Qvamobrem, illius ſi in primordio eum 25. annorum fuiſſe, dixeris, dubium exſpiraſſe manifeſtum eſt.

A Jothamo ad Achaziam ſunt anni 15

2. Chron. 27. v. 1. & inprimis 2. Reg 15. v. 32. & 33. refertur Jothamum regnaſſe 16. annos. Qvia verò filius ejus Achazia anno 16. qvi eſt 17.

Peka

Peka filij Remaliæ regnare cæpit, remanent Jothamo ſaltem 15. Qværitur hic: *Qvando Jotham annum 25. aſſecutus ſit?* R. M. Helvig. & qvos ille ſeqvitur, ipſum jam tum fuiſſe annorum 25, cum domui paternæ & regno præeſſe cæperit, Patre ob lepram ſemoto. Aliàs enim, ſi Jotham patre mortuo demum annum 23. eſſet conſecutus;unde inqvit, haberet Achatz ætatem, qvi filium Hiskiam genuit natus annos 25. non vero 9. vel 10. R. 1. Unde probabitur Achaziam vel fuiſſe vel eſſe debuiſſe 25. annorum, cum genuerit Hiskiam? Potuitne gignere annos natus 14. 15 &c.? R. 2. Probabile eſt Jothamum jam tum, cum ob patris lepram regni adminiſtrationem iniret, fuiſſe 25. annorũ. Qvot autem annos illi adminiſtrationi præfuerit, incertum. Annus enim, qvo pater leprà eſt percuſſus, in Sacris literis non annotatur. Qvare qvotocunq; etiam anno regni paterni & συγχρόνου Regis Iſraëlis, Jotham regni adminiſtrationem ſuſcepit, Achaziæ tamen deeſſe neqvit ætas generationi conveniens, ut ita nulla ſit neceſſitas annum 27. Jerobeami referre, non ad initium regni Uſiæ, uti clara textus verba poſtulant; ſed ad tempus qvo regnum ejus in ſummo flore & excellentiâ erat, atq; animus ejus ſe efferebat, & idcircò elephantiaſi percutiebatur.

Ab Achazo ad Hiskiam fluxerunt 14

Achazo tribuuntur qvidem 16. anni 2. Reg. 16. v. 1. 2. Chron. 28. v. 1. qvia tamen Hiskias incipit regnare in fine anni 3. Hoſeæ ultimi Iſraëlitarum Regis, atq; adeò duos cum patre annos habuit communes, 14. ſaltem Achazi ſunt computandi.

Qværitur hic 1. *Qvomodo conciliandus v. 30. cum* v. 33. c. 15. 2. Reg.? Hic enim diſertè traditur Jothamum 16. annos ſaltem regnaſſe, qvorum ultimus ei cum Achazo filio fuit communis: Illic verò Hoſchæam factum Regem Iſraëlis anno 20. Jothami. R. 1. Nonnulli putant Jothamum 4. annis imperio præfuiſſe ante 16 illos, cum pater ob lepram eſſet ſemotus, eosq; hic v. 30. adnumeratos 16. illis, qvorum mentio injicitur v. 33. Sed hac ratione 20. ille annus cum 16. & ultimo coincideret, eſſetq; unus & idem, qvod eſſe non poteſt. Nam 20. illo anno Jothami percuſſit Hoſchea Pekam filium Remaliæ, & loco ejus regnare cæpit. v. 30. Cædes autem Pekæ non facta eſt anno ejus qvi eſt 16. Jothami, ſed poſt 20. ipſius Pekachi Remaliæ annum. 2. Melius

lius ergo respondetur annum illum 20. intelligi à capto regno Jothami. Qvamvis enim jam aliqvot annos mortuo Jothamo, filius ejus Achaz regnarat, nondum tamen ipsius Achazi mentio erat facta. Atq; ideò tempus à superiore Rege describitur, inqvit rectè Junius.

Qværitur hic 2. *Qvi tollenda apparens illa contradictio qvæ est inter* c. 17. v. 1. & c. 15. v. 30. 2. Reg? Nam 2. Reg. 17. v. 1. regnasse 9. annos dicitur Hoschea, cum tamen c. 15. v. 30. legatur ipsum anno 20. Iothami occiso Peka filio Remaliæ regnasse loco ejus. Non ergo 9. sed 16. annos regnavit. R. Hoschea mox à morte Pekachi regnavit imperio mero 7. annis (non 8. ut putat Iunius. Nam 8. ille annus incidit in 12. Achazi & eodem anno Rex Assyriæ ipsum fecit sibi tributarium c. 17. v. 1. & 3. Non ergo 8. ille annus est supputandus) & postea tributario 9. annos. Alij aliter respondent.

Qværitur 3.

Qvomodo intelligendi anni 65. qvorum fit mentio Esai. 7. v. 8?

I. M. Helv. numerat illos ab anno, qvo Propheta Amos prophetare cæpit, biennio ante terræ motum, & lepræ immissionem Amos. c. 1. v. 1, interitumq; regni Israelitici primum prædicere c. 3. v. 12. c. 4. v. 5. c. 5. 27. c. 7. v. 11. c. 8. v. 14. Elapsi autem erant, inqvit, è 65. annis illis eo tempore, qvo Esaias eorum meminit, ferè 46. & adhuc exspectabantur 19. anni, qvi 9. anno Hoscheæ terminantur, qvo regnum Israelis est finitum, & populus Israeliticus è terrâ suâ in Assyriam abductus, ut vaticinatus fuerat Hoseas. Addit ejusmodi accuratam 65. annorum supputationem apud nullum alium Chronologum inveniri. R. 1. Non unum hac in supputatione meritò desiderari. 1. Qvomodo probabitur, Prophetam Amos cæpisse prophetare, & populi Israelitici totalem perditionem prædicere biennio ante, qvam Uzia elephantiasi percuteretur? Dicit Propheta se cæpisse prophetare biennio ante terræ motum, sed cum terræ motu fuisse conjunctam Usæ percussionem, eamq; factam anno ejus 24. de eo nihil habet Propheta, nec qvisqvam Scriptorum θεοπνεύστων. Fatetur hoc D. D. Iohan. Tarnov. in Comm. p. 15. Est saltem opinio Iudæorum & aliorum, qvi eos hic seqvuntur. Cui cum M. H. innititur, de supputationis ἀκριβείᾳ & certitudine frustrà gloriatur. 2. Etiamsi concederetur, terræ motum, & Usæ supplicium concurrisse, eaq; facta anno 24. ipsius Uziæ, non tamen

tamen hæc explicatio rectè se haberet. Nam 1. Ipsa Esaiæ verba indicant ab eo ipso tempore, qvo hæc Prophæta proferebat, annorum 65. initium sumendum, eosq; annos adhuc futuros, minimè verò jam effluxisse 46. & saltem 19. annos esse expectandos. 2. Qvæ etiam est conseqventia? Amos 46. annis ante hanc Esaiæ de 65. annis prophetiam primum prædixit Israelitas è terrâ deportatum iri in Assyriam. Ergo ab illo tempore anni 65. inchoandi?

II. Rectius alij censent, prophetiam hanc impletam tempore Asserhaddonis. Licet enim annis 19. post hanc prædictionem Salmanasser Samariam expugnarit & Israelitas in Assyriam abduxerit, aliqvot tamen tenuioris fortunæ homines illic remansisse, vero admodum simile est, & à non nullis ex Amos c. 3. v. 12. non ineptè probatur (confer notas Junij & Interpr. Belg.) Tandem 22. anno Manassis Asarhaddon Senacheribi filius populos peregrinos in terram Samariæ traduxit, & qvos ibi Salmanasser reliqverat, in Assyriam deportavit. 2. Reg. c. 17. v. 18, & seq Esra. c. 4. v. 2. & 10.

Obj: Mox anno 9. Hoschea omnes Israelitas in Assyriam transportatos, ut sola Juda remanserit. 2 Reg. 17. v. 18. R. In secundo versus illius 18. inciso involvi aliam populi Israelitici translationem, qvæ facta est ab Asar baddone, qvando is alienos populos in terram Samariæ transduxit.

Regeris: Uno eodemq; tenore historiam illam narrari.

R. Usitatum esse in Scripturis, ut historia qvædam continuatur & ad finem perducatur, diverso licet tempore evenerint historiæ partes. Exemplum præbet præsens locus clarissimum. Refertur populos ex Assyriæ regionibus in Samariam traductos damnum cæpisse à leonibus &c. hoc autem non factum est brevi post expugnatam Samariam à Salmanassere, sed longè post mortem non modò Salmanasseris, sed & Senacheribi, tempore Assarhaddonis, ut patet ex Esra c. 4. v. 2. & 10.

Ab Hiskia ad Manassem sunt 29

2. Reg. 18. v. 1. & 2. Chron. 29. v. 1.

Qværitur hic 1. *Qvo paterni imperij anno Hiskias regnare cæperit?* R. 15. anno. Objicitur 2. Reg. 18. v. 1. haberi, Hiskiam regnum adiisse anno 3 Hoscheæ, qvi est 14. ipsius Achazi. R. 2. Reg. 18. v. 9. & 10. ita legitur: Fuit autem anno 4. Regis Chitzkiæ, is annus erat 7. Hoscheæ &c, ut ascendens Schalmanasser obsideret eam. Deinde cæpit eam

ſub finem 3. anni (obſidionis) anno 6. Chitzkiæ, is erat annus 9. Hoſcheæ &c. Hinc ita colligo: Si 4 annus Hiskiæ eſt 7. Hoſcheæ, utiq; 1. Hiskiæ eſt 4. Hoſcheæ, non vero 3. At prius eſt. Ergo. Qvod igitur attinet v. 1. c. 18. dico, de anni 3. fine id eſſe intelligendum.

Qværitur 2. *An Sabbaticus annus in 13. Hiskiæ annum inciderit?* Affirmantem amplector, ac arbitror Sabbaticum illum circa autumnum anni 13. Hiskiæ cæpiſſe & finiſſe in autumno anni 14. ejusdem. Poterit hoc probari ex effato Eſaiano 2. Reg 19. v. 29. & Eſa. 37. v. 30. Hoc vobis erit ſignum, hoc anno commedetis ſponte enatum (ספיח) ſecundo renatum (שחיס) & anno tertio ſerite & metite &c. Si igitur debuerunt comedere ſpontè natum, & qvidem anno 14. utiq; cultus agrorum ceſſarat anno 13. & conſeqventer annus 13 fuit Sabbaticus.

Excipis: ceſſaſſe culturam agrorum non ob religionem anni Sabbatici, ſed ob hoſtium Aſſyriorum graſſationes & direptiones. R. Omiſſa fuit agrorum cultura 13. Hiskiæ anno, qvo Sabbaticus in autumno cæpit. Sanacherib autem ſuo cum exercitu anno 14. demum venit. Ejus igitur adventus & præſentia terræ Sabbatum non importavit.

Regeris: Etſi concedatur fuiſſe annum Sabbaticum, non tamen concedi, incidiſſe in annum 13. Hiskiæ, ſed in 14. Id enim reqvirere verba Prophetæ dicentis: primo anno edendum ſuà ſponte natum, ſecundo renatum, tertio demum ſerendum &c. Si itaq; primus annus eſt 14 Hiskiæ, ut negari neqvit, utiq; ſecundus erit 15. & tertius 16. Hiskiæ. R. Diſtingve inter ipſum annum Sabbaticum, & annum, qvo, qvæ in Sabbatico ſponte enata erant, comedere debebant. Anno 13. cæpit Sabbaticus in autumno, & anno 14. poſt tempus meſſis de ſponte natis edere cæperunt, qvæ non ſunt confundenda. Ut autem res melius intelligatur, ac ſententiæ hujus veritas perſpiciatur, explicabo oraculum Eſaiæ: Hoc vobis eſto ſignum: comedire (vos) hoc anno (14. ſcilicet Hiskiæ) qvod ſuâ ſponte ex granis, in meſſe anni 13. Hiskiæ exciduis enatum eſt, & qvod tempore meſſis anni 14. in communi collectum fuit, annno ſecundo, hoc eſt, ſeqventi anno 15. qvi Jubilæus eſt (is enim cæpit in autumno anni 14. & deſiit in autumno anni 15. Hiskiæ) edatis renatum, & circa autumnum ejusdem 15. anni, qvo incipit annus hic tertius, ab inchoato videl. in 13. anno Hiskiæ circa autumnum Sabbatico, ſerite & ſuo tempore metite.

Qvæ-

Qværitur 3. *An in Autumno anni 14. Hiskiæ cæperit Jubilæus?* R. affirmativè. Qvia 1. illo tempore terra Judaica, postqvam præcedenti 13. anno qvieverat, secunda vice Sabbatum agere cæpit. Conseqventia hæc est. nunqvam terra Judaica biennio qviescere debebat, nisi anno Jubilæo. Tum enim nec septimo Sabbatico, nec seqventi anno, qvi Jubilæus est, ager colebatur, hoc est, nec arabatur, nec serebatur, nec metebatur, nec fruges deniq; in horrea convehebantur. Confer de his omnibus lib. 1. par. 1. Sect. 5. Qvia 2. Ipsa annorum ab occupatâ & sorte distributâ terrâ ad 14. hunc Hiskiæ annum (inclusivè) numeratorum supputatio idem evincit. Sunt enim exactè 736. anni, qvos si diviseris per 7. habes 105. Sabbata annalia & 15. Jubilæos. Est igitur 13. Hiskiæ annus Sabbaticus 105. & 14. annus Jubilæus 15.

A Manasse ad Ammonem effluxerunt anni 55
2. Reg. 21. v. 1 & 2, Chron. 33. v. 1.

Ab Ammone ad Josiam 2
2. Reg 21. v. 19. & 2. Chron. 33. v. 21.

A Joschija ad Joachazum 31
2. Reg 22. v. 1. & 2. Chron 34. v. 1.

A Joachazo ad Jojakimum
elapsi sunt 3. menses.

A Jojakimo ad Jojachinum 11
2. Reg 23. v. 36. & 2. Chron. 36. v. 5.

Qvæ hic de Jojakimi historia disputari possunt & solent, vide discussa Sectione seqventi.

A Jojachino ad Zedekiam fluxerunt 3. menses & 10 dies. Tot enim saltem regnavit. 2. Reg. 24. v. 8. & 2. Chron c. 36 v. 9. & 10.

Qværitur hic: *Qvomodo concilianda dicta.* 2 R. 24. v. 8. & 2. Chro. c. 36 v 9. Illic enim dicitur, qvod Jojachin fuerit annorum 18 cum regnare cæperit: Hic verò qvod fuerit 8. saltem annorum. R. 1. Junius conatur ita conciliare, ut verba illa, cum regnare inciperet, בְּמָלְכוֹ restringat ad Jojakimum hujus Jechoniæ patrem Ita enim addit: Natus 8. annos Jehojacin, qvum ille (addit in notis, id est, pater hujus. Vide similem locutionem 2. Reg. 16. v. 2.) regnare inciperet. R. explicationem illam non valere. Nam 1. ut ut in omnibus ferè historiarum Regum exordiis hujusmodi loqvendi ratio se offerat,

 nullibi

nullibi tamen Juniana hæc ἐξήγησις locum habere poteſt, hoc eſt במלכו non ſpectat ad alium, qvam cujus anni immediatè recenſiti erant. 2. Interpunctatio idem evincit. Nam vox, qvæ במלכו ἐμμέσως præcedit, non niſi munach ſervum viliſſimum habet, qvod indicium non leve eſt, hoc מֶלֶךְ regnare, cohærere cum eo, qvi dictus fuit filius 8 annorum. 3. Nec computatio annorum hanc ςρεβλὴν admittit. Fuit Jechonia 8. natus annos, cum pater, inqvit Junius, regnare inciperet. Adde 11 annos, qvibus pater Jojakim regnavit & habes 19. annos. Fuit ergo Jechonias cum regnum 3. menſium adiret natus non 18, annos, qvod tamen expreſſè legitur 2. Reg. c. 24. v. 8; ſed juxta conciliationem Junij 19. 4. Locus adductus ex 2. Reg. 16. v. 2. nihil probat. Nam & ipſe eandem, vel invitiſſimus, corruptelam Junianam, paſſus eſt.

R. II. longè rectius dicitur, Jojacinum cum patre regnaſſe 10. annos & poſt patris abductionem ſolum menſes 3. & 10. dies. Ita Lyra, Lutherus, Alſtedius, Belgici Interpretes, Biblia Vinarienſia (ſed duntaxat 2. Reg. 24. v. 8. Nam qvi 2, Chron. 36. v. 9. παρέφραστιν addidit, Junio aſſentitur.) Erat itaq; annorum 8. cum à patre in regni conſortium cooptaretur, & de eo agiur 2. Chron. 36. v. 9. annorum vero 18 erat, cum, patre à Nebucadnezare abducto, ſolus regnare inciperet, de qvo 2. Reg. c. 24. v. 10.

Objicitur. In tam tenerâ ætate filios à parentibus non adſciſci ad regni gubernationem. R. Jechoniam fuiſſe cooptatum in regni conſortium, non ut mox patri in adminiſtrandâ Republicâ eſſet adjumento vel ſocius, ſed ut regni hæres agnoſceretur, atq; adeò nè regnum Judaicum illis periculoſiſſimis temporibus, ſi forteàn ipſe inopinatò decederet, capite prorſus careret nec etiam regia dignitas à ſuâ familiâ, ad aliam deſcenderet.

A Zedekia ad templi destructionem elapſi ſunt anni. 11
2. Reg. c. 24. v. 18. 2. Chron. c. 36. v. 10. 11.

Summa à templi ædificatione ad ejusdem exuſtionem eſt 4.|428½. annorum.

Qværitur 1. *An 10. Zedekiæ cæperit annus Sabbaticus?* Affirmamus. Qvia 1. id teſtatur Jeremias c. 34. v. 8. & ſeq. Ubi dicit, Zedekiam pepigiſſe fœdus cum principibus, & toto populo, de promulgandâ ſervis & an-

& ancillis libertate, ac omnes auscultantes v. 10. servos & ancillas dimisisse liberos, idq; juxta legem Sabbatici anni v. 14. & seq. licet postea iterum receperint & subegerint in servos & ancillas. Factum hoc est tempore obsidionis Solymorum v. 21. Ergo vel anno 9. vel 10. vel 11. Non 9.. Qvia ejus mense 10. demum Nebucadnezar ascendit Hierosolymorumq; obsessionem exorsus est. Neq; anno 11. Qvia ante autumnum (qvo Sabbaticus incipere solebat) dudum urbs erat capta &c. Ratio qvia annus Zidkijæ cæpit in מַרְחֶשְׁוָן. Ergo anno 10. libertatem illam promulgarunt, idq; in mense 7. תִּשְׁרִי juxta Dei legem.

Qvia 2. idem evincitur ex Jeremiæ c. 28. v. 1. Scribit ibi Propheta: Et factum est anno eodem & (videlicet) in principio regni, Zidkiæ Regis Jehudæ, anno qvarto, mense qvinto: allocutus est &c. Qvis nam hic sit annus qvartus, ambigitur à doct s Belg ci Interp etes intelligunt 4. annum ipsius Zedikiæ. Dicunt hoc 4. anno Jer. 28. v. 1. misisse legatum in Babyloniam. Hoc autem 4 Zedekiæ anno factum, manifestum est ex c. 51. v. 51. Jerem. R. Cum expressè dicatur hunc 4. annum cucurrisse in initio vel principio (בְּרֵאשִׁית) regni Zedekiæ, non potest esse ejus qvartus. Alij intelligunt 4. à transmigratione Jechoniæ in captivitatem. confer. Bibl. Vinar. Sed nec ea sententia subsistere valet. Nam qvo anno Jechonias in captivitatem abductus est, eodem Zedekia regnum adiit 2. Reg 24. v. 12. & 2. Chron. 36 v. 10. Jer. 37. v. 1. Esset ergo 4. annus Zedekiæ, non verò ejus initium seu annus primus. Judæi intelligunt 4. annum Schemitæ seu Sabbati vel septimanæ annalis, qvâ cum etiam accuratior supputatio consentit. Sed hæc dilucidius erunt explicanda. Moritur Josia vel in fine נִיסָן vel initio אִיָּר, succedit Joahas, & regnat 3. menses, videlicet אִיָּר סִיוָן & תַּמּוּז. Pharao Necho remoto Jaahas, substituit Jojakimũ vel exeunte תַּמּוּז vel ineunte אָב. Regnat hic annos. Qvod si igitur 11. hi anni fuerint cõpleti, qvod omnino statuendum est, cum integrè anni sumendi sint, dum Scriptura cõtrarium ostendit; utiq; Jojakim decessit vel exeunte תַּמּוּז vel ineunte אָב. Succedit huic Jehojachin eodem tempore & regnavit 3. menses & 10. dies, nempè אָב, אֱלוּל תִּשְׁרִי & in מַרְחֶשְׁוָן transportatur in Babylonem à Nebucadnezare: constituitur ab eodem Rex Zedekia in מַרְחֶשְׁוָן. Cum igitur annus 4. Sabbati annalis præcedenti תִּשְׁרִי cæpisset,

pisset, seqvitur primum Zedekiæ annum incidere in annum hunc 4. Hinc ita argumentor. Si annus 4. hebdomadis annalis, præcessit mense annum primum Zedekiæ, utiq; annus septimus & Sabbaticus antecessit mense annum 4 & Sabbaticus, hunc seqvens annum Zedekiæ 11. & per conseqvens anno 10. Zedekiæ circa finem vel ultimo mense cœpit. At prius est verum. Ergo & posterius.

Qværitur. 2. An prædictus Sabbathicus fuerit insimul Jobilæus? R. Negatur. Videatur lib. 1. par. 1. Sect. 5. Ubi συζήτησις hæc explicata est.

SECTIO VI.
Tradens
Intervallum sextum.

AB excidio urbis & templi Hierosolymitani ad solutam captivitatem Babylonicam elapsi sunt anni 59. Colliguntur ita.

A destructa urbe & templo Hierosolymitano ad Evilmerodachum fluxerunt anni 25

Ineunte enim 19. anno Nebucadnezaris Hyerosolyma & templum eversa sunt. Regnavit qvippe Nebncadnezar 43. annos. Ab his si detraxeris 18 residui maneat anni 25. Judæi qvidem, qvos seqvuntur Genebrardus, Lucidus & alii, assignant Nebucadnezari 45. annos, sed rem se ita non habêre, facilè demonstrabitur. Si enim 18. Nebucadnezaris annus desiit anno deportationis Jechoniæ 11. ut ex Jeremiæ c. 52. certum est, utiq; 45 desineret in anno 38. transmigrationis. At 37. translationis Jechoniæ anno jam fluxit annus primus Evilmerodachi. 2. Reg. 25. v. 27. Jer. 52 v. 31. Sulpitius ei tribuit 26. annos. Hoc à vero multò longius aberrat. Si namq; anno 11. captivitatis, Nebucadnezaris 19. annus initium sumpsit, seqvitur eum, ex sententià Sulpitij, anno 19. captivitatis obiisse. In eo enim 26. annus terminatur. At Scriptura S. expressè docet, 37. anno captivitatis Evilmerodachum demum regnum adiisse. Qvare cum inter Nebucadnezarem & Evilmerodachum filium ejus nullus alius intercesserit, verum esse neqvit, Nebucad nezarem duntaxat 26. annos regnasse, qvomodocunq; etiam explices.

Ab Evilmerodacho ad Belsazarem numero annos 18

Vari-

Variant & hic Authores. Judæi & Genebrardus Evilmerodacho assignant annos 23. Annius, Johannes Lucidus, Scultetus 30. Sulpitius in Sacr. histor: 12. Josephus l. 10. antiq. c. 12. ei tribunt 18. & eum hic seqvor.

A Balthasare ad Darium Medum 14
A Dario Medo ad Cyrum 2
Summa 59.

Qvæstio I.

Qvando & qvo anno captivitas 70. annorum Babylonica cæperit & qvo terminata fuerit?

Judæos in captivitatem fuisse abductos, ibiq; mansisse 70. annos, extra omne est dubium, Scripturâ S. id disertè tradente. 2. Reg. 24. v. 12. & 14, 15, 16. c. 25. v. 11. 2. Chron. 36. v. 21. Jerem. 52. v. 15. & 28. 29. 30. c. 25. v. 11. Qvando autem, & qvo anno illa captivitas inceperit, & qvando soluta sit, admodum est controversum. Ut autem eò melius res ipsa intelligi & tractari possit. 1. de 70. horum annorum initio. 2. de eorundem fine agemus.

MEMBRUM I.
De Initio.

SUperiori & præsenti etiamnum seculo tres inprimis de 70. annorum captivitate sunt opiniones.

I. Funcius ejusq; asseclæ hos 70. annos numerandos dictitant ab urbis & templi Hierosolymitani excidio. II. Eusebius, Dionys. Pevavius, M. Helvig. M. Vorstius statuunt 70. hos annos inchoandos à 3. vel 4. Jojakimi anno. III. Josephus Scaliger, Sethus Calvisius, Wilhelmus Langius, & alij censent, 70. annos hos exordiendos à deportatione Jechoniæ. Optima & vero proxima est hæc sententia, probaturq; 1. Ex Jerem. c. 29. v. 1. & seq. Collectio poterit esse talis. Qvibus non nisi post 70. annorum decursum promittitur ex Babylone in Judæam patriam reversio, ab eorum deportatione initium 70. annorum captivitatis Babylonicæ est sumendun. At cum Jechoniâ deportatis, non nisi post 70. annorum decursum promittitur ex Babylone in Judæam patriam reversio. Ergo ab eorum deportatione initium 70. annorum captivitatis Babylonicæ est sumendum. Minor propositio ex allegato Jeremiæ loco patet. Major probatur. Qvia anni

anni captivitatis Babylonicæ numero ſeptuagenario determinati fuerunt. Jerem c. 25. v. 11. c. 29. v. 2.

Excipit I. M. J. V. Prophetam c. 29. illis verbis nihil aliud ſignificare, qvam deportatos in Palæſtinam, reduces factum iri, cum 70. anni effluxiſſent. Partem autem iſtorum 70. annorum jam elapſam fuiſſe, ex alio loco intelligendum ſupponere.

R. Partem 70. annorum tum elapſam ſupponi, negamus, & rationes negationis damus has. 1. Qvia 4. demum Jojakimi anno, qvo primus Nebucadnezaris annus cœpit, Jeremias primum immorigeris Judæis ex mandato Dei prænunciat, & comminatur Nebucadnezarem Regem Babylonis venturum, populumq; in captivitatem & ſervitutem 70. annorum, abducturum. Jer. c. 25. v. 1. & ſeq. Non ergo tertio anno Jojakimi hæc facta dici poſſunt. 2. Nec etiam vel tertio, vel qvarto Jojakimi anno urbs Hieroſolymorum à Nebucadnezare obſeſſa vel oppugnata eſt, nedum occupata vel ei dedita. Ergo nec captivitas Babylonica tum initium habêre potuit.

Reg. 1. Danielem c. 1. indicare tertio Jojakimi anno Nebucadnezarem veniſſe, Solymam obſediſſe, ac tandem partem inſtrumentorum domus Dei, & florem juventutis ex ſemine Regum & procerum Babylonem deportaſſe.

R. Hæc non fuiſſe facta tertio vel qvarto Jojakimi anno, ſed ejus undecimo. Non enim tertius ille Jojakimi annus Dan. 1. v. 1. numerandus eſt, ex qvo à Pharaone Necone Rex primum eſt conſtitutus, ſed ex qvo Nebucadnezari factus eſt tributarius. Sed de eo poſt pluribus.

Reg. 2. Ex Jeremiâ c. 25. v. 18. apparere, qvarto Jojakimi anno jam Hieroſolymis fuiſſe חָרְבָּה וְשַׁמָּה ſolitudinem & vaſtitatem. Cum mox addatur כַּיּוֹם הַזֶּה ſicut hodiè eſt. Bellum ergo & hoſtilem irruptionem præſupponit.

R. 1. Dicto loco Propheta captivitatem & vaſtitatem ut futuram adhuc prædicit & minatur. Ergo nondum fuit præſens. Nec 2. illa verba כַּיּוֹם הַזֶּה contrarium evincunt. Dicendum enim omninò, Prophetiam hanc qvidem factam fuiſſe qvarto Jojakimi anno, ſed literis mandatam, poſtqvam in effectum jam erat deducta & eventu comprobata, atq; tum à Prophetâ hæc adjecta verba, ut rectè explicatur in Bibliis Vinarienſibus & ab Interpretibus Belgicis. *Ex-*

Excipiunt II. Funciani: Seqvelam non esse bonam. Nam Ieremiæ verba c. 29. non sunt determinatio præsentis, sed prædictio de futuro. Nam etiam longè antè sermonem habuit de 70. captivitatis annis, nempè 4. Jojakimi, ut legitur Ier. c. 25. non tamen seqvitur, qvod 70. anni tunc inceperint Ioh. I. Hainlin. Responsionis hujus ut Laconicæ, ita & subobscurioris, videtur ea mens esse, prædici hic saltem 70. annos in Babyloniâ implendos esse, non verò addi, jam tum fuisse inceptos, eosq; jam fluere. Neq; enim in textu Ieremiano apparêre לכם vel vobis, qvibus verba, juxta impleri 70. annos Babylone, ad deportatos cum Iechoniâ restringantur.

R. 1. Prophetam c. 29. non tantum futura prædicere, nimirum 70. annos in Babyloniâ esse implendos, sed etiam præterita jam narrare, videlicet Iechoniam, & multos alios jam antè in captivitatem Babylonicam 70. annorum abiisse. v. 1. Etiamsi enim vox לכם vel similis aut æqvipollens in præsenti Ieremiæ loco non addita sit, textus tamen cohærentia evincit, 70. annos numerandos esse à tempore, ex qvo populus hic Iudaicus, qvo de versu 1. & seq. agitur, à Nebucadnezare captivus in Babyloniam est deportatus. Facit huc 1. oppositio, qvæ est inter prophetiam Ieremiæ veri Prophetæ, & Hananiæ, hujusq; complicum Pseudoprophetarum. Hi garriebant, vix elapso biennio, jugum Babylonicum à Deo fractum & populum è Babyloniâ Hierosolymam &c. reductum iri c. 28. v. 2. 3. Ier. Contrà Ieremias divino impulsus Spiritu dicit & epistolio significat, falli & fallere Pseudoprophetas. Non enim tam citò populum translatum rediturum, sed demum 70. elapsis annis, qvos Deus captivitati Babylonicæ præstituit. Hic ipsa sana ratio suadet, ut biennium ab illo captivitatis tempore initium sumpsit, ita & 70 annos ab eodem temporis articulo esse inchoandos. Si enim à vastatione urbis Hierosolymorum tempore Hiskiæ demum factâ, anni 70. supputandi essent, Prophetam ita oportuisset dicere: non post vel intra biennium, sed post 81. annos in Babyloniâ completos, in patriam redibunt &c. Idem 2. probatur ex versu 16. & seq. Ubi iis, qvi cum Rege Zedekiâ, Jechoniâ in captivitatem abducto, Hierosolymis residui erant, Deus minatur, se gladio, fame, & peste eos persecuturum, ac daturum in vexationem in universis terræ regnis, in maledictionem, & in sibilum cunctis gentibus, donec consumantur de terrâ. Confer etiam c. 24. Jer. His

ipsis libertatis & in patriam reditus, postqvam semel abducti erant, spem omnem adimit. *Fluit hinc ejusmodi Syllogismus.* Qvibuscunq; reditus in patriam Judæam denegatur, ab eorum deportatione 70. anni captivitatis non sunt inchoandi. Atq; cum Zedekiâ in Babyloniam deportatis reditus in patriam denegatur. Ergo. Connexionis in majore est hæc ratio. Qui enim omni restitutionis spe destituuntur, ad eos non spectat finis 70 annorum captivitatis, & conseqventer nec initium. Deniq; 3. ex c. 25. v. 11. 12. Jerem. eadem sententia nostra firmatur, & adversariorum destruitur. Legitur ibi populum Judaicum Regi Babyloniorum serviturum 70. annos. Iis elapsis & ipsum Regem Babylonicum visitatum & servituti subjectum iri. *Hinc ita argumentor.* Qvandocunq; Judæi in captivitatem Babylonicam abducti Nebucadnezari cæperunt servire, ab eo tempore 70. captivitatis & servitutis anni sunt numerandi. At non demum 19. Nebucadnezaris anno, sed dudum ante, nempe anno ejus 7. vel 8. eidem in Babylonem translati servire cæperunt. Ergo. Majoris cohærentia ita stabilitur. Qvia hic 70. annorum servitus & captivitas opponitur inhabitationi & hæreditariæ possessioni patriæ, &, qvâ in eâ gaudebant, libertati. Confer. v. 5. & seq. Qvam primum igitur possessione terræ Judaicæ, & libertate spoliati in Babyloniam migrarunt, mox cæpisse 70. annorum captivitatem & servitutem, manifestum est.

Resp. II. Caput 25. Jerem. adversæ parti nihil favere. Nam confunduntur loca S. Scripturæ diversissima. Jer. c. 25. captivitas prædicitur, ut adhuc futura, ut omnia verba clamitant. Ideò indè colligi neqvit, jam tum 70. annos cæpisse. Hic autem. c. 29. Propheta non tantum futura prædicit, sed etiam narrat præterita, Nebucadnezarem scil. venisse, & maximam populi partem, Regem ipsum, & totius populi Judaici florem ex Judæâ & Hierosolymâ in captivitatem Babylonicam abduxisse. Præsupponitur igitur captivitas Babylonica jam facta, & de reductione in patriam agitur, qvam Jeremias negat ante 70. annorum decursum, futuram. Et hæc de primo nostro argumento dicta sufficiant.

2. Qvia Ezechiel Propheta captivitatis annos semper à deportatione Jechoniæ numerat, eosq; ad eas, qvæ tum temporis habebantur, epochas alligat, absq; dubio eâ intentione, ne in ambiguo sit, qvando 70. captivitatis anni cæperint, qvot paulatim effluxerint, qvot

adhuc

adhuc implendi, dum defideratiffimum tempus affulferit, qvo fuperftites, liberi cum gaudio, in Palæftinam patriam, ad dulciffimum divini cultus locum Hierofolymam fint remeaturi. Ergo. Antecedens roboratur ex Ezech. c. 1. v. 2. c. 8. v. 1. c. 20. v. 1. c. 24. v. 1. 2. c. 26. v. 1. c. 29. v. 1. & 17. c. 30. v 20. c. 31. v. 11. c. 32. v. 1. & 17. c. 33. v. 21. c. 40. v. 1.

Obj. 1. à Funcianis. Tempore deportati Jechoniæ vaftitatem & defolationem non fuiffe Palæftinæ & Hierofolymis illatam. Ergo.

R. Qvandoqvidem Regem ipfum cum flore populi & qvidem cum tot millibus tum deportatum fuiffe conftat, qvis folitudinem & vaftitatem Judææ & urbi Hierofolymorum negaret illatam? Licet enim non tanta mox tum exftitit, qvanta in & poft πανωλεθρίαν urbis & templi, tamen aliqva, certè initium illius maximæ, & in fe non parvæ.

Obj. 2. verfus 2. c. 36. 2 Chron. Ubi fignificatur, terram omnibus diebus defolationis qvieviffe & Sabbatum egiffe, atq; adeò 70. annos compleviffe. *Syllogifmus foret ejusmodi.* Ex qvo tempore terra Judaica cæpit 70 annorum Sabbatum agere, ex eo initium annorum captivitatis Babylonicæ eft fumendum. At ex tempore deftructæ & excifæ urbis & templi Hierofolymitani terra Judaica cæpit agere Sabbatum 70. annorum. Ergo.

R. Qvo modo & qva ratione tempore transportati Jechoniæ in Palæftinâ exftitit vaftitas & defolatio, eâdem ratione & eodem modo terra cæpit agere Sabbatum nimirum ratione initij. Ut enim in vaftitate & defolatione deprehenditur 1. Initium. 2. augmentum & complementum. Illud competit tempori deportati Jechoniæ, hoc verò Zedekiæ obfeffi, devicti, & urbis excifæ: Ita eosdem gradus in terræ Sabbato & qviete agnofcere & poffumus, & debemus. Hifce præmiffis negamus minorem. Qvamvis enim, translato Jechoniâ, terra Judaica non egerit Sabbatum ex toto, tamen ex parte, refpectu fcil. eorum, qvi in captivitatem transmigrarant.

MEMBRUM II.
De 70. annnorum fine.

MEmbrum hoc de fine 70. annorum captivitatis Babylonicæ minus eft intricatum minꝰ controverfum. Tres tamen video opiniones.

S 2 I. Qvi-

I. Qvidam ex veteribus, ut Eusebius refert, finem annorum horum posuerunt in secundo Darij Hystaspis anno. R. Extra dubium hæc opinio falsa est. Nam 1. hoc modo Judæi ex captivitate in patriam revertendi consecuti fuissent licentiam 10. annis post elapsos 70. annos, qvod est contrà Dei promissiones. Jerem 29. & contra ipsum eventum. Anno enim primo Cyri libertas & in Palæstinam remeandi potestas ipsis est concessa Esr. c. 1. 2. Rex Babel multos annos fuisset visitatus, ante qvam debebat vi divinarum prædictionum, qvæ hanc visitationem cum Israelitarum liberatione combinant.

II. M. Helvig. 70. hos annos finiri ait in primo anno Darij Medi, cui annos 7. assignat. R Perparum hanc sententiam dicerem à vero aberrare, ni Dario Medo 7. annos tribuisset. Id autem 1. qvomodo probabitur? 2. Nec divinis promissionibus est consentaneum, tot annos inter Regis Babylonici visitationem, & Judæorum liberationem, & in patriam remigrationem fluxisse.

III. Communiter à viris doctis statuitur, 70. annos finem habere primo Cyri Monarchæ anno. Et hoc verum est, firmaturq; 1. ex Jeremiâ c. 29. v. 10. Ubi dicitur, elapsis 70. annis, Deum populum Judaicum (gratiosè) visitaturum eumq; reducturum in patrias sedes. 2. Ex 2. Chron. c. 36 v. 21. 22. Ubi finis 70. annorum cum primo Cyri anno connectitur.

Qvæstio 2.

Qvæ sit vera & genuina Jojakimi historia?

Cum præcedens qvæstio de 70. annis captivitatis Babylonicæ, (initium horum annorum qvod attinet) absq; hujus historiæ cognitione dextrè & solidè tractari & intelligi non possit, placet illam ex Sacræ Scripturæ huc concernentibus locis constructã, adducere, & qvæ contravenire videntur, vel ab aliis aliter afferuntur, explicare & qvid veri falsivè, Scripturis Sacris conveniens, vel non sit, demonstrare. Historia ita habet. Ægyptiorum Rex Pharao Necho vincto Joachazo, ut in Ægyptum abduceret, Eliakimum ejus fratrem Regem Iudæ constituit, mutatoq; nomine Jojakimum appellat. Judaici igitur regni

regni habenas Jojakimus moderatus eſt, ſed ut Regi Ægyptio ſubjectus & tributarius. 2. Reg. 23. v. 33. 34. 35. & 2. Para. c. 36. v. 1. 2. 3. 4. Anno regni ejus qvarto venit Babylone filius Nabopollaſſaris Nebucadnezar, & profectus Carcemiſcum juxta Euphratem, Regem Ægypti Neconem cædit Jer. c. 46. v. 2. provinciasq; extra Ægyptum ſitas ac Ægyptio patentes paulatim ipſi aufert, ac tandem anno Jojakimi 8. in Judæam pergit, eumq; ad pendendum tributum cogit. 2. Reg. 24. v. 1. 7. Cum autem Jojakimus tribus annis Nebucadnezari ſervus fuiſſet, ac poſteà averſus rebellaret, veniunt turmæ Chaldæorum, & turmæ Syrorum, turmæ Moabitarum, & Ammonitarum, Judæam perdunt, Regem Jojakimum capiunt, catenisq; vinctum ducunt ad Regem Babel, deducturi eum in munitiones, hoc eſt, in urbem munitisſimam Babylonem. Ezech. 19. v. 8. 9. 2. Chron. c. 36. v. 6. Sed cum in itinere moreretur, aſini ſepulturâ eum ſepelierunt, hoc eſt, æſtui diurno, & gelui nocturno abjecerunt. Jerem. c. 36. v. 30. Et hæc vera Jojakimi, qvantum huc ſpectat, eſt hiſtoria.

Alij, qvos inter M. J. V. I. putant Jojakimum tertio regni ſui anno Nebucadnezari fuiſſe ſubjectum idq; probare nituntur ex Dan. c. 1. v. 1. 2.

R. I. Aſſertum hoc verum non eſſe probamus ex Jer. c. 25. verſ. 1. & ſeq. Nam 1. Ieremias teſtatur verſ. 1. annum qvartum Jojakimi, ex qvo à Necone Rex fuerat conſtitutus, fuiſſe primum Nebucadnezaris ceu Regis Babyloniæ. Sic igitur colligo: Si primus annus Nebucadnezaris Regis Babel, eſt qvartus Jojakimi annus, utiq; tertio Iojakimi anno Nebucadnezar Rex Babylonis Hieroſolymam non obſedit & Jojakimum ſibi ſubjecit &c. Verum eſt prius ex Jer. 25. v. 1. Ergo & poſterius. 2. Idem Propheta adverſus Judæos conqveritur, ſe totis 23. annis eis prædicaſſe, & ad pænitentiam & meliorem frugem Dei nomine invitaſſe, verum ipſos auſcultare noluiſſe, ideò tandem minatur, Nebucadnezarem venturum, eosq; in captivitatem & ſervitutem 70. annorum abducturum &c. à verſu 3. ad 12. Qvod igitur anno qvarto demum intentatur, ut ſuo tempore futurum, id anno tertio factum fuiſſe dici neqvit. R. 2. Probatio eſt inconveniens. Daniel enim non intelligit annum Jojakimi tertium, ex qvo primùm ex conſtitutione Regis Ægypti re-

gnare cæpit, ſed ex qvo primùm ſerviit Nebucadnezari eiq; fuit tributarius. Ni ita explices, apertè Jeremiam cum Daniele committes. Sed de eo poſt qvæſtione peculiari pluribus agetur.

II. Idem M. V. vult, Jojakimum Hieroſolymis diem ſuum obiiſſe, eiq; in regno ſucceſſiſſe Jehojacinum, & tum demum Nebucadnezarem veniſſe, Hieroſolymamq; obſediſſe, & Jechoniam, ut ſe dederet, coegiſſe, ac tandem occupata urbe, exanimum Jojakimi corpus, qvod hic fidem violaverat, ludibrio habuiſſe, & extra portas projeciſſe. Non ſemel hic à vero aberratur. 1. Verum non eſt Jojakimum Hieroſolymis obiiſſe. Nam vivum in manus hoſtium veniſſe, ab eisq; catenis vinctum, ad Regem deductum fuiſſe, ſed in itinere obiiſſe, probatur. 1. Ex Ezech. c. 19. v. 8. 9. Expanderunt contra eum rete ſuum, qvarum (gentium ſcil.) in foveâ captus eſt. Tum ponentes eum in clauſtro, uncis adhibitis, deduxerunt eum ad Regem Babel, deducturi eum in munitiones, ne exaudiretur vox ejus amplius in montibus Iſraelis. 2. Ex Ierem. c. 22. v. 18. 19. idem patet. Si enim mortuus fuiſſet Hieroſolymis & qvidem ante tres menſes, qvam Nebucadnezaris exercitus veniſſet, utiq; non caruiſſet ſepulturâ, nec etiam planctu ſuorum, qvod tamen Ieremias laudato loco affirmat.

III. Vero non eſt conſentaneum eodem tempore corpus Iojakimi abjectum, & Iechoniam in captivitatem fuiſſe deportatum. Nam ex 2. Chron. 36. v 6. & 8. patet, Iechoniam Iojakimo catenis vincto, & Babelem verſus abducto, regnaſſe tribus menſibus & decem diebus, vertente autem anno Nebucadnezarem miſiſſe, qvi Iechoniam cum multis aliis, & vaſis ex templo Dei ablatis, in Babyloniam deportarunt.

Qvæſtio 3.

Quo anni tempore & qvo menſe præterpropter Nebucadnezar regnum adierit?

R. In mediâ æſtate circa אָב vel menſem 5. Probatur id ex conciliatione locorum qvorundam, qvi ſibi adverſari videntur, videlicet

licet. 2. Reg. 25. v. 8. & Ierem. 52. v. 12. Ubi dicitur Zedekiam in captivitatem abiisse anno 19. Nebucadnezaris & Ierem. c. 52. v. 29. Ubi legitur, id factum anno ejus 18. Apparens illa ἀντιλογία conciliari nequit, nisi cum Bibliis Vinariensibus dixeris, 18. annum intelligi exeuntem, & 19. ineuntem. Cum igitur Zedekiæ abductio facta sit in אָב sequitur hinc in אָב præter propter Nebucadnezarem regnare cæpisse.

Qvæstio 4.

Quo Jojakimi anno Nebucadnezar regnum exorsus sit?

R. Anno ejus qvarto. Id enim expressè affirmat Propheta Ieremias c. 25. v. 1.

Excipiunt intelligendum esse annum 4. incipientem, & 3. desinentem, id qvod ex Danielis c. 1. liqvere putant.

R. 1. Id neqvaqvam ita se habere. Nam in אָב anni 11. Hiskiæ, qvo Hierosolyma & templum exustum fuit, Nebucadnezaris annus 18. desiit, & cæpit 19. Fuit autem אָב vel 5. ille mensis anni à Mundi ortu 3416. ab egressu ex Ægypto 908. Initium igitur Nebucadnezaris incidit in annum Mundi 3398. Egressus 890. & qvidem in אב vel 5. mense. Iojakimi autem annus 4. cæpit præcedenti anno Mundi 3397. Egressus 889, & qvidem ineunte אֱלוּל vel mense 6. Nebucadnezaris itaq; annus primus planè non attigit annum tertium Iojakimi, sed exordium duxit in anno qvarto, & qvidem in mense אב, adeoq; fermè in fine qvarti illius Iojakimi anni. R. 2. Probatio ex Daniele est nulla. Sed de eo paulò post ex professo. Ut melius qvæ dicta sunt patescant, tabellæ rem inclusam subnectere placet.

Mundi

Anni Mundi	Sabbatici	Egressus				
3394	7	886	1			Jojakim incipit ineunte אֱלוּל
95	1	87	2			
96	2	888	3			
97	3	89	4			
98	4	890	5		1	Nebucadnezar incipit in אָב, qvi antecedit אֱלוּל, qvo ineunte desiit qvartus, Iojakimi & cæpit qvintus ejusdem.
99	5	91	6		2	
3400	6	892	7		3	
1	7	93	8		4	
2	1	94	9		5	
3	2	895	10		6	
4	3	96	11		7	
3405	4	897	1	Zedekia	8	
6	5	98	2		9	
7	6	99	3		10	
8	7	900	4		11	
9	1	1	5		12	
3410	2	902	6		13	
11	3	3	7		14	
12	4	4	8		15	
13	5	905	9		16	In אָב templum est igni crematum & in eodem desiit 18. & incipit 19. Nebucadnezaris annus.
14	6	6	10		17	
15	7	7	11		18	
3416		908			19	

Qvæstio 5.

Qvoto Nebucadnezaris anno Jechoniæ translatio facta sit?

R. Anno octavo. Id enim expressis verbis habetur. 2. Reg. 24. v. 12.

Objicitur versus 28. c. 52. Ieremiæ, ubi scribitur, id factum anno Nebucadnezaris septimo.

R. Ierem c 52. v. 28. qvidem dici, anno 7. Nebucadnezaris deportatos in Babyloloniam 3023. homines, qvod verò id factum sit tempo-

tempore, qvo Jechonias in Babyloniam abductus est, id hic non additur. Nec etiam Iechoniæ & sociorum hæc transmigratio esse potest, utpote qvæ 8. Nebucadnezaris anno, ut ex 2. Reg. 24. v. 12. elucet, facta est. Si forsan regesseris, intelligendum annum 7. desinentem, & 8 incipientem, dico ego responsionem hanc, qvæ suo loco insignem habet usum, hic obtinere haut posse. Nam translatio Iechoniæ non est facta in אָב vel 5. mense, qvo Nebucadnezar regnare cæpit, ut ex antè dictis constat; sed post תשובת השנה anni conversionem & qvidem autumnalem 2. Chron c. 36. v. 10. in מַרְחֶשְׁוָן vel mense 8. præterpropter. Videtur ergò intelligi deportatio Iojakimi, quando in itinere mortuus est, & asini sepulturâ sepultus, qvando etiam unà cum aliis Daniel, & aurea qvædam vasa è domo Dei in Babyloniam traducta sunt, qvode videatur 2. Chron. 36. v. 6. & 7. & Dan. c. 1. v. 1. 2.

Qvæstio 6.

Qvomodo intelligenda verba Danielis c. 1. v. 1. 2?

Danielis c. 1. v. 1. traditur, tertio Iojakimi Regis Iudæ anno, Nebucadnezarem Regem Babyloniæ venisse in Palæstinam, Hierosolymam obsedisse &c. Ieremiæ verò c. 25. v. 1. asseritur, qvartum Iojakim annium fuisse primum Nebucadnezaris Qværitur igitur qvi optimè, qvæ inter hosce Prophetas videtur ἀντιλογιά, conciliari possit & debeat?

R. I. Beda l. de sex ætat. Mundi, primum illum regni Nebucadnezaris annum, qvi dicitur incidisse in qvartum annum regni Iojakimi, fuisse primum, ex qvo Nebucadnezar, regnare cæpisset super Assyrios, Ægyptios, & Moabitas. R. Victoriam hanc Nebucadnezaris longè post Iojakimi tempora evenisse. Refert enim Iosephus l. 10. antiq. c. 11. Nebucadnezarem qvinto anno post Hierosolymorum excidium, demum Cælosyriam, Ammonitas, Moabitas, & Ægyptum sub jugum misisse sibiq; subjecisse. Nec Scriptura Sacra adversatur.

II. Pererius, Ribera, & Iunius putant primum regni Nebucadnezaris annum concurrisse ferè totum, vel saltem magnâ qvidem ex parte cum tertio, interim etiam ex aliquâ parte cum qvarto regni Iojakimi anno, qvia venit circa initia regni sui, qvæ inciderant in prædicto anno tertio. R. Annum primum regni Nebucadnezaris planè non attigisse tertium Iojakimi, sed potius

initium ſumpſiſſe in qvarto ad finem ferè decurrente, & deſiiſſe in qvinto, ut ex qvæſtione 4. manifeſtum eſt.

III. Torniellus ex fragmento Beroſi, qvod Ioſephus habet, l. 10. Antiq. c. 11. & l. 1. contra Appionem, ſolutionem difficultatis petendam autumat. Beroſi autem fragmentum ita habet: Cum audiviſſet Nabuchodonoſoris parens Nabopollaſſarus, Satrapam, qvem Ægypto, & Cæleſyriæ, & Phæniciæ præpoſuerat, defeciſſe, ipſe ferendis laboribus per ætatem impar filio Nabuchodonoſoro adhuc juveni tradidit partem exercitus, ut deſertorem bello peteret. Hic autem, cum eum agreſſus eſſet prælio, ipſum cepit, regionemq; omnem iterum ſub imperium redegit. Sub id tempus evenit, ut Pater Nabopollaſarus, cum morbum contraxiſſet, in urbe Babylone de vitâ decederet, poſtqvam regnaſſet annis 29. Nebucadnezar ſimul ac patris mortem intellexit, rebus Ægypti, vicinarumq; gentium bene ordinatis, amico cuidam commiſit captivos ex Iudæis, Phænicibus, ac Syris, & ex Ægypti populis, cum exercitu, rebusq; aliis ſervare dignis, deportandos Babylonem Ipſe cum comitibus pancis breviori per deſertum via Babylonem ſe contulit. Ibi cum reperiſſet regnum aſſervari ab eorum potiſſimo, totum patris qvod fuerat imperium adeptus eſt, captivisq; inſpectis, juſſit illis idoneas per Babylonicum imperium colonias aſſignari. Ipſe verò de belli manubiis, Beli aliaq; templa ornavit &c. Hactenus Beroſus. Ex qvibus apparere putant, ipſum Nebucadnezarem anno circiter uno, anteqvam patri in regno Babylonico ſucceſſiſſet, intuliſſe bellum etiam Iudæis, ac finitimis nationibus, & eodem anno aliqvot Iudæos cum aliis gentibus duxiſſe captivos in Babyloniam, nec non de prædâ & ſpoliis fanum Beli exornaſſe. Qvæ omnia appoſitè reſpondent his, qvæ Daniel breviter tangit. Ex his conjicere licet, ipſum Nabuchodonoſorem, poſt devictum Iojakimum, accepiſſe nuncium de obitu patris, ac proinde, ut expeditius properare poſſet in Babylonem, confeſtim compoſuiſſe res cum Iudæis, ac reſtituiſſe qvidem Iojakimum in regnum, ſed abſtuliſſe ab eo magnam pecuniarum vim, & partem vaſorum domus Dei, & captivos, præcipuè qvosdam pueros, tanqvam obſides, de regio ſemine, qvos inter fuit Daniel.

R. Beroſi hoc fragmentum, utut à qvibusdam non rarò appellatur aureum, ſcoriâ tamen ſæpè non eſt defæcatum, qvemadmodum, ſi opus foret, facilè demonſtrarem. Sed ponam verum id per omnia

eſſe,

esse, id tamen, qvod in eo refertur, dicto Iojakimi tempore neqvaqvam concedam evenisse. Sed ordine omnia ostendenda.

I. *Expeditio, cujus meminit Berosus in fragmento, anno Jojakimi 3. non est facta, neq; eodem tertio anno, imò ne qvidem 4. vel etiam 5. Jojakimi anno Hierosolyma fuit obsessa.* Anno enim 4. Jojakimi Jeremias demum de mandato Dei Judæis minatur, Nebucadnezarem venturum, & jugum Judæis, & Gentibus impositurum. c. 25. v. 1. & 9. & seq. Ergo tum nondum venerat, nec Judæis jugum imposuerat. Eandem comminationem repetit Propheta anno 5. Jojakimi, ut vidère est c. 36. v. 1. 9. 29. Si dixeris allegatis in locis saltem significari, Nebucadnezarem adventurū & Hierosolymæ & Iudææ vastitatem & solitudinem allaturum. Inde autem non seqvitur, eum antè, venire non potuisse. R. 1. Ipsum venisse aliqvo S. Sacræ loco probandum. Solum testimonium Sacerdotis Beli, non rarò claudicantis, non sufficit, nec tanti est, ut propterea clara Sacræ Scripturæ verba torqveamus. 2. Nec etiam hic agitur de adventu qvalicunq; & ἁπλῶς spectato, sed de eo, qvo Hierosolymam ille obsidisse, & Jojakimo à Deo in manus tradito, vasa ex templo allata unà cum adolescentibus ex stirpe regiâ & procerum ortis, Babylonem deportasse à Daniele proditur. c. 1. v. 1. & seq.

II. *Nec obitus Nabopollassari incidit in annum* 3 vel 4. Non malè hoc demonstratur ex Ezechiele c. 1. v. 1. Ibi facit mentionem anni cujusdam 30. Is ut posteà evincetur, non est, neq; esse potest nisi Nabopollassari ultimus. Regnavit enim ille 29. annos & partem de 30. Qvia autem Ezechiel 30. hunc annum connectit cum 5. deportationis Jechoniæ, seqvitur Nabopollassarum obiisse, nōn anno 4. Jojakīmi, sed 5. Zedekiæ, atq; adeò 12. annis post, ubi Nebucadnezar jam 12. annis regnum administrarat. Jer. 25. v. 1.

III. *Neq; qvod de rebelli Ægypti Satrapâ* affert Berosus, in prædictum Jojakīmi tempus qvadrat. Ægyptus enim tum Babyloniis non fuit subjecta, nec Satrapam Nabopollasari præfectum agnovit, sed suam sibi habuit Regem potentissimum Pharaonem Neconem, ut ex Jeremia & Herodoto manifestum est. Nec expedieris rem, si dixeris cum viro qvodam celeberrimo, de qvibusdam provinciarum locis & civitatibus, jam antè à Nabopollassaro occupatis, id intelligendum

esse, qvibus Satrapam præfecerat. Contrarium enim ex Jerem. 46, v. 2. & seq. videre est. Narratur qvippe inibi, ipsum Ægypti Regem infesto cum exercitu ad Euphratem contendisse, & regnum Babylonicum petiisse, huic autem Nebucadnezarem occurrisse, eiq; cæso abstulisse qvidqvid ipsius fuit à flumine Ægypti usq; ad fluvium Euphratis. 2. Reg. 24. v. 7. Rex ergo Ægypti contrà Babylonios in bellum prodiit, non verò Satrapa Babylonicus à Rege Babylonico decifscens.

IV. *De Satrapa rebelli capto & Ægypto occupata*, qvod narratur, neq; 3. vel 4. Jojakimi convenit. Non enim Ægypti Rex tum fuit captus, nec Ægyptus subacta. Licet namq; Ægyptij 4. Jojakimi & 1. Nebucadnezaris anno insignem cladem acceperint, & regionem ultrà flumen Ægypti amiserint, multos tamen adhuc annos, non modo post obitum Nabopollassari, sed etiam post Hierosolymorum excidium suo Regi, non verò alieno vel Babylonico, paruerunt. Ex Berosi igitur fragmento difficultatis hujus solutio peti neqvit.

IV. Lyra, Tostatus, D Gesnerus, Bibl. Vinar. Abrabam Bucholzerus dicunt, istum tertium Jojakimi annum Dan. 1. v. 1 non esse numerandum ab exordio regni ejus, sed ab anno regni octavo, in qvo Regi Babylonis ipse tributum cæpit pendere. 2. Reg. 24. v. 1. Nam Jojakimum regnasse 11 annos: verum prioribus regni annis eum fuisse Regi Ægyptiaco subjectum. Breviter & nervosè Bucholzerus in Chron p. 428. Nebucadnezarem obsedisse Solymam &c. anno tertio regni Jojakimi, scil. postqvam regnum ei traditum fuerat à Nebucadnezare, non à Rege Ægypti. Et hæc explicatio est omnium optima & Scripturis S. convenientissima. Eam enim ni admiseris, nunqvam Danielem cum Jeremià dextrè conciliabis.

Reger. Nimis durum ac violentum esse, annum, qvem Daniel simpliciter tertium regni nominat, interpretari velle, fuisse undecimum, id est, non simpliciter tertium ab initio regni, sed à primâ solutione tributi.

R. 1. Jojakimus nunqvam fuit Rex absolutus & sui juris, sed semper tributarius, primò Regis Ægyptiorum, post Babyloniorum. Citra igitur φειδόντως duriciem & violentiam anni regni ejus numerantur, vel ex qvo primùm à Rege Ægyptiaco regnum accepit eiq; tributum pependit, uti fit. Jerem 25. & alibi, vel ex qvo Nebucadnezaris Baby-

Babylonici Regis beneficio regnum retinuit, eiq; tribus annis serviit, & tributa persolvit, ut Dan. 1. v. 1. fieri statuitur.

R. 2. Nec in Sacris est insolens, ut annus Regis, licet ἁπλῶς referri videatur, non tamen semper respiciat primum regni exordium. Exemplum illustre occurrit. 2. Reg. 18. v. 1. Ibi dicitur Chitzkiam cœpisse regnare anno tertio Hoschææ Regis Israelis. Hic nominatur annus Hoschææ tertius simpliciter, nec tamen intelligitur annus tertius, ex qvo primò ille regno præesse cœpit, sed ex qvo Salmanassari Regi Assyriorum fuit tributarius. Eadem locutio eodemq; manente sensu recurrit etiam v. 9. & 10.

Objici potest: Tertium hunc Jojakimi annum, cujus meminit Daniel c. 1. v. 1. non posse intelligi ab eo tempore, qvo Nebucadnezari fuerit subjectus. Nam Danielem expressè dicere, Nebucadnezarem ipsum anno 3 Jojakimi venisse, Solymamq; obsedisse &c. Post cœptatam autem rebellionem, elapsis tribus annis, qvibus servierat Jojakimus, non venit ipse Nebucadnezar, sed misit turmas Chaldæorum, Syrorum, Moabitarum &c. ad perdendum Judæam.

R. 1. Neqve etiam posse tertium hunc annum Dan. 1. v. 1. numerari, ex qvo à Rege Ægyptiaco Necone primùm Judæorum Rex Jojakimus fuit constitutus, ut ex iis, qvæ ad 3. opinionem dicta sunt patet. R. 2. Expeditionem Nebucadnezaris, de qva agit Daniel c. 1. & qva de habetur. 2. Reg. 24 v. 2. non nisi unam eandemqve fuisse. Qvod autem obtenditur. Dan 1. v. 1. dici, ipsum venisse Nebucadnezarem, id nihil est. Notum enim est illud: qvod qvis per alium facit, perse fecisse existimatur. R. 3. Verisimile esse Nebucadnezarem è Babyloniâ cum exercitu movisse, substitisse verò in itinere vel Riblathi, vel aliâ in urbe, turmasq, Chaldæorum & Syrorum misisse in Judæam, qvibus se adjunxerunt turmæ Moabitarum & Hammonitarum, atq; unà Judæam perdidisse. 2. Reg. c. 24. & Jojakimum cepisse & catenis vinctum ad Regem Babyloniæ abduxisse. Ezech. 19. v. 9.

Reg. non fuisse unam eandemq; expeditionem. Nam 2. Reg c. 24. v. 2. haberi qvidem, turmus Chaldæorm, & Syrorum &c. venisse ad perdendam Jehudam. Non verò tum ipsum Regem Jojakimum traditum in manus Nebucadnezaris, qvod factum in illa expeditione, qvam narrat Daniel c. 1. v. 1.

R. Ezech. c. 19. v. 8. 9 æqvipollentia haberi. Nimirum tum temporis, cū cum turmæ Chaldæorum, Syrorum &c. Jehudam afflixerunt, ipsumIojakimum Regem captum & vinctum ad Regē Babyloniæ fuisse abbductum. Ita enim habent verba. Disposuerunt contra eum gentes circumqvaq; ex provinciis & expanderunt contra eum rete, qvarū in foveā captus est. Tum ponentes eum in claustro uncis adhibitis deduxerunt eū in munitiones, ne audiretur vox ejus amplius in montibus Israelis.

Qvæstio 7.

Unde numerandus secundus annus, cujus meminit Daniel. c. 2. v. 1?

R. Variè explicatur I. Theodoretus existimat esse numerandum simpliciter à primo regni initio Nabuchodonosoris. R. 1. Cum certò constet ex Ierem. c. 25. v. 1. annum primum Nebucadnezaris cæpisse ferè in fine 4. Iojakimi, itidemq; ex jam antè dictis manifestum sit, Danielem cum sociis in Babyloniam fuisse deportatum anno demum Iojakimi undecimo, qvi Nebucadnezaris est octavus, nemo non videt hanc opinionem hallucinari. Non enim Daniel somnium Nebucadnezaris interpretatus est sexennium ante sui in Babyloniam deportationem. Accedit 2. qvod per integrum triennium in Scholâ Chaldæorum ante somnij explicationem fuit enutritus. II. Alij secundum hunc annum interpretantur à deportatione Iojakimi. III. Alii à deportatione Iechoniæ. R. Explicationes has triennium illud (ut alia taceam) qvo Daniel & socij in disciplinâ Chaldæorum edocti fuerunt planè evertit. Ni enim hoc ante somnium Nebucadnezaris effluxisset, Danielem etiam cum sociis non qvæsivissent, ut interficerent. IV. Hieronymus, Lyra, Torniellus, Interpretes Belgici & multi alii annum hunc secundum numerant, ex qvo Nebucadnezar non tantum Chaldæis & Iudæis, sed & Moabitis, Ammonitis & Ægyptiis imperavit. Qvam sententiam videntur ex Iosepho hausisse, qvi l. 10. antiq c. 11. refert. anno post excidium Hierosolymorurm qvinto Nebucadnezarem sibi subjecisse Cælosyriam, Ammonitas, Moabitas, Ægyptum, biennio autem post Ægypti populationem somnium hoc regi oblatum & à Daniele explicatum. R. Cum Danielis sapientia ante urbis Solymorum excidium fuerit celeberrima & publicè decantata ut ex Ezech. c. 28. v. 3. collato cum 26. v. 1. & cum c. 14. v. ad 22. elucet

elucet, feqvitur hujus fomnij interpretationem, fapientiæ ejus prædicationem anteceffiffe, non verò fecutam fuiffe. V. D. Gefnerus, Iunius, Pifcator & alii anni hujus numerum incipiunt, ex qvo pueri, qvos inter Daniel, exacto triennio, qvo à Chaldæis informati funt, explorata fingulari fapientiæ, qvem Daniel & focii fecerant, profectu, coram Rege ftare & ipfi miniftrare cæperunt, c. 1. v. 18. 19. Verum cum huic anno fecundo adjciatur regnum Nebucadnezaris, non poteft à dicto triennio numerari, fed omninò refpicit regnum Nebucadnezaris.

Excip. 1. Iunius & Pifcator, Vulgatam Latinam, & Lutherum non obfervaffe diftinctionem Hebraicam, qvando illa vertit: In anno fecundo regni Nebucadnezaris, & hic im andern Jahr des Reichs Nebucadnezar. In fonte enim effe Rebiah fuper שְׁתַּיִם Accentum igitur manifeftè oftendere hæc verba, anno fecundo, à feqventibus לְמַלְכוּת commate effe diftingvenda, & fic vertenda: anno autem fecundo, nempe in regno Nebucadnezaris, ut Tremellius, German. im andern Jahr aber/ im Reich Nebucadnezar. ut Pifcat.

R. Obfervatio hæc de accentu Rebhiah hic eft nullius momenti. Si enim infpexeris hujusmodi locutiones, aliqvoties deprehendes accentum Rebiah vel Sakephkaton, qvi cum Rebiah æqvalis, fi non majoris, eft poteftatis, ubi non ita diftinguunt. Rebhiah occurrit Dan. 7. v. 1. בִּשְׁנַת חֲדָה לְבֵלְשַׁאצַּר In anno primo Belfazaris. c. 9. v. 1. בִּשְׁנַת אַחַת לְדָרְיָוֶשׁ In anno primo Darij. Sic c. 10. v. 1. בִּשְׁנַת שָׁלוֹשׁ לְכוֹרֶשׁ in anno tertio Cyri. Sic Rebhiah apparet. 2. Chron. c. 36. v. 22. Ezræ. c. 1. v. 1. Sakephkaton occurrit Dan. 1. v. 1. בִּשְׁנַת שָׁלוֹשׁ לְמַלְכוּת in anno tertio regni Iojakimi. Ita etiam fe res habet Dan. 8. v. 1. c. 11. v. 1. 2. Reg. 13. v. 1. & c. 14. v. 1. c. 15. v. 1. & 27. & 32. c. 16. v. 1. c. 17. v. 1. & 16. Male igitur hoc qvidem loco Vulgata & Lutherus neglectæ diftinctionis infimulantur. Qvid ergo, in qvis, num accentus hi verè diftinctivi nihil diftinguunt? R. Eft hic accentuum alternatio, in qvâ pro fervis ponitur diftinctivus citra diftinguendi vigorem. Ita ipfi Tremellius & Iunius & Pifcator citatis in locis diftinctionem ipfi omiferunt. Confer. M. Ledebuhr in tract. de accentibus lib. 2. c. 1. p. 315. & feq. inprimis pag. 341.

R. Ezech. c. 19. v 8. 9 æqvipollentia haberi. Nimirum tum temporis, cũ cum turmæ Chaldæorum, Syrorum &c. Jehudam afflixerunt, ipsum Iojakimum Regem captum & vinctum ad Regẽ Babyloniæ fuisse abbductum. Ita enim habent verba. Disposuerunt contra eum gentes circumqvaq; ex provinciis & expanderunt contra eum rete, qvarũ in foveâ captus est. Tum ponentes eum in claustro uncis adhibitis deduxerunt eũ in munitiones, ne audiretur vox ejus amplius in montibus Israelis.

Qvæstio 7.

Unde numerandus secundus annus, cujus meminit Daniel. c. 2. v. 1?

R. Variè explicatur I. Theodoretus existimat esse numerandum simpliciter à primo regni initio Nabuchodonosoris. R. 1. Cùm certò constet ex Ierem. c. 25. v. 1. annum primum Nebucadnezaris cæpisse ferè in fine 4. Iojakimi, itidemq; ex jam antè dictis manifestum sit, Danielem cum sociis in Babyloniam fuisse deportatum anno demum Iojakimi undecimo, qvi Nebucadnezaris est octavus, nemo non videt hanc opinionem hallucinari. Non enim Daniel somnium Nebucadnezaris interpretatus est sexennium ante sui in Babyloniam deportationem. Accedit 2. qvod per integrum trienniumin Scholâ Chaldæorum ante somnij explicationem fuit enutritus. II. Alij secundum hunc annum interpretantur à deportatione Iojakimi. III. Alii à deportatione Iechoniæ. R. Explicationes has triennium illud (ut alia taceam) qvo Daniel & socij in disciplinâ Chaldæorum edocti fuerunt planè evertit. Ni enim hoc ante somnium Nebucadnezaris effluxisset, Danielem etiam cum sociis non qvæsivissent, ut interficerent. IV. Hieronymus, Lyra, Torniellus, Interpretes Belgici & multi alii annum hunc secundum numerant, ex qvo Nebucadnezar non tantum Chaldæis & Iudæis, sed & Moabitis, Ammonitis & Ægyptiis imperavit. Qvam sententiam videntur ex Iosepho hausisse, qvi l. 10. antiq c. 11. refert. anno post excidium Hierosolymorum qvinto Nebucadnezarem sibi subjecisse Cælosyriam, Ammonitas, Moabitas, Ægyptum, biennio autem post Ægypti populationem somnium hoc regi oblatum & à Daniele explicatum. R. Cum Danielis sapientia ante urbis Solymorum excidium fuerit celeberrima & publicè decantata ut ex Ezech. c. 28. v. 3. collato cum 26. v. 1. & cum c. 14. v. ad 22. elucet

elucet, seqvitur hujus somnij interpretationem, sapientiæ ejus prædicationem antecessisse, non verò secutam fuisse. V. D. Gesnerus, Iunius, Piscator & alii anni hujus numerum incipiunt, ex qvo pueri, qvos inter Daniel, exacto triennio, qvo à Chaldæis informati sunt, explorata singulari sapientiæ, qvem Daniel & socii fecerant, profectu, coram Rege stare & ipsi ministrare cœperunt, c. 1. v. 18. 19. Verum cum huic anno secundo adjciatur regnum Nebucadnezaris, non potest à dicto triennio numerari, sed omninò respicit regnum Nebucadnezaris.

Excip. 1. Iunius & Piscator, Vulgatam Latinam, & Lutherum non observasse distinctionem Hebraicam, qvando illa vertit: In anno secundo regni Nebucadnezaris, & hic im andern Jahr des Reichs Nebucadnezar. In fonte enim esse Rebiah super שְׁנָתַיִם Accentum igitur manifestè ostendere hæc verba, anno secundo, à seqventibus לְמַלְכוּת commate esse distingvenda, & sic vertenda: anno autem secundo, nempe in regno Nebucadnezaris, ut Tremellius, German. im andern Jahr aber/ im Reich Nebucadnezar. ut Piscat.

R. Observatio hæc de accentu Rebhiah hîc est nullius momenti. Si enim inspexeris hujusmodi locutiones, aliqvoties deprehendes accentum Rebiah vel Sakephkaton, qvi cum Rebiah æqvalis, si non majoris, est potestatis, ubi non ita distinguunt. Rebhiah occurrit Dan. 7. v. 1. בִּשְׁנַת חֲדָה לְבֵלְשַׁאצַּר In anno primo Belsazaris. c. 9. v. 1. בִּשְׁנַת אַחַת לְדָרְיָוֶשׁ In anno primo Darij. Sic c. 10. v. 1. בִּשְׁנַת שָׁלוֹשׁ לְכוֹרֶשׁ in anno tertio Cyri. Sic Rebhiah apparet. 2. Chron. c. 36. v. 22. Ezræ. c. 1. v. 1. Sakephkaton occurrit Dan. 1. v. 1. בִּשְׁנַת שָׁלוֹשׁ לְמַלְכוּת in anno tertio regni Iojakimi. Ita etiam se res habet Dan. 8. v. 1. c. 11. v. 1. 2. Reg. 13. v. 1. & c. 14. v. 1. c. 15. v 1. & 27. & 32. c. 16. v. 1. c. 17. v. 1. & 16. Male igitur hoc qvidem loco Vulgata & Lutherus neglectæ distinctionis insimulantur. Qvid ergo, in qvis, num accentus hi verè distinctivi nihil distinguunt? R. Est hic accentuum alternatio, in qvâ pro servis ponitur distinctivus citra distinguendi vigorem. Ita ipsi Tremellius & Iunius & Piscator citatis in locis distinctionem ipsi omiserunt. Confer. M. Ledebuhr in tract. de accentibus lib. 2. c. 1. p. 315. & seq. inprimis pag. 341.

Excip. 2. Verba hæc (לְמַלְכוּת נְבֻכַדְנֶצַּר) διαχειρητικῶς ſunt adjecta ad præcavendam amphiboliam, ut oſtendat Propheta, non eſſe hunc numerum ſecundarium jugendum cum primo proximè præcedentis verſus, ſed cum aliis antecedentibus, q. d. ſecundum annum hunc non à tempore Cyri, qvi proximè nominatus eſt, numerari volo, ſed ab eo tempore, qvo pueri coram Rege miniſtrare cæperunt, cum Nebucadnezar regnaret unà cũ patre, & qvietè in Babyloniâ degeret, nondum ſecundò defectione Jojakimi provocatus ad capeſcendum bellum. Jun. in notis.

R. 1. Ejusmodi διαχειρισιν vel διαχειρητικὸν verborum, regni Nebucadnezaris adjectionem, qvalis hic ſtatuitur, eſſe 1. in Sacris literis inuſitatam. Locutio enim illa, in anno primo, ſecundo &c. regni Regis &c. ſemper regnum illius Regis reſpicit, nunqvam eventum alium. Inſpiciantur & ponderentur omnia exempla, & me verum dicere patebit. Fateor qvidem afferri, qvæ ſecus ſe habêre videntur, inter qvæ & illud eſt Ezech c. 1. 1. Verum & illa tempus regni, non alterius eventus determinare, oſtendi poteſt, & non ſemel hoc in tractatu oſtenſum eſt. 2. Eſſe nullius uſus & nullo modo neceſſariam. Nam ex perplurimis ſuâ ſponte vel Sole meridiano clarius elucecſcit, hiſtoriam ſeqventem de ſomnio à Daniele invento & explicato non anno ſecundo Cyri Perſæ, ſed Nebucadnezaris Babylonij contigiſſe. R. 2. Somnium hoc Nebucadnezarem vidiſſe, cum nondùm ſecundò defectione Jojakimi provocatus eſſet ad capeſcendum bellum, negatur. Ante defectionem namq; hanc Jojakimi Daniel in Babyloniâ non fuit. Non enim anno 4. Jojakimi & primo Nebucadnezaris in Babyloniam Daniel eſt abductus, ut ex iis, qvæ ſuprà dicta ſunt, palam eſt.

VI. Puto optimè hunc ſecundum annum ſupputari, ex qvo mortuo Nabopollaſſaro parente, filius Nebucadnezar jam ſolus rerum eſt potitus, regnoq; præceſſe cæpit. Factum hoc eſt 5. Zedekiæ Regis anno, & 5 Jechoniæ in Babyloniâ captivi & 12. Nebucadnezaris unà cum Patre regnantis vel ejus ceu Senioris vices ſuſtinentis. Secundus hic annus imperij Nebucadnezaris abſoluti, erat ſextus Danielis in Babyloniâ degentis, & tertius ab exacto illo triennio, qvo in Schola Chaldæorum fuerat informatus, & pòſt à Rege Nebucadnezare in omnibus rebus ad peritiam pertinentibus ſuperior omnibus Magis & Aſtrologis in toto regno inventus. Dan. 1. v. 3. & ſeq.

Obj.

Obj. 1. Junius in notis: In hac interpretatione negligi distinctionem Hebræam. R. Qvid de distinctione hic loci habendum, ex antè dictis intelligi potest.

Obj. 2. Non dubitare, qvin ante reversionem illam ultimam Nebucadnezaris & gloriosam Monarchiæ constitutionem, per multos annos celeberrima fuerit Danielis fama. Ezech. 14. v. 14. c. 28. v. 3. qvam prophetiam Ezechiel conscripsit ante annos minimum sedecim, qvam Nebucadnezar ab expeditionibus discedens in Babyloniam reverteretur. R. Præsupponi falsam hypothesin, ac si mors Nabopollassari proximè antecesserit Nebucadnezaris ab expeditionibus discedentis in Babyloniam reversionem & Monarchiæ constitutionem. Id enim non concedimus. Nam vel Josepho teste l. 10. c. 11. antiq. hæc ultima expeditio instituta est qvinto anno post Hierosolymorum excidium, multos annos continuata & 33. Nebucadnezaris anno nondum perfecta, ut ex Ezech. c. 29. v. 17. liqvet. Nabopollassarus autem defunctus est anno 5. à deportatione Jechoniæ & 5. Zedekiæ Hierosolymæ adhuc regnantis, & 12. Nebucadnezaris patris hactenus vices sustinentis, ut ex c. 1. v. 1. Ezechielis antè probavimus, qvo de etiam plura afferentur in seqventibus.

Qvæstio 8.

Unde numerandus annus 30. cujus fit mentio Ezech 1. v. 1?

Resp. I. Qvidam, inter quos est W. L. opinantur Ezechielem loqvi de suæ ætatis annis elapsis. Verum hæc annorum computatio omni S. Scripturæ exemplo destituitur.

II. Judæi, qvibus nonnulli ex Christianis adstipulantur, hos 30. annos computant à tempore inventi libri legis, de qvo 2. Regum. c. 22. qvo tempore & fœdus redintegratum cum Deo & cultus instauratus: qvorum beneficiorum solennis recordatio novam numerandi annos rationem Judæis suppeditavit. Junius in notis, ad Ezech. c. 1 v. 1.

Resp. 1. Nullibi apud ullum Scriptorem sacrum hujus novæ æræ fieri mentionem, qvod procul dubio factum fuisset, siqvidem ita esset, uti Junius significat. 2. Contrà Prophetarum mos est, ut tempus prophetiæ suæ ad annos Regis sui alligent, ut ex libris Regum, Chronicorum, Esaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, Danielis; Esræ, Nehemiæ, Esther &c. clarius est, ut demonstrari sit necessum.

III. Scaliger, Calvisius, Interpretes Belgici, M. Johannes Vor-

2

ktius rectisſimè ſtatuunt 30. hunc annum eſſe Nabopollaſſaris patris Nebucadnezaris. Si enim 30. hic annus eſt Regis alicujus, ut omninò eſt, erit vel Regis Iſraelis, vel Babyloniorum. Aliorum enim Regum eſſe huc annum nullo modo eſt veriſimile. At non eſt annus hic 30. annus Regis Iſraelis vel populi Judaici. Nam Jechoniæ deportati & conſeqventer Zedekiæ Regis, erat annus 5. ut ipſe Ezechiel præſenti loco affirmat. Ergo fuit alicujus Regis Babyloniæ. Ulterius: Si fuit hic annus 30. Regis Babylonici, fuit aut Nebucadnezaris, aut Nabopollaſſaris patris ejus. Non fuit Nebucadnezaris. Is enim anno ſuo 8. Jechoniam in Babyloniam abduxit. Hujus igitur Jechoniæ annus qvintus à deportatione non eſt Nebucadnezaris 30. ſed 12. annus. Relinqvitur ergo 30. hunc annum eſſe Nabopollaſſaris patris.

Obj. 1. Si antiqvis ulla fides eſt, hic (Scaligerum intelligit) dubio procul falſus erit. Beroſus enim tradit Nebucadnezarem regnaſſe 43. annis. Diſtingvit vero Beroſus accuratè inter illud tempus, qvo commiſsà parte poteſtatis Nebucadnezar, vivo patre, bellum geſſit; & illud, qvo ſolus regnavit. Et hoc ſaltem regnum nominat. At 37. anno translationis Nabuchodonoſar obierat. Annos ergo ſaltem 32 juxta Scaligerum regnaverit, non 43. ut Beroſus refert. Reſp. Diſtinctionem illam in Beroſi verbis non apparere. Dicit qvidem Beroſus Nabopollaſſarum, cum ipſe per ætatem bellum gerere non poſſet, filio Nabuchodonoſaro partem copiarum tradidiſſe, ac contra rebelles miſiſſe, filium etiam hoſtes viciſſe &c. ac regnaſſe 43 annos. Qvod autem illos 43. annos ſolus, mortuo jam parente, regnarit, hocq; tempus ſaltem regnum appellarit, de eo qvidem apud Beroſum altum eſt ſilentium. Nec enim numerus annorum, qvibus Reges dicuntur regnaſſe, ſolum annos notat, qvibus defuncto anteceſſore, regno præfuerunt, ſed etiam ſæpiſſimè complectitur annos, qvibus parentibus adhuc vivis regni res adminiſtrarunt. Notius id eſt, tum ex Sacris, tum ex profanis hiſtoriis, qvam ut exemplis, qvæ aliàs facilimè afferri poſſent, opus ſit probari. Secus autem res ſe habet, qvando reſtrictio in loco controverſo, vel alibi occurrit, vel per bonam conſeqventiam deducitur, qvod in Beroſo locum non habet.

Obj. 2. Annum hunc ſimpliciter 30. dici, non addi mentionem regni hujus Regis, ut alias fieri aſſolet. Reſq. 1. Regis hujus nomen Ezechielem non expreſſiſſe hic, qvia ſibi, ut & popularibus ſuis erat notiſ-

notissimum. Nq; 2. deest hujus rei exemplum. Nehemiæ enim c. 1. v. 1. ita legitur: Fuit mense Cisleu, anno 20, cum essem Schuscane in regiâ, ut veniet Chanani. Fuisse autem annum regni Artaxerxis Persarum Regis: ex c. 2. v. 1. manifestum est.

Obj. 3. Nabopollassaro duntaxat apud Berosum tribui annos 29. Resp. Berosum integros annos duntaxat numerare solere, non etiam inchoatos, vel menses, qvibus etiam amplius regnatum sit. Exemplum præbet, Nebucadnezar, huic Berosus saltem 43. annos assignat. Sed ex Evilmerodachi initio, quod notatur 2. Reg. 25. v. 27. & Jerem. 52. v. 31. collegerunt viri doctissimi, eum mensibus aliquot ultra 43. annos, imperium gessisse. Ita & hic habendum: regnasse nimirum integros 29. annos, & hos Berosum annotasse: Imperasse verò paulò etiam amplius, menses puta aliqvot, qvi cum fuerint anni trigesimi jam currentis, Ezechiel verissimè dicere potuit, anno trigesimo (Nabopollassari) singularem se visionem Dei vidisse.

Qvæstio 9.

Qvo mense præterpropter Zedekias regnare cæperit?

Clarissimus Torniellus in Annalibus Zedekiam, abducto fratre Jechoniâ, in אָב vel mense 5. regnum adiisse statuit. Egò verò arbitror Zedekiam à Nebucadnezare constitutum Regem, non in אָב, sed מַרְחֶשְׁוָן, non in mense qvinto, sed octavo. Rationes, qvamobrem dissentiam, do has. I. Qvia Jechonias, cui mox eodem tempore Zedekias successit, translatus est לִתְשׁוּבַת הַשָּׁנָה circa anni conversionem, 2. Chron. 36. v. 10. Qvid autem est תשובת השנה conversio anni? 1. Judæi opinantur designari eo medium, vel qvartum annum שְׁמִטָּה vel Sabbathi annalis. Malè. Qvid enim hoc ad anni conversionem. Nec etiam scriptura Sacra dicit: Jechoniæ translationem factam לִתְשׁוּבַת הַשְּׁמִטָּה juxta conversionem Schemithæ, vel לִתְשׁוּבַת שַׁבַּת שָׁנִים secundum conversionem Sabbathi annorum vel annalis; sed לתשובת השנה juxta conversionem anni; qvæ multùm differunt. 2. Torniellus in Annalibus. pag. 144. explicat de anno Nebucadnezaris, cujus septimus in mense qvinto defiit & octavus incepit. At verò cum תשובת השנה alibi qvater occur-

Occurrat, omnibusq; iis in locis anni ἁπλῶς accepi circumvolutionem, nunqvam Regis alicujus ſignificet, cur hic (2. Chron. 36. v. 10.) idem non obtineret, præſertim cum prægnans ratio, qvæ diverſum probet, non detur, nec etiam dari poſſit? 3. Rectius ergò longè dicitur, phraſi huic תשובת השנה æqvipollere תְקוּפַת הַשָּׁנָה, notareq; ejusmodi revolutionem vel converſionem anni, qvâ ſe vertit, ut ex hyeme æſtatem faciat, vel contrà ex æſtate hyemem. Illam converſionem æqvinoctium autumnale appellare ſolemus. Priori ſignificatu uſurpatur, 2. Sam. 11. v. 1. 1. Reg. 20. v. 22. & 26. 1. Chron. 20. v. 1. Poſteriori verò occurrit. 2. Chron. 36. v. 10. ut rectiſſime Sethus Calviſius & Wilhelmus Langius explicant. Interpretes Belgici interpretantur de æqvinoctio verno, qvibus tamen accuratior annorum ſupputatio & alia refragantur, ut haud difficulter, ni hic loci alienum foret, demonſtrarem. Sive igitur hîc 2. Chron. c. 36. v. 10 intelligas cum Interpretibus Belgicis converſionem anni vernalem, ſive cum Calviſio converſionem autumnalem, videbis tamen opinionem Tornielli ſubſiſtere non poſſe. Juxta illos enim Jechonias in Babyloniam translatus fuiſſet vel exeunte Niſan, vel ineunte Ijar, vel certè non multò poſt. Juxta veriorem Calviſii ſententiam autem abductio Jechoniæ & initium Zedekiæ incidiſſet non in Ab vel menſem qvintum, ſed dudum poſt, nempè in Marcheſvam vel menſem octavum.

II. Qvia aliàs principium Zedekiæ non incidiſſet in qvartum, ſed tertium annum Sabbathi annalis, qvod tamen Jeremias, c. 28 ver. disertè teſtatur. Ergo non cæpit Zedekias in Ab vel menſe qvinto. Antecedens probatur. Qvia menſis qvintus, qvo Zedekiam regnum iniviſſe Torniellus cenſet, incidit in annnum 3. Sabbathi annalis. Annus autem 4. demum incipit menſe ſeptimo, qvi dicitur תִשְׁרִי. Conſeqventiæ ratio hæc eſt. Qvia excidium Hieroſolyminanum contigit anno Sabbatico, ut præſtantiſſimi qviq; Chronologi rectiſſimè ſtatuunt & antè pag. 133. à me pluribus demonſtratum eſt.

Excipis: Torniellum non concedere Urbis & Templi devaſtationem anno Sabbathico eveniſſe. Dicit enim annum Sabbaticum cœpiſſe anno 9. Zedekiæ.

Reſp. 1. Torniellum aſſerentem Sabbathicum incepiſſe anno 9. Zedekiæ hallucinari. Sabbathicus enim ille annus cæpit anno 10. Zedekiæ

dekiæ

dekiæ ad finem ferè decurrente, ut ex iis qvæ pag. 133. dicta sunt, videre est. Resp. 2. Etiamsi Tornielli opinionem veram esse concederemus, qvod tamen non concedimus, nihilominus argumentum nostrum adversam sententiam prosterneret. Si enim annus Sabbaticus cæpit in anno 9. Zedekiæ, qvi juxta Cl. Torniellum in Ab vel 5. mense regnum exorsus est, seqvitur primordium regni Zedekiæ incidisse non in annum qvartum Sabbathi annalis, sed in qvintum annum Shemithæ vel præfati Sabbathi annalis, qvod Jeremiæ adversatur. Inspice tabellam pag. 144. & videbis asserti hujus veritatem.

Obj. 1. Jerem. c. 1. v. 1. dici: Jeremiam prophetasse usq; ad consummationem undecimi anni Zedekiæ filii Josiæ Regis Juda, usq; ad transmigrationem Hierusalem in mense qvinto. Si igitur Jeremias prophetavit usq; ad consumationem anni undecimi, utiq; annus undecimus fuit completus vel consummatus. Ulterius: Si undecimus Zedekiæ annus mense 5. fuit completus, seqvitur mense 5. anni præcedentis etiam initium sumsisse, & per conseqvens Sedekiam regnum mense qvinto adiisse.

Resp. 1. Dicitur Jeremias prophetasse usq; ad undecimi anni consummationem &c. non qvod Zedekiæ annus undecimus mense 5. accuratè loqvendo fuisset completus, ut non unus vel alter mensis desideraretur: Id enim verum non esse ex nostris suprà allatis constat argumentis; sed qvod expugnatâ & excisâ urbe Hierosolymorum & templo, Regeq; in hostium potestate existente, & cum residuo populo jam in captivitatem Babylonicam mense qvinto eunte, undecimus ita Regis Zedekiæ regni annus per hostilem vim finem sortitus cessaret. Breviter: non loqvitur Propheta de anni complemento per naturalem temporis revolutionem, sed de consummatione violentâ, qvâ mense qvinto ab hoste Chaldæo finis anno undecimo regni Zedekiæ est impositus, etiamsi ad anni circulum complendum φυσικῶς aliqvot menses reqvirerentur.

Resp. 2. Etsi vel maximè demonstrari posset (qvod tamen nondum mihi persvasum est) phrasin Ebræam עד־תם &c. ejusmodi anni complementum significare, ut planè annum oportuerit extitisse integrum, citra unius alteriusve mensis defectum, non tamen propterea opinio adversæ partis esset evicta. Nam possemus dicere, Prophe-

 tam

tam etiam post destructam urbē Hierosolymorum & abductum populum, aliqvantum temporis in Judæâ prophetasse, ut ex Jeremiâ ipso, c. 40. 41. 42. manifestum est. Si igitur finis prophetiæ, in Judæâ factæ, in illo temporis articulo figatur, annus undecimus Zedekiæ ferè completus dici potest, ut ut Zedekias usq; eò regni gubernacula non sit moderatus, sed mox mense qvarto & regno & libertate spoliatus, & non multò post in captivitatem Babylonicam abierit.

Obj. 2. Jerem. c. 28. v. 1. initium Zedekiæ mense qvinto alligatur.

Resp. Locum hunc citatum ex Jeremiâ non Torniello, sed nobis potius favère ex secundo nostro liqvet argumento

Regeris: Si is esset oraculi Jeremiani sensus, qvem argumentum secundum ei tribuit, utiq; id, qvod ibi c. 28. v. 1. narratur, non evenisset in initio anni primi Zedekiæ, sed fermè circa finem ejus. Nam statuitur in Marchesvan, vel eo ineunte, Zedekiam cæpisse. Mensis ergò qvintus incidit in ultimam anni undcimi qvadrantem.

Resp. Prophetam non agere εἰδικῶς de initio primi Zedekiæ anni, sed γενικῶς de initio totjus regni. Qvicqvid igitur factum est primo Zedekiæ anno, id rectè in initio regni ejus, undecim annis ferè qvod steterat, accidisse dici potest. Cogit hanc ἐξήγησιν, qvod Jeremias mensem qvintum anno qvarto Shemithæ alliget, qvo de antè pluribus. vide pag. 133.

Replic. Etiamsi non dicatur: in initio primi anni: attamen ibi occurrunt æqvipollentia. Ubi enim Propheta c. 27. v. 1. dixerat: in principio regni Zedekiæ, c. 28. v. 1. dicit: Eodem anno in initio regni Zedekiæ

Resp. Versum 1. c. 28. Jeremiæ si diligenter, non sepositis nostris suprà datis rationibus, ponderaveris, nihil invenies, qvod evincat, verba Jeremiæ æqvipollère locutioni huic: In initio anni Zedekiæ; qvin potius animadvertes, hoc ea velle, hunq; eorundem esse sensum: Eodem anno, qvi fuit initium, vel in qvem incidit initium regni Zedekiæ, in mense qvinto Pseudoprophetam sua protulisse mendacia, &c. Id qvod nobis non adversatur, sed egregiè favet.

Qvæ-

Qvæstio 10.

An Belsazar fuerit ultimus Rex Babyloniorum? an verò Darius Medus?

Scaliger, Calvisius, & qvi eos magno numero seqvuntur, posterius affirmant, ego verò prius veritati longè puto proximius. 1. Potest id ἀποδεικτικῶς demonstrari ex Dan. c 5. v. 28. Ubi Propheta exponens Scripturam divinitùs in pariete exaratam dicit: divisum est regnum tuum, traditumq; Medis & Persis. Hinc ita argumentor. Cujuscunq; Regis Babylonici regnum est divisum, traditumq; Medis & Persis, in eo desiit regnum Babylonicum, atq; adeò is est ultimus Babyloniorum Rex. Atq; Belsazaris Regis Babylonici regnum est divisum, traditumq; Medis & Persis. Ergo in Belsazare desiit regnum Babylonicum, atq; adeò is est ultimus Babyloniorum Rex.

2. Idem probatur ex c. 6. Ubi Darii edictum de solo Rege ad tempus adorando, confirmatur legibus Medorum, & Persarum. Ergo Darius non fuit Rex Babylonicus & qvidem ultimus.

Excip. Calvis. in Isag. p. 123. 124. Exindè non evinci Darium Medum fuisse propriè dictum Regem Medorum, si attendatur ad locum, ubi gestum est hoc negotium. Putat hæc acta esse, ubi Daniel præfecturam gessit Susis scil. in Media, ubi subditi legibus Persarum & Medorum regebantur. Administraverat enim Daniel eandem provinciam iisdem Medorum legibus, cum Nebucadnezar, Evilmerodach, & Belzasar rerum potirentur. Dan. 8. v. 2. qvi tamen propterea neqvaqvam, pvod partem Mediæ tenebant, Reges Medorum erant. Accidit hoc in amplissimis regnis, ut subditi unis eisdemq; legibus gubernari non possint, sed qvælibet natio & gens suas leges, consvetudines & statuta retinet: id qvod hodiè etiam in Imperio Romano accidit. Hactenus Calvis.

Resp. I. Meræ sunt conjecturæ prætereàq; nihil. 1. Unde probabitur hæc Susis in Perside (non enim fuit urbs Mediæ, sed Persidis vel ut Daniel ait Helami c 8. v. 2.) gesta fuisse, & non Babylone vel Ecbatanæ? 2. Unde etiam evincetur Danielem Susis præfecturam gessisse tempore Nebucadnezaris, Evilmerodachi, & Belsazaris? Nam tempore Nebucadnezaris eum Susis præfecturam gessisse, nullibi in tota

Scri-

Scripturâ S. asseritur; nec Calvisius id probare potuit. Nam Dan. 1. v. 19. dicitur, qvod, post exploratum in sapientiâ profectum, steterit cum sociis Sadrach &c. coram Rege eiq; in aulâ Babylone scil. ministrarit. c. 2. v 48. Post somnium Regis inventum & explicatum constituitur dominator in totâ provincia Babyloniæ, sed ipse dominium illud, Rege annuente, concedit sociis, & manet in aulâ Regis &c. v. 49. De in c. 4. iterum Babylone Regi somnium exponit. De præfecturâ Susis gestâ ne gry qvidem invenitur. 2 Idem de tempore Evilmerodachi dicendum. Nec enim qvid Daniel sub ejus imperio egit, & ubi fuit, ullibi proditur ac speciatim recensetur. 3. Belzasarem qvod spectat, hic demum c. 8 v. 2. Susarum fit mentio, qvod & solum Calvisius allegare potuit. Verum diversimodè à Doctis intelligitur. Sunt qvi putant Danielem tum saltem in visione Susis & juxta Ulai fuisse. Qvæ explicatio si obtinet, tantum abest, ut exinde demonstretur Danielem tum Susis præfecturam gessisse, ut ne qvidem probetur, eum reverà inibi fuisse. Sed ponamus verè, non tantum in visione, Danielem fuisse Susis. Indè nè statim seqveretur eum tum ibi præfecturam gessisse? minimè. Unde deniq; demonstrabitur Danielem tempore Darii Medi Susis præfecturam gessisse? Qvæ enim est conseqventia? Susis tempore Belzasaris Daniel fuit & visionem vidit. Ergo etiam tempore Darii Medi ibi fuit. Ergo eodem tempore præfecturam ibi gessit? Nulla certè. A[illegible]ertè dicitur c. 6. Darium toti regno Babylonico, Belzasaris scil qvod fuerat, præfecisse Satrapas 120. supra istos autem Eparchos tres, qvorum Daniel fuit primus & summus, Eparchisq; atq; Satrapis præfuit v. 2 3 4. De Susæ præfecturâ nihil adest. R. II. Probè notetur c 5. Danielem prædixisse Belzasari, Deum regnum ipsius divisurum & traditurum Medis & Persis. Sexto autem hoc capite ostenditur, ita evenisse, ut Belzasari fuerat prædictum, nimirum Darium Medum imperium illud accepisse, ac jam Regem Medorum, cui Babylonii parebant, uti legibus Medorum & Persarum.

Obj. 1. Fragmentum Berosi & Megasthenis, qvi Darium hunc referunt inter Reges Babyloniorum &c. Resp. Sacræ Scripturæ testimonium longè præponderat.

Obj. 2. Canon Mathematicus Ptolomæi. Resp. Ptolomæus secutus

cutus fuit Berosun & Megasthenem. Ii cum erraverint, qvid mirum & Ptolomæum errasse?

Obj. 3. Darius Medus, qvem profani vocant Nabonnedum, non verò Belzasarus proximè antecessit Cyrum. Ergo Darius, & non Belzasar fuit ultimus Babyloniorum Rex. Consequentia probatur. Qvia Cyrus regnum Babylonicum occupavit. Esa. 45. v. 1. & seq. Probatur antecedens ex Daniele c. 6. v. 1. & 28. Resp. 1. ad antecedens: Et Belzasar proximè antecessit Cyrum, & ipse Darius; sed alio atq; alio respectu. Belzasar qvidem, ut ultimus Rex Babyloniæ, & qvem Cyrus devicit, ipsiusq: regnum ad Medos & Persas transtulit. Darius verò Cyrum antecessit, ratione administrationis regni Babylonici à Cyro victi. Concessit enim Cyrus Dario Seniori regnum Babylonicum, & ipse perrexit subigere, qvæ adhuc restabant, ut ita postmodum verè dicere potuerit, omnia regna terræ mihi tradidit Jehova Deus cæli 2. Chron. c. 36. v. 23. & Ezr. c. 1. v. 2. Resp. 2. ab probationem antecedentis. 1. Qvod Darius c. 6 v. 1. dicitur suscepisse regnum, id nostram sententiam non evertit, sed optimè cum eà stare potest. Dicimus enim: accepisse Darium regnum Babylonicum per spontaneam concessionem è manu Cyri, qvi Deo Duce Babylonem expugnaverat. Nec 2. nobis obstat v. 28. c. 6. ubi dicitur Daniel prosperè egisse in regno Darii & in regno Cyri Regis Persarum. Primò enim Daniel prosperè egit in regno Darij, cui Cyrus regnum Babylonicum concesserat; deinde etiamin regno Cyri, qvi Dario mortuo, regnum Babylonicum adse recepit, & mox anno illo primo Judæis reditum in patriam indulsit.

Obj 4 c. 51 v 31. Jerem. Cursor obviā cursori curret, & index obviam indici, ad indicandū Regi Babyloniæ captam esse civitatem ejus ab extremitate. Ex qvibus patet Nabonnedum Regem Babylonis non fuisse in Regià urbe, cum ea occupata fuit à Cyro. Ac propterea etiam non fuisse Belzasarum. R. Id inde non seqvi. Cum enim Babylon fuerit urbs valde magna, nihil obstat, qvo minus id, qvod Propheta prædixit, intelligamus de cursoribus catervatim ad Regis palatium currentibus, insperatamq; urbis occupationem Regi nunciantibus. Constantino L'empereur viro clarissimo eandem sententiam de Belsazare post vidi placuisse. In tractatu enim qvo paraphrasin Rab Josephi Jachiæ

in Danielem latinè reddidit & annotationibus egregiis illustravit, prolixè eam explicat & objecta ex Beroso & Magesthene cum Scripturâ conciliare nititur. Ubi videri potest.

Qvæstio II.

Qvisnam sit Darius Medus, de qvo agitur Dan. c. 6. & c. 9. & qvomodo, qvæ deeo habentur in Beroso & Megasthene cum Sacris literis conciliandа?

Vir qvidam eruditissimus putat, Darium Medum Dan. 6. fuisse ipsum Astyagem Medorum Regem Cyri avum, & qvicqvid dissonantiæ inter Scriptores sacros & prophanos occurrit, ita se optime expediturum opinatur. Sublato, inqvit, Belzasare Dan. 5. Babylonii Nabonnedo cuidam conjurationis socio imperium demandarunt. Nitocris verò prudentissima summæq; authoritatis fœmina, cum videret suis exstinctis, alienos imperio uti, nec sibi illud administrare licere, fratrem Astiagem accersivit, Medis tum Persisq; late imperitantem, huic imperium tradere conata est. Sed sapientes ac principes videntes se tali ac tam potenti Regi resistere non posse, Astyagem, pacti securitatem, admiserunt, eiq; se dediderunt ac pro Rege acceperunt. Qvi, ut pro hoc officio aliud ipsis redderet, Regem, qvem ipsimet sibi designaverant, Proregem constituit. Gesta sunt hæc anno P. J. 4150. Astyagis 17. ætatis ipsius 62. Atq; ita Astyages, qvi alio nomine Darius vocatus fuit, Cuaxeris filius Rex Babyloniæ & Chaldæorum fafactus est. Anno autem primo imperii Darius sive Astyages diviso trifariam imperio in Medicum nempe, Persicum & Babylonicum, unicuiq; Satrapam præfecit, qvorum unus fuit Daniel. Et brevi post ista contigerunt, qvæ c. 6. Dani. leguntur. Anno verò 6. imperii Babylonici, anno 1. Olympiadis 55. Cyrus cum Harpago Medo Persis, ut contra Medos rebellarent, author fuit: & paulo post: Ita ergò Cyrus Persicum imperium invasit & posteà cum Astyage avo de Medico, imò de toto ipsius imperio decertavit. Et cum 11. annos Persas suos exercuisset, eaq; omnia præparasset, qvæ ipsi in maximo prælio usui futura essent, ac etiam varias terras occuppasset: demum prælio Astyagem vicit vivumq: cepit anno P. J. 4167. Astyagis 35. Medico, 18. Babylonico ineunte, Satrapiæ Nabonnidi sive Labynethi etiam ineunte. Auditâ verò clade Astyagis Crœsus Lydorum Rex amicus & socius ipsius, bellum Cyro Persisq; inferre destinat. Sed vi-

ctus

ctus Sardes egreditur, ibi obsessus tandem vivus capitur, anno P. J. 4169. exeunte vel 4170. ineunte, 3. anno post cladem Astyagis. Regnavit interim Babylone Nabonnedus sive Labyneth Herod. l. 1. Nam postqvam Astyages à Cyro victus fuerat, Prorex Laboneth Babylonicum imperium sibi sumpsit. Cyrus verò, postqvam Cræsum devicerat, ea in Asiâ gessit, qvæ Herodotus refert. Et demum reliqvis omnibus ordinatis, contra Nabonethum anteà qvidem Astyagis Proregem, nunc verò se pro Rege gerentem duxit anno P. J. 4174. Hoc acie victo & Borisippum se recipiente, Cyrus contra Babylonem duxit Ibi ordinatis, qvi exteriorem murum destuerent, Borsippas profectus et atq; ibi Nabonnedum circumsedit. Sed hic se statim Cyro dedit anno P. J. 4175. Atq; hinc Babylonici imperii initium dependet, &c. Supplice recepto & in Caramaniam ablegato, Cyrus contra Urbem duxit. Sed illi cum anteà obsidionem veriti, & muros munivissent, & de necessariis sibi prospexissent, conatus Cyri irridebant. Cyrus ergò anxius & consilij inops, demum Euphratem aliò derivare aggressus istum annum & seqventis partem huic operi impendit. In seqventi demum æstate urbs capta est Sacæorum festivitate &c. post Solstitium æstivum anni P. J. 4175. Anno verò P. J. 4176. autumno annus 70. captivitatis terminatur Huc usq; W. L.

Verum enim verò an hæc omnia, ut narrata sunt, reverà ita se habeant, ego qvidem vehementer dubito. Sanè qvicqvid hîc vir doctissimus conciliandis sacris & prophanis Scriptoribus excogitavit, utut primo intuitu adblanditur, si tamen diligentius ponderaveris, deprehendes id esse subtilius, qvam verius. Videbimus potiora.

I. Asseritur hic, *Regem Medorum Astyagem factum Babyloniorum Dominum & Regem anno 17. Imperij Medici.* Asserto huic 1. oppono locum ex Jerem. c. 25. v. 11. 12. 14. Ubi Propheta dicit, Israelitas servituros Babyloniorum Regi 70. annos. Impletis autem his, etiam ipsum Regem Babel & Babylonios visitatum iri, & aliis servituros. Ni igitur statuere velis Regem Babel & Babylonios visitatos fuisse & aliis serviisse 25. annis antè, qvam 70. anni essent elapsi, ipsiq; vi prædictionis divinæ servire debebant, Israelitas etiam non 70, sed 45 saltem annis serviisse, utiq; verum esse neqvit, Astyagem fuisse Darium Medum & sibi subjecisse Babylonios &c. 2. Obverto. c. 27. v. 7. Jerem. Ubi prædicitur, omnes populos servituros Nebucadnezari, ejus filio & nepoti,

poti,

poti, usq; dum tempus terræ ipsis veniat. Connectitur hic tempus servitutis, ad Nebucadnezarem, ejus filium & nepotem restrictum, immediatè cum adventu temporis terræ Babylonicæ, qvo & ipsa visitari & servire debebat Hoc si verum, ut omninò est, anni 25 intercedere neqveunt. 3. Considerentur v. 20. c. 36. 2. Chron, Ub sic legitur ויהיו — לו ולבניו לעבדים עד מלך מלכות פרס Et f.erunt ipsi (Nebucad.) & filiis ejus in servos usq; ad regnare regnum Persidis. Si igitur Nebucadnezari & filiis ejus servierunt, usq; ad initiun Monarchiæ Persicæ, utiq; inter filios Nebucadnezaris & initium Monarchiæ Persicæ non intercesserunt 25. anni, qvibus Astyages & Nabonnedus, alieni à sangvine Nebucadnezaris, regno Bebylonico præfuerunt.

II. *Vero non est consentaneum Astyagem imperium trifariam divisisse in Medicum, Persicum & Babylonicum & unicuiq; Satrapam præfecisse qvorum unus fuit Daniel.* Nam Daniel Propheta id non dicit, sed hoc: Darium Medum toti regno nonMonarchico constante imperio Babylonico Medico & Persico, ut vir doctus opinatur, sed qvod occise Belzasaro hic accepisse dicitur, hoc est Babylonico, ei, inqvam, Darium dicit Daniel præfecisse Satrapas 120. & suprà istos tres Eparchos, qvorum primus Daniel esset, qvibus essent Satrapæ edicturi rationem, ne Rex damno afficeretur.

III. *Neq; etiam Labinithus fuit Nabonnedus, qvem Cyrus exercitu petiit, & qvo imperium Babylonicum administrante, idem Cyrus urbem Babylonem oppugnavit, & expugnavit.* Elucet hoc ex Heroditi libro 1. p. 99. Ubi post qvam Nitocreos monumenta & facta egregia commemorarat, subjungit hæc: adversus ejus (Nitocreos) filium Labynithum patris nomen & Assyriæ imperium habentem Cyrus exercitum duxit &c. Nam Nabonnedus, uti vocant, non fuit Nitocreos filius, sed alienus, ut ipse Cl. L. loqvitur. Relinqvitur ergo hunc Labynithum non fuisse nisi Belzasarem Nitocreos filium, eumq; à Cyro debellatum, atq; eo imperitante in Babylonia, captam Babylonem urbem fuisse.

IV. *Verum non est, Cyrum Nabannedo, qvi se ei dediderat, Caramaniæ præfecto, ad Babylonis obsessionem cum exercitu fuisse reversum, eamq; tandem post annum infesto Saccæorum occupasse.* Nam 1. Contrarium ex Jeremiâ c. 51. v. 31. apparet: Ubi ita Propheta: Cursor cursori obviam veniet, & index indici obviam ad indicandum Regi Babyloniæ, captam esse urbem ejus. Hinc intelligitur, ante expugnatam Babylo-

nem

nem vi prædictionis divinæ Regem Babylonis non fuisse in manu & potestate Cyri. 2. Idem probatur ex ipso Berosi fragmento. Ubi enim is exposuerat Nabonnedum cum exercitu Cyro occurrisse, & ab eodem victum Borsippum profugisse, subnectit: Cyrus verò βαβυλῶνα καταλαβόμενος cum Babylonem cepisset, jussissetq; exteriora munimenta dirui, qvod civitatem videret ad res novas mobilem, urbem verò capi difficilem: Borsippum contendit ad obsidendum Nabonnedum. Licet hic Berosus in eo à verò aberret, qvod Nabonnedum Babylone, cum ea occuparetur, non fuisse, sed Borsippi, referat, id tamen verissimè & Scripturæ Sacræ convenienter dicit, ante Babylonis obsessionem & expugnationem in potestate Cyri non fuisse. 3. Ex fragmento Magasthenis idem habetur. Ita dicit: τῷ δὲ κῦρος ἑλὼν βαβυλῶνα, καρμανίης ἡγεμονίην δωρέεται. Cui Cyrus, cum cepisset Babylonem, Carmaniæ præfecturam dedit. Non ergo ante captam Babylonem in Caramaniam ablegatus est. 4. Optimè cum S. Sacra conspirat Xenephon asserendo non tantum Babylonem expugnatam fuisse ante captum Regem Babyloniæ, sed & eundem tum fuisse Babylone atq; eodem tempore interemptum.

V. *Vix, imò ne vix qvidem, videtur verosimile, qvod dicitur, Cyrum rapto Persico regno, 11. annis Persas suos exercuisse, eaq; omnia præparasse, qvæ ipsi in maximo prælio usui futura essent, ac varias terras occupasse, ac demum prælio Astyagem vicisse, ac vivum cepisse.* Nam 1. Herodotus l. 1. & Justinus l. 1 memoriæ prodiderunt, Astyagem, ut inaudivit Cyrum Persas ad rebellionem concitasse, mox per nuncium eum accersivisse, ac paulo post, qvod Cyrus respondisset, se prius venturum, qvam ipse velit, misso exercitu, contra Cyrum jam Medis bellum inferentem, pugnasse, &, cum ob Harpagi perfidiam Medi cæsi fugissent, statim, reparatis copiis, ipsum adversus Cyrum tetendisse, ac victum in manus ejus devenisse. 2. Nec Astyages tam improvidus & negligens, præsertim si antè acta ejus ponderaveris, videtur putandus, ut 11. annis qvieverit, & nictantibus qvasi oculis, Cyrum, multas terras occupantem, & qvotidiè viribus crescentem, aspexerit. 3. Terræ, qvas occupasse dicitur, aut spectarunt ad regnum Astyagis, aut alterius Regis, Babylonii puta, vel Lydorum. Si prius, utiq; Astyages eis subsidio venisset. Sin verò posterius, Cyrus inconsultissimè egisset, qvod mox

in initio regni sui plures hostes, eosq; tam potentes contra se excitasset. Accedit, 4. qvod præfati Hystorici Cyrum non nisi devicto Astyage, & sibi subjecto Medorum regno, alias provincias & regna bello invasisse referunt.

SECTIO VII.
Sistens
Intervallum septimum & ultimum.

A Primo Cyri anno, qvo captivitas Babylonica soluta est, qviq; est annus per. Jul. 4183. Mundi 3475. ad annum Per Jul. 4820, Mundi 4112. inclusivè sumptum, qvo Simeon Apostolus, dictus Cananæus, martyrio coronatus est, effluxerunt anni 638. Possunt ità colligi.

A primo Cyri anno ad annum Per. Jul. 4402. Mundi 3694. exclusivè, qvo Seleuci capit Imperium, Æra etiam annorum Græcorum vel Seleucidarum, elapsi sunt anni 219

Ab anno P. J. 4402. inclusivè, qvo capit primus Seleuci annus, ad initium regni Hasmonæorum, qvod incidit in annum P. J. 4571, Mundi 3863. exacti sunt anni 169

Ab exordio regni Hasmonæorum ad primum Herodis initium, qvod incidit in annum P. J. 4674. Mundi 3966, Julianum 6. Imperij Augusti qvo Romæ Rex declaratus est, fluxerunt anni 14

A Primordio Herodis ad annum P. J. 4711. Mundi 4003. inclusivè, qvo exeunte (25. scil. Decembris) Christus natus est, elapsi sunt anni 37

Ab anno P. J 4711. exclusivè, in cujus fine Servator in lucem est editus, ad annum P. J. 4742, M. 4034. qvo Christus est baptizatus, fluxerunt anni 30

Ab anno P J. 4742. inclusivè ad finem anni P. J. 4749. M. 4041, qvo Cornelius conversus est, & 70. hebdomades finitæ sunt, numerantur anni 8

Ab anno P. J. 4749. M. 4041. ad finem anni P. J. 4783. M. 4075. qvo Urbs & Templum Hierosolymitanum à Tito devastatum est, effluxerunt anni 34

Ab anno P. J. 4783, M. 4075. ad annum P. J. 4812, M. 4164. inclusivè, qvo Johannes Evangelista mortuus est, elapsi sunt anni 29

Ab anno P. J. 4812. M. 4104. ad annum P. J. 4820. Mundi 4112. qvo Simeon Martyr obiit, exacti sunt anni 8

Summa 638.

Qvæ-

Quæstio I.

Quomodo Archangeli Gabrielis 7. hebdomades optimè intelligi & explicari debeant?

Variæ de 70. hebdomadum apud Danielem c. 9, initio pariter & fine, & olim fuere, & etiamnum Chronologorum sunt sententiæ. Causa diversitatis videtur esse præcipua, quod, censente rectissimè Calvisio in Isag. pag. 150 sententiam Prophetæ Danielis, non ex verbis vaticinii eruere conati sint, sed verba ab opinionem suam præconceptam contorserint. Ut igitur quantum humana fert imbecillitâs, inoffenso pede progrediamur, 1. Ipsa Danielis verba, ut in fonte habentur, accurratiori mentis trutinâ ponderabimus, inq; gennuinum horundem sensum, Deo auxiliante, inquiremus. 2. Quæstionem ipsam explicabimus & disceptabimus. Esto igitur

MEMBRUM I.

De verbis Angeli à Daniele consignatis c. 9. v. 24. 25. 26. 27.

PRima verborum Archangeli Gabrielis in fonte ita habent: שָׁבֻעִים שִׁבְעִים נֶחְתַּךְ עַל־עַמְּךָ וְעַל־עִיר קָדְשֶׁךָ Septuaginta septimanæ decisæ sunt super populum tuum & super urbem tuam sanctam. Vox שָׁבוּעַ notat propriè & usitatissimè ἑπτάδα dierum, quæ Græcis ἑβδομὰς & Latinis hebdomas, hebdomada, item septimana dicitur. Danieli שָׁבֻעִים יָמִים c. 10. v. 2. Hic autem summo Interpretum consensu designat ἑπτάδα annorum vel שֶׁבַע שָׁנִים semper annos. Ita enim Levit. 25. v. 8. habetur: וְסָפַרְתָּ לְךָ שֶׁבַע שַׁבְּתֹת שָׁנִים שֶׁבַע שָׁנִים שֶׁבַע פְּעָמִים &c. Et numerabis tibi septem septimanas annorum, septem annos septem vicibus, ita ut tempus septem septimanarum annorum tibi sint anni 49. Septimanæ igitur hæ septuaginta conficiunt 490. annorum summam. Has dicit angelus esse decisas, hoc est certò constitutas. In Hebræo est נֶחְתַּךְ in singulari, cum tamen præcessere duo pluralia שָׁבֻעִים שִׁבְעִים, quibus junctum est. Frequens hoc est apud Hebræos, notaturq; distributio hoc modo: quælibet septimana, omnes & singulæ,

ne

ne ullâ qvidem exceptâ, decisæ sunt. Exempla multa hujus generis in Sacris occurrunt. Gen. 40. v. 22. בָּנוֹת צָעֲדָה עֲלֵי־שׁוּר Interp. Belgici elck een dertacken loopt over den Muer. Esth: cap. 9. v. 24. וְקִבֵּל הַיְּהוּדִים & recipit Judæi, hoc est Judæorum qvisq;. Ita & Psal. 87. v. 3. נִכְבָּדוֹת מְדֻבָּר בָּךְ gloriosa dicitur de te, hoc est, qvodqve gloriosum. Sic Eccles. c. 10. v. 3. זְבוּבֵי מָוֶת יַבְאִישׁ יַבִּיעַ שֶׁמֶן רוֹקֵחַ Muscæ mortis, hoc est qvælibet muscarum mortuarum efficit, ut fœtorem eructet unguentum pigmentarii. Plur. vid, in Thes. Buxt. l 2. c. 10. p, mihi 4. 25. Pergit Angelus, annos esse dicisos super populum tuum, & urbem sanctam tuam. Populus hic significat Judæos. Ii enim Danielis erant populus, hoc est populares & fratres Urbs autem sancta est Hierusalem. Vocatur ea עִיר הַקֹּדֶשׁ civitas sanctitatis vel sancta non tantum hîc, sed & alibi, nimirum Nehemiæ. c. 11. v. 1. Esa. 48. v. 2 & c. 52. v. 1. In N. T dicitur ἁγία πόλις Matth. 4. v. 5. explicante Lucâ. c. 4. v. 9. Matth. 27. v. 53. Causa autem qvamobrem Sancta appellatur Solymorum urbs, est hæc, qvod ibi Dei templum & sanctum sanctorum, sedes cultus divini Esa 31. v. 9. Psal. 102. v. 22. & 23. Non autem his verbis: 70. hebdomades decisæ sunt super populum tuum &c. indicatur temporis mensura intra qvam præcisè populus Judaicus, & Urbs sancta destruenda erat, ut Junius & Calvisius volunt, qvo de plura postmodum in qvæstionibus; sed intra spatium 70. septimanarum, & qvidem fere circa finem harundem, uti ex versu 26. & 27. patet, Messiam promissum redemptionis negotium expediturum, & qvidem in ipso populo, cujus ex captivitate liberationem Daniel tantis precibus à Deo expetiverat, & in ipsa Urbe, cujus reparationem tantopere flagitarat.

Seqvitur לְכַלֵּא הַפֶּשַׁע לְחָתֵם חַטָּאוֹת וּלְכַפֵּר עָוֹן וּלְהָבִיא צֶדֶק עֹלָמִים ad occludendum prævaricationem, & ab obsignandum peccatum, & ad expiandum iniqvitatem: & ad reducendum justitiam seculorum, & ad obsignandum visionē & Prophetam, & ad ungendum Sanctum Sanctorum, Hisce promittit Gabriel Danieli, remedium contra populi Iudaici, imò totius mundi, calamitatem, tum temporalem, tum æternam, nimirum redemptionem & satisfactionem Christi Salvatoris. Sed omnia pluribus sunt evolvenda. Primo dicit

Ange-

Angelus: לְכַלֵּא הַפֶּשַׁע ad occludendum prævaricationem פֶּשַׁע proprie ſignificat, deficere ab aliqvo, exuere dominium, vel, ut Aben-Eſra eleganter, egredi vel eximere ſe è poteſtate Magiſtratus eiq; ſe opponere, Ita accipitur 2. Par. 21. v. 8. בימיו פשע אדום מתחת יד יהודה in diebus ejus defecit Edom, ne ſubjectus eſſet Jehudæ: Sepiùs cum ב conſtruitur, q. d. rebellare in vel contra aliqvem. 2. Reg. 3. v. 7. מלך מואב פשע בי Rex Moab defecit (& rebellavit) contra me: Ita etiam 1. Reg. 12. v. 19. & alibi. פֶּשַׁע igitur, qvod hinc deſcendit, ſignificat defectionem, rebellionem, prævaricationem, Puto autem hic Danielem c. 9. v. 24 deſignare omnem rebellionem tum primam factam in Paradyſo, tum ortam, qvâ & pravitate corruptæ naturæ & actionibus, ſcienter & contumaciter contra Legem commiſſis, deficimus & contra Deum rebellamus & prævaricamur. Gen. 6. v. 5. c. 8. v. 21. Pſal. 14. v. 3. & 53. v. 4. Rom 3. v. 14. Eſai. 1. v. 2. Pſal 25. v. 7. Ezech. 33. v. 12. Hanc ipſam defectionem prædicitur hic Meſſias occluſurus. כלא clauſit incluſit, (hinc כֶּלֶא carcer 2. Reg. 25. 29. Eſa. 42. v. 22. & מִכְלָא caula Aba. 3. v 16.) 1. Sam. 6. v. 10. cohibuit continuit. 1. Sam. 25. v. 33. cohibuiſti, continuiſti me hoc ipſo die, inqvit ad Abigal, David, ne inirem cædes Gen. 8. v. 2. וַיִּכָּלֵא הַגֶּשֶׁם & cohibitus eſt imber. Defectionem igitur hanc & prævaricationem, ceu tyrannum peſſimum, Chriſtus carceri qvaſi incluſit, & cohibet, ne in nos ſæviat ſubjiciendo nos calamitatibus tum corporis, tum animæ, tum temporariis tum æternis.

2. Dicit לַחְתֹּם חַטָּאוֹת ad obſignandum peccatum. חַטָּאָה eſt à חָטָא qvod propriè ſignificat, aberravit à ſcopo ſcil. præfixo. Sic Jud. c. 20. v. 16. כָּל־זֶה קֹלֵעַ בָּאֶבֶן אֶל־הַשַּׂעֲרָה וְלֹא יַחֲטִא omnes hi (qvilibet horum) funda mittens erat lapidem ad capillum, ut non faceret aberrare (lapidem ſcil.) Deinde notat peccare, à norma Legis divinæ aberrare. Exod. c. 32 v. 32. & paſſim. חַטָּאת igitur eſt peccatum & ἀνομία aberratio à ſcopo, lege nimirum divinâ 1. Joh. 3. v. 4. חָתַם ſignificat, ſignavit, obſignavit In Sacris literis obſignantur literæ Eſth. 8. v. 8. obſignatur lapis impoſitus oſtio foveæ, in qvam Daniel fuerat conjectus. Dan. 6. v. 18. Obſignatur ſepulchrum Chriſti. Matth. 27. v. 66. occultatur & obſignatur

prophetia Dan. 12. v. 4 & 9. Cum itaq; antè Angelus dixerat, prævaricationem carceri qvasi inclusum iri, jam addit signaculum carceris & peccatorum. Elegans significationis augmentum! Verè enim Christus impios dedit sepulchro suo, & divites (qvi divitiis suis fidunt & pauperes in fide & Op. Bonis existunt Luc. 12. v. 21. 1. Tim. 6. v 18.) בְּמֹתָיו in mortes suas Esa. 53. v. 9. hoc est, omnium peccata ex hac vitâ discedens secum abstulit in mortem & sepulchrum, ibi ceu in carcere occlusit & obsignavit, ne unqvam in conspectum Dei veniant, neve eorum recordetur. Psal. 25. v. 7. Esa. 43. v 25.

3. לְכַפֵּר עָוֺן ad expiandum iniqvitatem. Distinctis his vocibus עון חטאה פשע notantur omnia peccata, qvocunq; nomine veniant, per Christum esse expianda. כָּפַר significat, picavit, pice obduxit. Gen. 6. v. 4. in Pihel. כִּפֵּר abolevit. q. s. diligenter pice obduxit, ut non amplius appareat, sed aboleatur prorsus Significatio hæc qvi negari possit, non video, idq; ob locum Esa. 28. vers. 18. וְכֻפַּר בְּרִיתְכֶם אֶת־מָוֶת & abolebitur fœdus vestrum cum morte &c. Significat etiam placavit, reconciliavit Gen. 32. v. 20. expiavit Exod. 30. v. 10. Et hæc significatio vel maximè hic obtinet, qvamvis reliqvæ non excludantur. Ut igitur in V. T. Pontifex maximus qvotannis semel sanctuarium ingressus, sangvine sacrificii pro peccatis expiationem fecit Exod 30. v. 10. Levit. 16. v. 15. & seq. ita Christus semel se ipsum tradens pro nobis oblationem & victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ Eph. 5 v. 2. sangvineq; non hircorum & vitulorum, sed proprio in Sacrarium est ingressus, atq; æternam, expiatione factâ, redemptionem invenit. Ebr. 9. v. 12.

4. לְהָבִיא צֶדֶק עֹלָמִים ad reducendum justitiam seculorum. Primus Adam creatus erat primitus ad imaginem Dei consistentem in justitiâ & sanctitate Gen. c. 1. v. 27. Ephes. 4. v. 24. sed comedendo de arbore vetitâ amiserat Gen. 3. ut ab eo tempore inter homines non fuerit justus, ne unus qvidem Psal. 14. v. 3. Rom. 3. 10. Verum Christus secundus ille Adam 1. Cor. 15. v. 45. perfectissimâ suâ obedientiâ & satisfactione, Phil. 2. reduxit justitiam, eamq; nobis remissis peccatis per fidem imputat, ut eâ solâ coram Deo consistentes æternùm salvemur. Rom. 3. v. 22. & seq. Psal. 32. v. 1. & 2. Videtur dici צדק עלמים justitia seculorum, qvod ea homines qvovis seculo, qvo-

qvovis mundi tempore justificati sint, & justificari oporteat, qvi qvidem ad salutem adspirant.

5. וְלַחְתֹּם חָזוֹן וְנָבִיא & ad obsignandum visionem & Prophetam. Sive vocem נָבִיא cum Junio & Belgicis Interpretibus vertas, Prophetam, qvod propriè significat, sive cum Græcâ, Vulgata Latina, & nostra Germanicâ Lutheri, prophetiam, per metonomiam concreti pro abstracto, perinde esse videtur. Sensus enim manet unus idemq; iste nimirum, qvicqvid prædictum per Prophetas de Christo ejusq; passionibus, & eam consecuturâ gloriâ. 1. Pet. 1. v. 11. id omne factum & impletum iri, ut nihil amplius restet implendum.

6. וְלִמְשֹׁחַ קֹדֶשׁ קָדָשִׁים & ad ungendum Sanctum Sanctorum. Nomine קדש קדשים aliàs venit, ut alias significationes jam prætercam, intima pars tabernaculi Exod. 26. v. 33. & postmodum etiam ipsius templi Salomitani 1. Reg. 6. 37. & c. 8. v. 16. In Epistolâ ad Ebræ. c. 9. v. 3. dicitur: ἅγια ἁγίων Sancta sanctorum das allerheiligste Lutherus. Hoc autem loco קדש קדשים designat ipsum Messiam per metonomiam abstracti pro concreto. Hoc ipso c. 9. Dan. v. 23. dicit Angelus de Daniele כִּי חֲמוּדוֹת אָתָּה qvia desideria tu es, id est, desideratissimus Deoqve acceptissimus. Qvod autem vox קֹדֶשׁ bis ponatur, sitq; regens & rectum, eo innuitur summa Christi sanctitas, & qvod non modo sit sanctus, sed ipsa sanctitas, & qvidem, non aliqva, sed maxima, uno verbo, qvod omnium sit longè sanctissimus. Vocatur autem Sanctum Sanctorum, qvia ipse est ἅγιος Luc. 1. v. 35. qvi semet ipsum sanctificavit, ut & nos simus sanctificati ἐν ἀληθείᾳ Joh. 17. v. 19. qvi etiam per Sanctum Sanctorum in V. T. præfiguratus est, Eb. 9. v. 11. & est vera fœderis arca, à qvo & per qvem Deus verba vitæ, ad nos eloqvitur Ebr. 1. v. 2. verum propitiatorium, per qvem reconciliemur. Rom 3. v. 25. Ebr. 4. v. 16. Porro Sanctum hunc Sanctissimum dicit Angelus unctum iri. Tribus modis & temporibus Christus in Sacris est unctus 1. In utero materno in primo conceptionis momento per collationem infinitorum donorum Joh. 3. v. 35. 2. Cum ad officium suum inauguraretur, qvod factum, qvando 30. annos natus baptizabatur Esa. 61. v. 1. Act. 10. v. 38. Matth. 3. v. 16. Luc. 3. v. 22. c. 4. v. 1. 3. In sua ad Cœlos ascensione. Tum enim Servator inthronisatus & inauguratus est ad plenam cælestis imperii

usurpationem, & gubernationem cœli & terræ, in primis Ecclesiæ. Eph. 1. v. 21. & c. 4. v. 10. Phil. 2. v. 9. Ternæ hujus unctionis fuit typus David. Ipse itidem ter unctus legitur. 1. In domo patris sui. 1. Sam. 16. v. 14. 2. in Hebron à tribu Judâ. 2. Sam. 2. v. 4. 3. Hierosolymis ab omnibus tribubus Israel. 2. Sam. 5. v. 5. Primâ unctione David eâ præfiguratur unctio Christi facta in ipso incarnationis momento. Secundâ significatum fuit regnum, qvo per Evangelii prædicationem cœpit regnare in Judæâ. Tertia adumbratur regnum in universis gentibus, qvando post ascensionem suam regnare cœpit in supernis Hierosolymis. D. Calixt. in Harm. p. 124. l. 3. c. 2. Hic apud Danielem puto Angelum potissimùm respicere ad unctionem ultimò loco positam (ultimò enim hic in vaticinio eam ponit) prioribus tamen non exclusis. Atq; ita versum 24. expedivimus.

Seqvitur versus. 25. וְתֵדַע וְתַשְׂכֵּל מִן־מֹצָא דָבָר &c. Præcedenti versu 24. Angelus constituerat intervallum 70. hebdomadum & significarat, qvid eo ferè exacto aliqvando futurum esset. Præsenti autem ver. 25. ostendit, unde 70. illarum hebdomadum ducendû initium. Deinde totum illud spatium in suas partes seu intervalla, nimirum in septimanas 7. & 62. ultimâ paululum sepositâ, distribuit, idq; dubio procul non frustrà, sed ut innuat, peculiari intervallo, peculiare qvid eventurum. Sed singula pensiculabimus. 1. Dicit וְתֵדַע וְתַשְׂכֵּל Scito & prudenter adverte. שָׂכַל significat prudens, callidus fuit. 1. Sam. 18. v. 30. שָׂכַל דָּוִד prudens, callidus erat David præ omnibus servis Saulis. In Hiphil: prudentem fecit. 1. Par. 28. v. 19. & 1. Sam. 18. v. 14. & fuit David in omnibus viis suis pruden. faciens, id est, qvicqvid cœptabat & agebat, prudenter agebat Esa. c. 52. v. 13. הִנֵּה יַשְׂכִּיל עַבְדִּי Ecce servus meus prud. faciet, id est. qvicqvid aget, prudenter aget. Luther. Wird weißlich thun. Hic autem (הִשְׂכִּיל) ut & alibi notat animum intendit, advertit & qvidem callidè, solerter & prudenter.

2. מִן־מֹצָא דָבָר לְהָשִׁיב וְלִבְנוֹת יְרוּשָׁלִַם. Ab exitu verbi ad reverti faciendum & ad ædificandum Jerusalem. Exitus verbi juxta communem Interpretum consensum significat diplomatis vel edicti regii publicationem seu promulgationem, & qvidem 1. לְהָשִׁיב ad reverti faciendum. שׁוּב enim in Kal est reverti, redire.

In Hiphil reverti facere, ſive id fiat permiſſione, ſive juſſione &c. Indicatur igitur hîc, edicto hoc regio Judæis è captivitate liberationem, & in patriâs ſedes regreſſum permiſſum iri. 2. וְלִבְנוֹת יְרוּשָׁלַ‍ִם & adædificandum Jeruſchalaîma, qvæ tot annis miſerè in ruinis jacuêre. Qvod ſi poſt hanc Angeli prædictionem prômulgata Regum Perſarum edicta res Judaicas concernentia inq; libris Eſræ & Nehemiæ conſignata, numeraverimus, deprehendemus 4. eſſe. 1. Eſt ipſius Cyri, qvi permiſit, ut in Palæſtinam redirent, templum, & urbem ædificarent Eſr. 1. v. 1. 2. Chron. 36. v. 22. 23. 2. Eſt Darii. Cum enim Haggæi & Zachariæ Prophetarum monitis diu intermiſſum ædificationis opus Judæi reſumerent, viciniq; Darium Regem conſulerent, ipſe Judæorum, edicto Cyri ſollicitè qvæſito & invento, factum approbat, vetatqve ſuis, ne poſthac Judæis in templi ſtructurâ impedimento ſint, capitali & infami ſupplicio conſtituto omnibus, qvoqvomodo contravenientibus. Eſr. c. 5. & 6. 3. Eſt Artaxerxis, qvi anni ſui ſeptimo Eſræ permittit, ut cum benè multis in Patriam remeet, cultum divinum, renovato Darii edicto de ſumptibus ad ſacrificia ſuppeditandis, illic curet & judicia conſtituat. Eſr. c. 7. v. 1. & ſeq.

4. Eſt ejusdem Artaxerxis, qvi 20. anno imperii ſui Nehemiam mittit Hieroſolymam, cum poteſtate urbem mœnibus cingendi Nehem. c. 2. Unum ex his 4. Angelum intelligere certum eſt, qvod nam verò illud ſit, admodum eſt controverſum. Qvidam putant intelligi qvartum & ultimum, uti Petavius & qvi ipſum ſeqvuntur. Alii volunt notari edictum 3. ut Funccius. Nonnulli indigitatum autumant edictum ſecundum, ut Ill. Scaliger, Sethus Calviſius. Sunt deniq; qvi ſtatuunt Angelum reſpicere ad mandatum vel edictum primum ipſius Cyri. Et hanc ultimam ſententiam, ſi modo rectè explicetur, arbitror cum verbis Angeli Gabrielis omnium optimè convenire. Tum enim Judæis fuit permiſſum, ut in patriam redirent, & Hieroſolymam reſtaurarent. Sed poſt inqvæſtione ipſâ omnia latiùs diducentur & probabuntur.

3. עַד־מָשִׁיחַ נָגִיד usq; ad Meſſiam Ducem. Hiſce non reſpicitur ad tempus vel conceptionis vel nativitatis Meſſiæ, ſed ad miniſterii exordium. Licet enim jam tum Dn. Jeſus fuerit κύριος Luc. 2. v. 11. βασιλεὺς Matth. c. 2. v. 2. מוֹשֵׁל Mich. 5. v. 1. Matth 2. v. 6. non

6. non tamen ab eo mox tempore ut Ducem ſe geſſit, ſed ſibi vixit, nec populum docuit, aut miracula patravit. Eqvidem 12. annos natus Hieroſolymis in templo inter Doctores conſpiciebatur, eosq; interrogabat, & audiebat; veruntamen pauló poſt cum parentibus Nazarethum redibat, & eis erat ſubjectus Luc. 2. v. 51. Poſtqvam veró de eo in Jordane baptizato publicè & cælitùs fuerat pronunciatum: Hic eſt Flius meus dilectus, in qvo mihi eſt complacitum Matth. 3. v. 16. & 17. eoq; נָגִיד fuerat declaratus, eo munere perfunctus eſt, docendo populum & miracula edendo. Ab eo igitur tempore, qvo permiſſum fuit Judæis, ut in Palæſtinam regrederentur & Hieroſolymam reſtaurarent usq; ad illud, qvo Meſſias dux conſtitutus, ac miniſterium ſuum exorſus fuit, Gabriel numerat ſeptimanas 7. & 62. Sed de iis mox plura.

4. שָׁבֻעִים שִׁבְעָה וְשָׁבֻעִים שִׁשִּׁים וּשְׁנַיִם תָּשׁוּב וְנִבְנְתָה רְחוֹב וְחָרוּץ Hebdomades 7. & ſeptimanas 62. *qvibus* (ſimilis τοῦ אשר ellipſis occurrit Pſal. 34. & paſſim. vide D. D. Glaſſium in Grammaticâ Sacrâ p. 210.) reædificabitur platea & murus. Jam ante dictum eſt, ſingulari de causâ absq; dubio Angelum tempus 70. ſeptimanarum in diſtincta intervalla tribuere, nimirum ut peculiare qvid in iis innuat evenire debere. Hoc ut ab Interpretibus conceditur, ita obſcurius qvodammodo eſſe videtur, qvidnam illud ſit, qvod qvolibet intervallo accidit. Si autem Angeli verba velimus accuratè intueri, ſepoſitâ humanâ authoritate, apparet ita habendum: Primo intervallo 7. hebdomadum, hoc eſt, 49. annorum ab exitu verbi ad redire faciendum, & ædificandum &c. usq; ad initium 62. ſeptimanarum, populus Judaicus ex captivitate Babylonica permiſſu Cyri in Palæſtinam & in patrias ſedes eſt reverſus, Hieroſolymamq; ædificare aggreſſus eſt, domicilia ſibi exſtruendo, templi fundamenta jaciendo, ac tandem ſuperatis impedimentis templum exædificando. Secundum 70. hebdomadum intervallum conſtituunt 62. illæ hebdomades: his qvid factum ſit, indicat Angelus, nimirum platearum & murorum inſtaurationem. Referunt ut plurimum Interpretes verba hæc תָּשׁוּב וְנִבְנְתָה &c. revertetur & ædificabitur, hoc eſt, denuo vel rurſus ædificabitur platea & murus, ad intervallum non ſecundum, ſed primum. Verum hac ratione 1. negligitur prorſus inter-

terpunctatio, qvæ in textu apparet, qvâ etiam hæc platearum & murorum instauratio, à primo intervallo distincta fuit, & se undo alligat. 2. Hoc intervallo omnium maximo Angelus nullum assignaret eventum, qvod vix verisimile. Longe itaq; rectius statui reor, secundo hoc intervallo urbis Solymorum muros fuisse restauratos & plateas pedetētim reparatas & pristino nitori restitutas Eqvidem, cum primum Judæi è Babylonia in Palestinam regrederentur, & pars eorum in Urbem Hierusalem habitatum concederet, domunculas citra dubium exstruxerunt. Qvod autem eæ erant perpaucæ, perpauci etiam inhabitatores, Nehemias plures Hierosolymam traduxit, qvibus paulatim sese multiplicantibus, paulatim etiam ædificia fuere multiplicata, dum tandem plateæ pristinum statum nitoremqve assecutæ sunt. Omnia hæc & murorum & platearum reparatio & consummatio futura dicitur וּבְצוֹק הָעִתִּים & qvidem (ea enim hic τὸ ו, ut sæpè alias, est ἔμφασις) in angustiâ temporum. Ita reverâ post evenit. Hierosolymorum enim instauratores, & inhabitatores, imò tota Judæorum in Palæstinâ gens sat angustiarum calamitatum & afflictionum senserunt & exantlarunt, ut in Nehemia, in Esrâ, & Maccabæorum & Josephi libris passim videre est.

Versus 26. וְאַחֲרֵי הַשָּׁבֻעִים שִׁשִּׁים וּשְׁנַיִם יִכָּרֵת מָשִׁיחַ וְאֵין לוֹ &c. Et post septimanas 62 exscindetur Messias, qvamvis non propter se &c. Hactenus intervalla duo tum 7. tum 62. septimanarum Archangelus edisseruit, jam assumit intervallum tertium, septuagesimam scil. & ultimam septuaginta septimanarum septimanam, & qvid in eâ futurum explicat. Primò qvidem in genere omnium maximum, & non solùm Judæis, sed & universo mundo saluberrimum aperit eventum: nimirum Salvatoris & Messiæ passionem & mortem. Eam effert voce יִכָּרֵת excindetur, atq; significat eâdem, violentâ & ignominiosâ Messiam, facinerosi hominis instar, morte sublatum iri. Prophæta Esaias c. 53. v. 8. hanc mortem ita eloqvitur: נִגְזַר מֵאֶרֶץ חַיִּים abscissus est ex terrâ viventium. Luth. Er ist auß dem Lande der Lebendigen weggerissen. Prophetiam hanc utriusq; tum Angeli, tum Esaiæ ipse posteà eventus, cruci affixo Servatore nostro, comprobavit, uti testantur Evangelistæ. Non autem solummodo Messiæ mors & excisio hîc prædicitur, sed & tempus, qvo exscindendus erat, videlicet, post sexaginta

ginta

ginta duas ſeptimanas. Sethus Calviſius in Iſagoge p. 150. & Junius in Byblis, cum ſtatuunt 70. hebdomades terminari excidio urbis Hieroſolymorum, Chriſti excifionem & mortem ſecundo 62. hebdomadum intervallo factam, neceſſariò dicere habent. At verò hanc opinionem ceu fulmine proſternit Angelus dicens: poſt 62. ſeptimanas Meſſias exſcindetur. Si igitur poſt. Ergo non intra, & qvidem, qvod illi perperam volunt, 30. annos ante finem earum 62. hebdomadum. Hujus argumenti robur ut effugiant, ita vertunt verba textus Angelici: Poſt 62. ſeptimanas, exciſo Chriſto (vel qvando exciſus eſt Chriſtus) &c. urbem & ſanctuarium perdet &c. Volunt verba hæc: poſt ſeptimanas, non eſſe jungenda cum יִכָּרֵת מָשִׁיחַ exſcindetur Meſſias, ſed cum illis, qvæ ſeqvuntur: civitatem ſanctam perdet &c. Ita inqvit Calviſius: In Hebræo qvidem eſt ſimpliciter: & excindetur Chriſtus & urbem deſtruet &c. Sed hunc modum loqvendi in Hebræâ lingvâ uſitatum eſſe, ut per conjunctiones copulativas proponatur id, qvod in Latinâ lingvâ per duos ablativos conſeqventiæ efferetur, norunt ij, qvi ejus lingvæ non ſunt rudes. Reſp. Qvi accentuationis non eſt prorſus rudis, nec ſtudio eam hic vult ſusq; deq; habere, non poterit, qvin concedat verba hæc אַחֲרֵי שָׁבֻעִים &c. propriè, primò & directè cohærere cum יִכָּרֵת מָשִׁיחַ excidetur Meſſias. Ad ſeqventis inciſi verba: urbem & ſanctuarium perdet &c. non ſpectant ita directè, ſed per repetitionem, uti ajunt, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ. His poſitis & obſervatis probè, perindè fortaſſeàn erit, qvâ ſenſum, ſive reddas, exſcindetur Meſſias, ſive per duos ablativos, exciſo Meſſiâ: Veruntamen qvia poſteriori loqvendi (per duos ablativos) ratione tempus obſcurius ſignari apparet, præſtat hoc loco, ſimpliciter vertere: exſcindetur Chriſtus, qvod & Lutherus & Belgici Interpretes obſervarunt; Cum hic non tam elegantia verſionis latinæ, qvam ejusdem veritas, & perſpicuitas qværatur.

Seqvitur in textu: וְאֵין לוֹ. Variè hæc verba vertuntur ab Interpretibus. Simpliciſſimè & optimè ita: qvamvis (ו. ſæpiſſime ſignificat, qvamvis, licet, & Lutherus ipſe non rarò ita vertit) non propter ſe. Innuitur his: Chriſtum qvidem inſtar maleſici hominis violentâ & infami (coram mundi oculis) morte è medio ſublatum iri, verum planè innocuum & omni vacantem culpâ. Non enim peccarat,

rat, nec dolus in ore ejus fuerat inventus Esa. 53. v. 9. 1. Pet. 2. v. 22. Cur ergo? ob nostra peccata: Verè langvores nostros ipse tulit &c. Esai. 53. v. 4. & 5.

Pergit Angelus: וְהָעִיר וְהַקֹּדֶשׁ יַשְׁחִית עַם נָגִיד הַבָּא Sed civitatem & sanctuarium perdet populus Ducis venturi. Non hoc vult Gabriel: Solymam & Sanctuarium brevi post præterlapsas 7. & 62. septimanas perditum iri. A Christi enim morte & excisione ad Urbis & templi excidium adhuc 37. effluxere anni. Cur igitur, inqvis, mox subjungitur Messiæ morti? Resp. Vult Archangelus statim significare, Judæos Messiæ illatam mortem impunè non laturos, sed gravissimam sensuros pœnam, nimirum urbem, in qvâ parricidium hoc patratum, unà cum augustissimo templo devastatum & excisum iri. Tremellius & Junius prædicta Angeli verba mirè vertunt & in notis exponunt: Civitatem ipsam & Sanctum perdet (in notis addit Junius Christus, cui Pater omne judicium dedit) populum antecessoris venturum &c. Resp. Male hoc fieri. Nam citra omnem necessitatem 1. hic agnoscit ἔλλειψιν & subintelligit nominativum, nempe Christum: & 2. illa qvæ nominativum constituunt in accusativo vertit. Nam עַם in textu est nominativus vel is, qvi dicitur urbem perditurus, nec qvicqvam in textu apparet causæ, cur non ita sit habendum. Rectius Lutherus. Und ein Volck des Fürsten wird kommen/und die Stadt und Heiligthumb verstören. Eodem modo Interpr. Belgici. Vulgata: Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo. Non malè, si unum hoc exceperis, cum Duce. Nam τὸ cum, abest in fonte; qvamvis in versione 70. Interp. Græca habeatur, qvi pro עַם legisse videntur עִם. Sensus præfatorum textus verborum sat est clarus & cuivis obvius: nimirum, Populum Ducis venturi, hoc est, exercitum Romanum Titi Vespasiani urbem Solymorum & Templum perditurum.

Seqvitur: וְקִצּוֹ בַשֶּׁטֶף & finis ejus cúm inundatione erit. Ut aqvarùm inundatio qvicqvid offendit, corrumpit, diruit & abripit; ita exercitus Romanus justo Dei judicio non tantum reliqvas Judææ partes, sed & ipsam Jerusalem munitissimam urbem, & templum, instar diluvii inundabit & abripiet, & hac inundatione omnium maximâ Politiæ Judaicæ ultimum finem afferet. Explicationem hanc sup-

Z peditas

peditat & firmat emphatica vox שֶׁטֶף, qvæ, ut ejus radix שָׁטַף, alibi etiam designat tum in genere omnis generis calamitates Psal 32. v. 6. Psal. 124. v. 4. tum in specie bellicam irruptionem & devastationem eamq; subitaneam & magnam. Confer. Esai. c 8. v. 8. Dan. c. 11. v. 10. & 40. Nahum. 1. v. 8.

Restant ultima hujus versus 26. verba: וְעַד קֵץ מִלְחָמָה נֶחֱרֶצֶת שֹׁמֵמוֹת Et usq; ad finem belli (erit) præcisum desolationum. Vulgata: post finem belli statuta desolatio. Resp. 1. עַד non post, sed usq; significat. 2. Statuta desolatio ἔμφασιν verborum Hebræorum non exhaurit licet alias forsàn non male. Belgarum versio ita habet: Ende tot et ende/sol der Krygh sijn (ende) vestelick beschlotene verwoestingen. Lutherus simplicius & textui Hebræo & rei ipsi convenientius: Es wird weder Stadt noch Tempel künfftig wieder auffgebauet werden/ so lang eine streitende Kirche alhie auff Erden seyn wird.

Verba נֶחֱרֶצֶת שֹׁמֵמוֹת optime à Tremellio & Junio, vertuntur: præcisum desolationum, & continent ἔμφασιν singularem. Nam שֹׁמֵמוֹת est plurale, atq; idcircò non unam eamq; qvalē qvalem desolationem, sed multarum συμπλοκὴν adeoq; omnium maximam indigitare, minime est dubium. Illa maxima desolatio dicitur נחרצת præcisa, hoc est, certo certius à Deo definita & decreta, ut nemo eam potuerit impedire & remorari. Ita accipitur חרץ versu seqventi hujus c. 9. & Esa. c. 10. v. 22 & alibi.

Versus 27. & ultimi membrum primum ita habet: וְהִגְבִּיר בְּרִית לָרַבִּים שָׁבוּעַ אֶחָד וַחֲצִי הַשָּׁבוּעַ יַשְׁבִּית זֶבַח וּמִנְחָה Et (vel adversativè ut Lutherus) confirmabit fœdus multis septimanâ una, & in medio septimanæ cessare faciet sacrificium & munus. Præcedenti versu Angelus exposuit septimanâ 70. & ultimâ Messiam excisum iri, progreditur jam, & qvid præterea in eadem eventurum, subnectit primâ versus hujus 27. parte, videlicet fœderis confirmationem & Sacrificiorum abolitionem. Ut omnia eò melius intelligantur, aliorum versiones examinabimus & sensum genuinum rimabimur. 1. Versio Græca, Vulgata Latina, & Junii & Tremellii, verba שָׁבוּעַ אֶחָד expressere in nominativo. Verum cum mox seqventia verba וחצי השבוע non in nominativo, sed ablativo explicent, causam nullam poterunt

terunt allegare, qvo minus & priora eodem casu interpretentur. Eqvidem & hæc posteriora verba in nominativo videntur verti posse, æqvè ac priora, ut hac ratione grammaticè oratio sit integra & expers ἐλλείψεως. Verum cum sensus tum fit obscurior & ad sui integritatem nihilominus reqvirit nominativum sub intellectum, cui fœderis corroboratio & sacrificiorum abolitio ascribatur, satius est, præfata verba in ablativo reddere, & subintelligere ex præcedenti versu מָשִׁיחַ Is enim fœdus suis confirmavit & morte suâ sacrificia &c. abolevit. 2. vocem יַשְׁבִּית Græca vertit ἀρθήσεται & vulgata, deficiet. Non satis commodè. Nam שָׁבַת in kal denotat, cessavit, qvievit, unde שַׁבָּת cessatio, reqvies, Sabbathum. Gen. 2. v. 2. 3. Exod. 20. v. 10. 11. & passim. In Hiphil. itaq; significat: cessare fecit, abolevit &c. Deut. 32. v. 26. 2. Reg 23. v. 5. Hos. 1. v. 4. Qvandoqvidem igitur ישבית est in Hiphil, reddendum omninò est: cessare faciet, abolebit. Ad meliorem sensum notetur, qvomodo Christus. 1. fœdus multis confirmavit. 2. Sacrificium & munus cessare fecit. Fœdus hic intelligitur novum, fœdus gratiæ Jer. c. 31. v. 31. & seq. Id Messias dicitur confirmaturus. גָּבַר notat, valuit, invaluit. הִגְבִּיר igitur est valêre. invalescere fecit. Qvomodo autem? prædicando Evangelium, & patrando miracula. Eo enim effecit, ut multi ex Judaicâ Gente in ipsum crederent remissisq; peccatis per Spiritum S. in fœdus actu recepti fuerint. Publico hoc docendi munere, qvod φράσει הִגְבִּיר בְּרִית indigitari dubium non est, Messias ipse functus est dimidia ultimæ hebdomadis parte, hoc est $3\frac{1}{2}$. annis: Post mortem autem per Apostolos residuâ parte septimanæ illius. Ut hoc patet ex Evangelistis & Actis Apostolicis &c. Abolitionem sacrificii & muneris qvod spectat, de eâ variæ sunt opiniones, qvarum examen post peculiari qvæstione instituemus. Optima est eorum sententia, qvi statuunt, Christum passione & morte suâ cessare fecisse sacrificia &c. Tum enim Christus tradidit semet ipsum pro nobis oblationem & victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ Eph 5. v. 2.

Seqvitur membrum secundum versus hujus 27. וְעַל כְּנַף שִׁקּוּצִים מְשֹׁמֵם וְעַד־כָּלָה וְנֶחֱרָצָה תִּתַּךְ עַל־שֹׁמֵם׃ Verum per alam abominationum desolantem & usq; ad consummationẽ eamqs præcisam

ſam ethu udetur ſuper deſolatum deſolatio. Vulgata: & erit in templo abominatio deſolationis & usq; ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio. Multa hic poſſent deſiderari, potiora ſaltem indicabo. 1. In verſione verborum כנף שקוצים negligitur regimen, qvod inibi adeſt. Nam כנף ſtat in regimine. Abſolutum enim eſt כָּנָף. Non igitur שקוצים erat vertendum in caſu primo, ſed ſecundo: ala abominationum. 2. Malè שקוצים משמם redditur: abominatio deſolationis. Nam 1. מְשֹׁמֵם eſt participium & ſignificat, devaſtantem, deſolantem & citra neceſſitatem ſummam, qvæ hic nulla eſt, per ſubſtantivum, deſolationem transferri non debet. 2. Perperam hic ſtatuitur regimen. Non enim hic eſt שִׁקּוּצֵי ſed שִׁקּוּצִים. Qvare מְשֹׁמֵם non cohæret cum שקוצים ceu regens cum ſuo recto, ſed cum כנף ut adjectivum cum ſuo ſubſtantivo Reddenda igitur: Et per alam abominationum deſolantem &c. Nihil hic occurrit in Sacra Scriptura Veteris Teſtamenti inſuetum & inſolens, ſed omnia communiſſima & uſitatisſima. Qvod ſi qvis על, per, hic redditum impugnaverit, reſponſum hoc ſibi habeat. עַל qvandoq; ſignificare cauſam aut inſtrumentum actionis & idem ſignare, qvam בַּעֲבוּר atq; adeò rectè efferri per ablativum vel τὸ per Probatur hoc ex Gen. 27. v. 40. Ubi Iſaacus de Eſavo dicit: עַל־חַרְבְּךָ תִחְיֶה ſed gladio tuo vel per gladium tuum vives. 2. Hic autem eam & non aliam obtinere ſignificationem, reqvirit ſubſtrata materia. Qvid autem deſignetur his verbis כנף שקוצים משמם per alam abominationum deſolantem, non eſt eadem Theologorum mens. Cum autem poſtea hanc rem qvæſtione peculiari tractare in animo habeam, hic brevior ero. Dico igitur iis verbis notari exercitum Romanum. כָּנָף enim hic notat exercitum. Ita accipitur Eſa. 8. v. 8. ubi de Sannacheribo prædicitur, ipſum terram Judæ impleturum extenſis ſuis alis, hoc eſt, legionibus exercitus ſui, ut rectè explicatur in Bibl. Vinarienſ in Tremell. Jun. & Interp. Belg. Ita uſurpatur etiam vox אֲגַפִּים alæ Ezech. 12. v. 14. c 17. v. 21. Dicitur autem exercitus Romanus, abominationum ala, qvia ex Gentibus Idololatricis, qvæ Deo ſunt abominatio, conſtabat; devaſtans verò appellatur, qvod per eam tota Judæa miſerrime vaſtanda & deſtruenda erat.
Non-

Nonnulli per כנף שקוצים intelligunt, ſigna & aqvilas Romanorum, qvas Titus in caſtris habuit. In ſingulis legionibus una fuit aqvila; ex argento primitus; poſt ex auro: ſummæ haſtæ inſiſtens, alis expanſis, & pede fulmen aureum tenens. Signa verò in legione tot fuerunt, qvot cohortes, hoc eſt, decem. Fuerunt ea haſtæ oblongæ, qvibus in ſummo breve lignum transverſim appoſitum, ad formam crucis fere. Adjunćte his fuere Cæſarum imagines. Cæterum aqvilæ iſtæ, itemq; ſigna militum Dii fuere: adeò ut adoraverint ea, perq; ea juraverint. Tacitus vocat propria legionum numina. l. 2. Annal. Itemq; bellorum Deos. Vide qvæ de his Lipſius ad Tacitum notavit. Fruatur ea ſententiâ, cui placet, ego malim retinere priorem ceu ſimpliciorem Tum qvia. 1. Lucas Evangeliſta non niſi de exercitu & militibus explicat. 2. Angelus expreſſe dicit, per alam hanc &c. deſolationem produci & effundi. Obvertis כנף nullibi notare exercitum. Ergo neq; hic, ſed potius expanſum, uti Grotius vult, ejusq; σημέιας exemplum oſtendit Mal. 4. v. 2.

Reſp. 1. Contrarium ſuprà ex Eſa. 8. 8. oſtenſum eſſe. 2. Malach. 4. v. 2. כנף potius expanſionem ſignificare qvam alas, nullam video cauſam prægnantem. 3. Verborum horum וְעַד־כָּלָה וְנֶחֱרָצָה & ſeqventium ſenſum Græca & vulgata utcunqve aſſeqvitur, ſed ἔμφασιν & vim vocum Hebræarum non item. Melius & Hebræo textui convenientius ita: & usq; ad conſummationem & qvidem præciſam effundetur ſuper deſolatum (deſolatio) Sed ut melius pateſcat, pluribus hoc erit evolvendum. 1. Verborum עד־כלה ונחרצה vis non ſatis exprimitur, per finem & conſummationem. Iis enim, præter conſummationem & finem, indigitatur conſummationē hanc in conſilio Dei decretam, ac ea propter certò certius eventuram. Occurrunt hæc eadem verba Eſa. 28 v. 22. כִּי־כָלָה וְנֶחֱרָצָה שָׁמַעְתִּי מֵאֵת אֲדֹנָי qvia conſummationem, eamq; (vel & qvidem) præciſam audivi à Domino &c. confer hic notas Intep. Belg. Eadem locutio eodem ſenſu legitur Eſai. c. 10. v. 23.

2. In verbis תִּתַּךְ עַל־שֹׁמֵם noterur 1. ἔλλειψις illius rei, qvæ effundi dicitur. Poteſt ſubintelligi vel 1. ira Dei, vel 2. שֹׁמֵם, מְשֹׁמֵם deſolatio ex præſenti adjećtivo. Utrum intelligas non errabis. Puto tamen poſterius textui, forſan & lingvæ Hebrææ

genio esse convenientius. 2. שֹׁמֵם hic verti passivè. Accipitur hæc vox in Sacra Scriptura Testamenti Veteris & activè & passive Activè. & vertitur desolans Dan. c. 11. v. 31. & c. 12. v. 11. Ibi enim, cū שִׁקּוּץ construitur & ponitur pro מְשֹׁמֵם qvod mox antè præsenti in versiculo habuimus. Passivè capitur, & redditur, desolatum Thren. 1. v. 16. הָיוּ בָנַי שׁוֹמֵמִים sunt filii mei desolati. Fœmininum est Esa. 49. v. 8, Ne autem hoc mirum videatur, notetur: שָׁמֵם & activam & passivam in S. Scripturà significationem habere, & verti qvandoque per desolare, qvandoq; per desolari. Priori modo usurpatur Esa. 42. v. 14. Posteriori verò Ezech. 36. v. 3. & alibi. In participio igitur idem obtinere cur non possei? In præsenti versiculo שֹׁמֵם itidem passivam habet significationem, & vertitur rectè, desolatum, reqv rente id contextu. Dicis Græcos & Latinum שֹׁמֵם vertere hic desolationem. Resp. id fieri absq; necessitate, atq; adeò haut accurratè satis. Fateor Hebræos qvidem qvandoq; adjectiva, præsertim fœminina, usurpare pro substantivis, concreta pro abstractis. Exemplum habemus hoc ipso Danielis c. 9. v. 18. ubi שֹׁמְמוֹת substantive accipitur, & per desolationes vertitur. Nihil ominus tamen adjectivum tantisper adjectivè & accipiendum & vertendum, dum aliqva necessitas contrarium suadeat. Si reposueris, cur ergo Matthæus Spiritu S. impulsus c. 24. v. 15. eodem modo citat: ὅταν οὖν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως &c. & Marc c. 13. v. 14. Resp. Citarunt ex versione Græcâ, qvæ tum in omnium ferè versabatur manibus & qvidem qvia, 1. sensus idem est & manet. 2. vox ἐρημώσεως hic fungitur vice adjectivi juxta consvetudinem Hebreorum, qui adjectivum quandoq; exprimunt substantivo ut Psal. 23. v. 2. בִּנְאוֹת דֶּשֶׁא יַרְבִּיצֵנִי in caulis herbæ, id est, herbidis facis me recubare. Observavit hoc Beza & propterea vertit in Matthæo, & in Marco: cum videritis abominationem illam vastatricem &c.

MEMBRUM II.

Exhibens Ipsius qvæstionis ἐξήγησιν.

QVandoqvidem de horum 70. hebdomadum & initio & fine disputatur,

tatur, placet de utroq; , ut veritas magis magisque elucescat, speciatim agere. Sit igitur

ARTICULUS I.
De 70. hebdomadum initio.

I. Julius Affricanus, Hieronymus, Chrysostomus Theodoretus, Melanthon, Foxius, Pinthus, Lydiatus, Petavius, Langius, Vorstius initium 70. hebdomadum à 20. anno Artaxerxis Longimani ducunt. Resp. Quo minus huic sententiæ assentiri queam, hæc sequentia obstant. 1. Edictum illud Artaxerxis verborum Gabrielis Archangeli sensum minime exhaurit. Ea enim complectuntur. 1. Ex captivitate Babylonicâ in patrias sedes reversionem, uti post probabo, & contra omnium insultus, Deo juvante, tuebor. At de eâ in edicto Artaxerxis Neh. 2 v. 7. & seq. altum est silentium: Nec ipsi hujus opinionis patroni id volunt, cum reversionem hanc ceu dudum ante factum præsupponant. 2. Restaurationis Solymorum inchoationem, & primordium. Id enim precibus suis Daniel Deum exorarat, nempe ut tandem, elapsis ferè 70. captivitatis annis, juxta divinam promissionem, populus è Babylone Hierosolymam rediret, eamqve, & sanctuarium à solitudine & vastitate vindicaret, & ædificaret. Verum 20. Artaxerxis anno muri duntaxat restaurati sunt & plateæ etiam consummari, pristinoque nitori paulatim restitui cæptæ.

II. Eadem sententia evertitur interpunctatione, in verbis Angeli deprehensâ. Ibi enim platearum & murorum restauratio secundo 70. hebdomadum intervallo deputatur & cum eo cohæret. Post primum namque intervallum, 7. puta septimanarum, positus est Atnach accentus post Sylluk supremus. Verba autem תָּשׁוּב וְנִבְנְתָה ante se habent saltem Rebhiag. qvi longè minoris est authoritatis & potestatis. Nequeunt igitur citra ϛρεβλῶ prædicta verba à secundo intervallo abrumpi & primo adnecti. Hæc est ordinaria & communissima horum accentuum ratio & conditio, à qvâ non recedendum, nisi extrema & ultima necessitas, qvæ hic nulla (neq; forsan etiam alibi præsertim in libris prosis, ut vulgo vocantur,) est, aliud cogat.

3. Nec potest qvicqvam ostendi, in quo primum 7. hebdomadum

dum intervallum terminetur. Si enim ab anno 20. Artaxerxis Longimani (uti adversa pars contendit) exorsi fuerimus, finis membri primi vel 7. hebdomadum incidit in annum 8. Artaxerxis Mnemonis. Qvid autem tum juxta adversantium dispositionem evenit, in qvo 7. septimanæ desinant & 62. initium sumant?

IV. Neq; etiam ad numerum 483. annorum pervenire possunt. Ab anno enim 20. Artaxerxis Longimani ad Christi baptismum non nisi 473. anni, ipsis fatentibus, fluxerunt.

Excip. 1 quidam: Esse apud Danielem intelligendos annos Lunares: ita olim Julius Africanus, ut patet ex l. 8 ἀποδείξεως εὐαγγ. Euseb. c. 2. & ex Hieron. comment. in c. 9. Dan.

Resp. Neq; tum supputationem bellè se habere. Confici siqvidem hac ratione 14. annos, & quod excurrit, cum tamen saltem. 9. anni aliàs desiderentur.

Excip. 2 Alii: duplex fuisse Artaxerxis Longimani initium. Unum, ex quo patre defuncto solus regnare cœpit anno 1, Olymp. 79; alterum, ex qvo cum Patre Xerxe regnum administravit, vel regno destinatus fuit, quod factum ajunt 13. anno imperii Xerxis & hinc volunt numerari 20. annum Nehemiæ c. 1. v. 1. & c. 2. v. 1. Hanc Epocham Dionysius Petavius, cui doctissimi viri Langius, & Vorstius assentiuntur, ita conatur confirmare. Themistocles profugit ex Græciâ in Persiam anno 2. Olymp. 77, uti refert Diodorus Siculus, atq; ita 7. ante cædem Xerxis; idem verò Themistocles juxta narrationem Thucididis ad Artaxerxem literas dedit ὡς βασιλέα Ἀρταξέρξην τ̃ Ξέρξου, νεωστὶ βασιλεύοντα, ad Regem Artaxerxen Xerxis (filium) nuper regnare incipientem. Ita igitur Petavius colligit: Si Themistocles in Persiam venit ad Xerxem 7. annis ante hujus cædem, & idem quoq; ad Artaxerxem literas dedit νεωστὶ βασιλεύοντα: utique Artaxerxes septem annnis, & amplius unà cum Patre suo imperium tractavit. Cl. Langius ita: Ut Scriptores hi (Diod. Sic. & Thucyd.) Artaxerxes cum parente Xerxe imperium gesserit.

Resp Perperam autores præfatos, Diodorum Siculum puta & Thucydidem, conciliari, ac inde primum Arxtaxerxis initium deduci. Non

Non ennim apparenter, sed reverâ sibi adversantur illi, ut ex ipso Thucydide cum Diodoro collato, apparet, & Authores gravissimi Plutarchus & Æmilius Probus apertè testantur in vitâ Themistoclis. Ita enim inqvit Plutarchus: Thucydides & Charon Lampsacenus tradunt, post Xerxis obitum (NB) ad ejus filium Themistoclem profectum esse. Ephorus autem, & Dimon, ac Clitarchus, & item Heraclydes, & alii complures ad ipsum Xerxem venisse asseveranr. Verum annales magis Thucydides seqvi videtur, etsi non exqvisitè admodum & diligenter editi sint. Æmilius Probus verò ita habet in vitâ Themistoclis: Scio plerosq; ita scripsisse Themistoclem Xerxe regnante in Asiam transiisse. Sed ego potissimum Thucydidi credo, qvod ætate proximus erat his, qvi illorum temporum historiam reliqverunt, & ejusdem civitatis fuit. Is autem ait, ad Artaxerxem eum venisse, atq; his verbis epistolam misisse. *Themistocles veni ad te, qvi plurima mala omnium Grajorum in domum tuam intuli, cum mihi necesse fuit, adversus patrem tuum bellare, patriamq; meam defendere. Idem multa plura bona feci, postqvam in tuto ipse ego, & ille in periculo esse cæpit. Nam &c. literis eum certiorem feci, id agi, ut pons, qvem in Hellesponto fecerat, dissolveretur, atq; ab hostibus circumiretur. Qvo nuncio ille periculo est liberatus. Nunc autem confugi ad te exagitatus à cunctâ Graciâ, tuam petens amicitiam: qvam si ero adeptus non minus me bonum amicum habebis, qvam fortem inimicum ille expertus est. Ea autem rogo ut de his rebus, de qvibus tecum loqvi volo, annum mihi temporis des, eoq; trnasacto me ad te venire patiaris.* Hactenus Æmilius Probus. Non disputabo hic, utrius sententia verior sit, Thucydidis, an Diodori Siculi, qvamvis non desint, qvæ Thucydidem vero proximiora narrare ostendant. Sufficit nobis in præsens, Thucididem, Plutarchum & Æmilium probum prodere, Themistoclem post Xerxis mortem in Persiam profugisse, & ad Artaxerxem, qvi Patri nuper successerat, literas scripsisse, & post annuum spatium coram ipso locutum fuisse. Hoc enim si verum est, ut omnino est, seqvitur certò, institutam Thucydidis & Diodori conciliationem, & hinc derivatam primam Artaxerxis epocham, in fumos abire.

II. Funcius statuit 70. septimanas cæpisse 7. Artaxerxis Longimani anno, qvo de Esr. c.7.

Resp. 1. Edictum hoc Artaxerxis Esr. 7. non satis benè cum verbis Angeli concordat. Ea enim, ut & antè dictum, continent duo-

A a 1. à Da-

1. à Daniele precibus efflagitatam populi Judaici liberationem & excaptivitatis loco in patriam regrediendi concessionem & licentiam, non omnem & qvorum vis temporum, sed primam, qvæ captivitatem & servitutem 70. annorum solvit, qvæq; etiam exstitit fundamentum earum, qvotqvot postea à Regibus Persarum Judæis indultæ leguntur. Licet autem 7. anno Artaxerxis permissum fuerit Judæis & Sacerdotibus, ut, qvi vellent, cum Esrâ in Judæam redirent, non tamen hæc permissio est, qvæ captivitatem & servitutem 70 annorum solvit, sed eam longo annorum intervallo seqvitur, eamq; præsupponit. 2. Agunt verba Gabrielis de ædificandis Hierosolymis, qvæ tot annis, ut Daniel qviritatur, vastata desolataq; in ruinis jacuerant. De eo autem parum habet rescriptum Artaxerxis? Concernit saltem sacrificia, atque sumptus, & Judicum constitutionem, & qvicqvid prætereà ad Domus Dei complementum, & ornatum addi poterat Esr. cap. 7. v. 12. & seq.

2. Violatur & hic, ut in aliis opinionibus, interpunctatio.

3. Non occurrit. in qvo primum Intervallum finiatur.

4. Præsupponitur sub Dario Hystaspis templum ædificatum, & hic intelligi Artaxerxem Longimanum, qvorum utrumq; verum non est, ut postea ex professo ostendetur.

III. Alii à secundo Darij Longimani (uti appellitant ex Pseudo Metasthene) anno hebdomades 70. incipiunt. Verum, qvod pace tantorum virorum dicere mihi liceat, hæc sententia non videtur consistere posse. Nam 1. supputatio hæc falso principio nititur, relatione nimirum Pseudo-Metasthenis, nugisq; Annianis. Veri namqve Historici, Græci & Latini tres duntaxat Persarum Reges agnoscunt Darii nomine indigitatos, videlicet, Darium Hystaspis filium, Darium Nothum, & Darium Codomannum. Qvem autem Annius monachus Viterbiensis in suo ficto Metasthene Darium Longimanum vocat, alii genuini Historici Artaxerxem Longimanum unanimiter appellant. Ejus autem anno 2. nullum Judæi accepere edictum regium de ædificandis Hierosolymis & templo. Ex Esrâ c. 6. qvod allegatur, spectat non ad Artaxerxem Longimanum, sed ad Darium Nothum.

2. Si vel maximè qvisqvilias Annii veram statueremus historiam, non tamen sententia hæc recto staret talo. Computatio qvippe mini-

minimè qvadrat, Metasthenes enim Annii assignat Dario Longimanno, ut nominat, annos 37. successori ejus Dario 19. annos; Artaxerxi Dario Mnemoni annos 55. Artaxerxi Ocho 26. Arsi 4. Dario Codomano 6. Collige annos & habes 147. Adde 6. Alexandri, & dein 10, ad minimum, usq; ad Seleucum, ac tandem à Seleuco. ad 16. Tiberii, qvo desiit septimana 69. & erit summa 503. Aufer annum primum Longimani & remanent 502. anni. At debent saltem esse 483.

IV. Scaliger, Calvisius, & qvi eos magnâ copiâ seqvuntur, censent initium 70. hebdomadum esse sumendum à secundo anno Darii Nothi, qvo templum restaurari cæptum. Resp. Neq; hanc opinionem esse veram. 1. Militat contra eam primum argumentum Funcio oppositum, qvod cum ante recensitum, hic non repeto. 2. Destruitur & hoc modo: Angelus expresè dicit, ab exitu verbi לְהָשִׁיב &c. ad Messiam Principem esse septimanas 7. & 62. hoc est, annos 483. Verum à secundo Darii Nothi anno ad Christum Ducem, hoc est, cum ad publicum docendi ministerium inaugurаretur. Matth. 3. v. 17. non possunt illi tot annos numerare. Probo ex propriis eorum hypothesibus. Calvisius secundum Darii Nothi annum alligat anno Mundi 3528. qvi est P. J. 4292. Sed annus qvo Christus baptizatus est, & ex qvo se ut Ducem viæ populo gerere cæpit, ipsi Calvisio est annus Mundi 3978. P. J. 4742. Deme jam numerum minorem de majore, & remanent 450. At juxta Angelum debent esse 483. anni. Excip. Scaliger: Angelum non voluisse Christum passum & mortuum post 7. hebdomades & post 62. hebdomades; sed interrupta esse intervalla. Se non dubitare, qvin 70. septimanæ vacent, hoc est, nullam habeant epocham, ad qvam referantur. l. de emendat. p. 607.

Resp. 1. Dicit Angelus: ab exitu verbi &c. ad Messiam sunt septimanæ 7. & 62. Qvod si igitur 7. hebdomades vacant, nec ad eas est attendendum, utiq; ineptè Gabriel fuisset locutus, qvod absit. 2. Angelus disertè in verbis prædictis: ab exitu verbi &c. ponit & terminum à qvo, cum dicit: ab exitu verbi &c. terminum verò ad qvem cum inqvit עַד־מָשִׁיחַ נָגִיד usq; ad Messiam Ducem. Intervalla igitur conjungenda sunt, ita ut ubi finis sit priorum 7. septimanarum, ibi initium sit posteriorum 62.

3. Non habent, qvo commodè primum intervallum finiatur.

Excip. M. J. H. Omninò se habere. Nam à secundo Darii Nothi anno ad 32. Artaxerxis Mnemonis, qvo templo & muris exædificatis, Nehemias in Persiam ad Regem regressus est, exactè 49. anni effluxerunt.

Resp. 1. Muri non demum anno 32. exædificati sunt, sed mox anno 20. die 25. Elul. 52. dierum spatio. An autem nudum iter & ad Regem regressio, qvæ 32. anno facta est, ejusmodi sit, in qvo commodè 49. illi anni terminentur, non immeritò dubitatur. 2. Hac ratione murorum instauratio 12. annis secundum intervallum antegreditur, cum tamen juxta distinctionem in textu Hebræo, non in primo, sed secundo intervallo suscipi & peragi debeat.

4. Sunt qvi ita contra Scaligerianos argumentantur. Si ab edicto Cyri recesseris, Daniel prius defunctus est, qvam edictum hoc Darii exiisset. Paræ. M. Helvig.

Excip. M. H ab edicto Cyri juxta certissimum Chronologorum calculum effluxisse annos plus minus 56. si addas annos ætatis Danielis, conficies numerum annorum 130. An hi excedunt intervallum vitæ humanæ?

Resp. 1. Qvinam illi Chronologi, qvi à Cyri edicto ad 2. Darij Nothi annum numerant 56, saltem annos? Calculus ille est falsissimus. Si rectâ viâ rem agressus fueris deprehendes à primo Cyri anno ad primum Darii Nothi annum non effluxisse 56. annos, sed 108. qvot etiam ipse Scaliger rectissimè numerat. Nec 2. ætas Danielis rectè est computata. Si enim anno primo Cyri fuisset saltem 74. annorum, ut ex supputatione excipientis seqvitur, fuisset cum abduceretur in Babylonem saltem 4. annorum præter propter,(Nam anno P. J. 113. Daniel in Babyloniam est translatus, Cyri autem primus incidit in annum 4183. P. J.) & dein post exactum in Scholà Chaldæorum triennium, fuisset sapientior omnibus Magis,& Regi ministrare cæpisset puer septennis. ἄτοπον!

Obj. 1: M. H. Is temporis articulus assignandus est initio 70. hebdomadum, qvo exivit edictum Regium, secunda vice iteratum, ampliatum, & ipso effectu roboratum. At hoc factum est post Cyrum tempore Darii Nothi. Ergo. Major pobatur ex voce השיב qvæ hoc loco hebraismum continet, qvo שוב in isto terminorum complexu deno-

denotat iterationem ejus verbi, cumqvo conjungitur. Hinc tandem deducit: Apparet hinc, subleſtam & impertinentem eſſe Pagnini verſionem, qvi hunc verſum ita reddidit: Ab exitu ſermonis de reducendo populo, & ædificanda Hieroſolyma. At qvâ authoritate vovocem עם hic in textum intrudit? qvam belle conſtructio cohæret? תשוב עם.

Reſp. 1. Ad majorem, eam inficiando. Reſp. 2. ad majoris probationem. 1. Illam eſſe imbecillam ruinoſoq; niti fundamento. Verba namq; להשיב ולבנות malè vertuntur: ad rurſus ædificandum. Nam 1. שוב qvandoq; iterationem ſignificat ejus actionis, qvam denotat verbum ei ſubjunctum, ut Zach. 5. v. 1. & alibi: non verò ſemper. Fidei liberandæ ergo hæc ex multis Scripturæ S. teſtimoniis allego: 1. Reg 8. v. 47, 2. Chron. 6. v. 24. & 37. Pſal. 68. v. 34. Eſai. 6. v. 10 2. שוב cum ejusmodi iterationem inducit ſemper eſt in Kal & eſt intranſitivum; Hic autem eſt tranſitivum, qvæ plurimum differunt. 3. Si maximè concederetur, השיב hic eum, qvem volunt, habere hebraiſmum, ac notare iterationem, qvod tamen concedetur nunqvam, eſſet hæc iteratio non edicti, ut major Syllogiſmi præ ſe fert, ſed ipſius ædificationis Hieroſolymorum. Nam שוב non niſi actionis, qvam ſubnexum verbum deſignat, iterationem ſignificat, qvod & ipſa majoris probatio teſtatur. Reſp. 3. ad ſubjunctam verſionis Pagninæ reprehenſionem. 1. Cum השיב hoc loco non ſignet iterationem, ut antè dictum, & poſt pluribus evincetur, ſed redire facere vel rediredire permittere ſeu concedere, ſuâ ſponte hinc apparet, ſubintelligi עם utpote cui reverſio ex captivitate in patriam conceſſa ſit. 2. Qvod exſibilatur conſtructio תשוב עם, ad id dico, cum larvis hic pugnari. Pagninus enim vertit הָשִׁיב qvod in textu eſt, non vero תָּשִׁיב qvod hic non apparet.

Obj. 2. Ex nullo principio conſtat ante Darium Nothum exiiſſe decretum de ædificandâ urbe (ut ut σοφῷ φαρμάκῳ mederi ſtudeat Dionyſ. Peta. l. 12. de tem. doct. tom. 2. c. 31. p. 473.) Qvippe Cyrus Judæis tantum conceſſerat templum Domini ædificare, non ſimul urbem & muros Ubicunqve enim hujus ædificationis fit mentio, ibi ad templum determinatur, nunqvam ad urbem ſive muros.

Reſp. Eſai. c. 44. v. 24. 28. & cap. 45. v. 13. prædicit, Cyrum capti-

vos ex Babyloniâ dimissurum, & edicturum, ut civitas Hierosolyma reædificetur. Qvod si igitur posteà eventus non respondit, Propheta fuit falsus, qvod absit cogitemus nedum dicamus. Sed de hoc negotio post plura dicentur, ex qvibus objectũ hoc plenam patietur anatomen.

Obj. 3. idem. In tali edicto constituendus est terminus à qvo hujus vaticinij, à cujus manifestatione producti anni 490. desinunt in ipsum excidium Hierosolymitanum. At si ab edicto Darij recesseris, à summâ computandi ineptiâ nihil facies reliqvi. Illustramus majorem ex N. Testamenti lumine, collatis inter se Matth. 24. v. 15. Mar. 13. v. 14. Luc. 21. v. 20. & Dan. c. 9. v. 27.

Resp. Negamus majorem. Supponitur in eâ falsa hypothesis, ac si 70. hebdomades in urbis Hierosolymitanæ excidio finitæ fuissent, qvod verum non esse, postmodum in secundo hujus qvæstionis membro demonstrabitur. Testimonia ex N. Testamento allegata & cum Daniele collata nobis non adversantur, ut ibidem secundo scil. membro videre est.

V. M. Andreas Helvigius statuit 70. hebdomades inchoandos esse ab eo anno & die, qvo ab Angelo ad preces suas Daniel responsum accepit, videlicet à primo Darii Medi anno. Esse autem dividendos, ut ipse Angelus divisit, & qvidem ita: Prima harum 70. septimanarum, inqvit, à primo anno Darii Medi, ut dictum, incipit & durat usq; ad primum Cyri annum. A qvo deinde numerandæ 7. septimanæ, hoc est, 49 anni usq; ad 6. Darij Regis Persarum, qvando scil. templi restauratio dudum ante cæpta est, & intra 4. annorum spatium consummata Esr 6. v. 15. Dan. 9. v. 25 Deniq; numerantur 62. hebdomades, hoc est, 434. anni, usq; ad Christum Principem. Nam elapsis 62. septimanis à templi instauratione, Christus erat excindendus. Dan. 9 v. 26. Hoc modo ultima hebdomas, numerando à Dario Medo, est septuagesima, à Cyro sexagesima nona, à Dario Persâ, & templi facta reparatione, sexagesima sexta, in qvâ Christus baptizatns &c.

Resp. Seposito fine harum 70. hebdomadum de qvo postmodum, de principio hic respondendum. Dico igitur. 1. Initium harum 70. hebdomadum ducendum à primo Darii anno, gratis asseri, probari autem nullo modo posse. Daniel qvidem refert c. 9 v. 1. & seq. in libris ad numerum 70. annorum captivitatis se attendisse anno pri-

no primo Darii & à Deo liberationem &c. præcibus flagitasse; verum inde non seqvitur 70 hebdomades ab eo anno vel die incipiendas esse, qvod etiam neq; ibidem vel verbulo indicatur. 2. Nec v. 24. integra septimana, hoc est, 7. anni involvuntur, qvibus Darius Medus regnavit, ut Helvigius statuit citra ullum tum sacri tum profani Historiographi testimonium: Nam in genere saltem dicit 70. septimanas esse constitutas &c. versu autem 25. demum incipit terminum à qvo, seu earum initium ponere, easq; partiri in 7. hebdomades, & in 62. & deniq; in unam, qvam primò seposuerat, mox tamen versu 27. evolvit. Helvigii igitur illa partitio in unam, in 7. & in 62. septimanas, est fœtus, non vero ipsius Gabrielis Archangeli.

VI. Matthæus Beroaldus, & qvi eum seqvuntur, 70. has sæpius dictas septimanas inchoant à primo Darij Medi anno, qvo ipso etiam à Cyro, uti opinatur, permissum fuit Judæis publico edicto, ut in Judæam remearent, & Hierosolymam restaurarent, finem autem earum constituunt in eo tempore, qvo Messias pro mundo mortuus est.

Resp. De fine posteà. Initium igitur qvod spectat, erroneum id est, qvod posuerit in anno primo Darii Medi, ut & id, qvod primum annum Darii cum primo Cyri confuderit. Prius qvidem iis, qvæ M. Helvigio jam ante responsa sunt, evertitur: Posterius vero ex v. 28. c. 6 Danielis. Ubi ipse Spiritus S. dicit: Danielem prosperè egisse in regno Darii & in regno Cyri Regis Persarum. Qvibus verbis perspicuè inter regnum Darii Medi & regnum Cyri Persæ distingvit.

VII, Ego, ut semper, etiamnum omnibus probe probèq; pensiculatis, 70. hebdomades exstimo inchoandas à primo Cyri anno, ex qvo regium ipse de Judæorum captivitate Babylonicâ liberatione edictum publicavit, idq; ita probo. I. Qvocunq; tempore primum exiit edictum regium, qvo Judæis permissum fuit, ut in patrias sedes reverterentur, & Hierosolymam restaurarent, ab eo initium 70. septimanarum est arcescendum. At tempore Cyri vel primo ejus anno primum exiit regium edictum, qvo Judæis fuit permissum, ut in patrias sedes regrederentur, & Hierosolymam instaurarent. Ergo à tempore Cyri vel primo ejus annô initium 70. hebdomadum est ducendum. Majorem probo. Qvia vaticinium Angeli apud Danielem c. 9. cum hoc Cyri edicto omnium optimè convenit. Continet enim 1. permissionem ad revertendum in patriam. לְהָשִׁיב namqve non signifi-

significat, ad revertendum. Id enim est לָשׁוּב, sed ad reverti faciendum הֵשִׁיב enim propriè significat, reverti fecit sive permittendo, sive jubendo &c. 2. Complectuntur verba Gabrielis ædificationem Hierosolymorum, ut ab omnibus conceditur. Minorem etiam probo. Qvod enim concernit. 1. reversioninis concessionem, id negari neqvit Cyrus qvippe est, qvi primus captivitatem Babylonicam solvit, & Judæis in patriam remigrare permisit. 2. Solymorum instaurationem edictum Cyri continere post, ubi ad exceptiones respondebimus, prolixe ostendetur.

Excipit 1. Illustris Scaliger הֵשִׁיב non significare: reverti facere, sed restituere, instaurare. Ita accipit. 2. Reg. 14. v. 22.

Resp. Restituere apud Latinos vel notat 1. reddere Germ. wiedergeben/ wieder zustellen. 2. restaurare, reparare. His præmissis dico הֵשִׁיב in Sacra Scripturâ qvidem significat restituere in sensu priori, at nullibi in posteriori. Exemplum allegatum est inconveniens. Ibi enim vox וַיְשִׁיבֶהָ non potest verti, restituit significatu posteriori, hoc est, reparavit, instauravit, sed sensu priori, hoc est, redire fecit, reduxit ad Judam, cui ante ab hoste erat ablata. Recte Junius & Tremellius: Ipse ædificavit Elatham, qvàm recuperaverat Jehudæ. Belgici Interpretes ita: Die bouwde Elath end bracht se weder an Juda. eodem modo & Lutherus: Er bawete Elath/ vnd brahte sie wieder zu Juda.

Excip. II. M. V. Sine exemplo fortassis esse, illum dici הֵשִׁיב facere reverti, qvi reverti jubet.

Resp. 1. Neq; nos volumus Cyrum reverti fecisse jubendo, sed permittendo, concedendo. Resp. 2. הֵשִׁיב qvandoq; significare, reverti jussit, non potest negari. Nam 1. reqvirente id naturâ & indole שׁוּב Hiphil, in genere notat, reverti fecit, sive id fiat reducendo, sive reverti jubendo sive reverti permittendo. Spectant huc verba Erpenii excellentissimi Hebræi: Conjugatio Hiphil verbis Kal addit causam, cujus virtute, impulsu, jussu vel permissione fit actio. Confer Medull. Baldov. p. 105. Nec 2. desunt exempla illam שׁוּב הֵשִׁיב significationem, qvæ evincunt. Illustriora notabo, 1. Sam. 29. versu 4. Pelischthæorum principes Aciseo irati dicunt: הָשֵׁב אֶת הָאִישׁ reverti fac virum hunc, hoc est, jube ut revertatur

vir

vir iste. Hinc versu 7. Acisch Davidem jubet reverti, dicit enim: nunc ergo revertere & ito וְעַתָּה שׁוּב וָלֵךְ. Sic 2. Chron. 25. v. 13. dicitur: Et milites אֲשֶׁר הֵשִׁיב qvos reverti fecerat Amatzia. At qvomodo reverti fecit? non reducendo. Qvia ipse inceptam contra Edumæos expeditionem perficiebat: neqve nunde domum redire permittendo. Ipsi enim milites Israelitici hanc exautorationem malè habebāt & prædationib9 vindicabat: Jubendo ergo reverti eos Amatzia fecisse dicendus.

Excip. 3. Idem: הֵשִׁיב hic idem esse ac שׁוּב. Deinde occurrere hic hebraismum, qvo Hebræi iterationem alicujus actionis voce שׁוּב exprimere solent, atq; ita rectè se vulgarem versionem habere: ab exitu sermonis ut iterum (rursus) ædificetur Jerusalem, vel ad revertendum & ad ædificandum, latinius: ad rursus ædificandum.

Resp. הֵשִׁיב idem esse atq; שׁוּב negatur.

Regeritur 1. Non omnia verba in Hiphil transitivam, sed qvædam eorum intransitivam significationem obtinere. Talia sunt הבאיש הרבין השכים & alia qvædam. Deinde qvædam in Hiphil & transitivam & intransitivam significationem habere. Tale est הקריב &c. Et hujus generis esse הֵשִׁיב. Transitivam ejus significationem esse vulgo notam: Intransitivam autem obtin re loco præsenti Dan. 9. v. 25. & Jon. 1. v. 13. & remigabant viri לְהָשִׁיב ut reverterentur ad aridam.

Resp 1. Qvædam in Hiphil tantum intransitivam, qvædam & transitivam & intransitivam significationem habere, conceditur; sed ad hæc commodè referri השיב id est, qvod negatur. 2. Probatio est nulla. Nam locus Dan. 9. v. 25. est, de qvo controvertitur. Citra petitionem igitur principij, probationis loco afferri non potest. Jonæ c. 1. v. 13. להשיב necessariò accipiendum intransitivè, nulla affertur ratio. Eadem igitur repellitur facilitate, qvâ allatum. Licet hic Jonæ c. 1. v. 13. accusativus לְהָשִׁיב expresè non sit additus, ex contextu tamen liqvido apparet, eum subintelligendum. Hinc Tremellius, remigabant, ut reducerent navem ad aridam. Et Belgici. Maer de mannen roeyden om (het schip) weder te bringen an het droeghe. Mallem ego subintelligere ipsum Jonam principaliter. Cum enim qvæsivissent ex ipso, qvid faciamus לָּךְ ut conticescat mare ab infestando nos?

 respon-

respondet Jonas; tollite me & projicite me in mare &c. Hoc qvis durum & inhumanum ipsis videbatur, remigant strenue לְהָשִׁיב ad redire faciendum vel ut facerent (si possent) ipsum Jonam, redire ad aridam. Sed abundet qvilibet suo sensu, & vel navem vel Jonam subintelligat. Subordinata enim hæc sunt, & non pugnant.

Regeritur 2. Attendendum esse ad verba, qvæ mox seqvuntur תָּשׁוּב וְנִבְנְתָה רְחוֹב וְחָרוּץ Hæc inqvit, sine dubio ita sunt vertẽda: revertetur & ædificabitur hoc est, rursus ædificabitur platea & murus. Prioribus (de qvibus ante disputabamus) illis iterata actio: posterioribus hisce verbis iterata Passio significatur Et posteriora hæc pro exegeticis priorum meritò haberi debent.

Resp. 1. Verba תָּשׁוּב וְנִבְנְתָה rectissimè ita verti, revertetur & ædificabitur, hoc est, rursus ædificabitur, largimur. Sed hæc esse exegetica priorum, & illa iteratam actionem significare, uti hæc iteratam passionem, inficiamur. Nam 1. hic תָּשׁוּב in kal est, illic verò הָשִׁיב in Hiphil, inter qvæ ingens est discrimen. 2. Verba illa: ab exitu verbi לְהָשִׁיב &c. antegrediuntur 70. hebdomades eorumqve existunt initium; at hæc תָּשׁוּב וְנִבְנְתָה ad secundum 62. hebdomadum intervallum spectant, inqs eo impleta sunt, sed de iis jam ante pluribus.

Reger. 3. Si maximè obtinerent, qvod volunt, agi de reductione populi verbis Angeli: non tamen id ostendere possent, tum, cum Cyrus permisit, ut Hebræi in Palæstinam remigrarent, & instaurarent templum, exisse etiam verbum de ædificandis sive reparandis Hierosolymis.

Resp. 1. Annon templum erat excellentissima Hierosolymorum pars? id igitur cum fuerit permissum, ut instauraretur, utiq; ἁπλῶς negari haut potest, Solymorum urbs, ut instauraretur fuisse permissum. Resp. 2. Esaiæ c. 44. v. 24. & 28. legitur: Ego Jehova sum edicturus Cyro pastori meo, ut omne desiderium meum perficiat. וְלֵאמֹר לִירוּשָׁלִַם תִּבָּנֶה וְהֵיכָל תִּוָּסֵד videlicet dicendo Hierosolymis, reædificantor & templo fundator Et c. 45. v. 13. loqvitur Deus ipse de Cyro הוּא־יִבְנֶה עִירִי וְגָלוּתִי יְשַׁלֵּחַ Ipse ædificabit civitatem meam & deportationem meam (multitudinem meam deportatam) dimittet. Hisce oraculis qvid clarius, qvid ad rem convenientius? Ni igitur Prophetæ prædictionem fefellisse, qvod absit,

sit, dicere velimus, Cyri edictum etiam hoc continuisse, ut Hierosolyma reædificaretur, omnino est concedendum.

Replicat. ædificare Hierosolymam hic Dan 9. idem esse, qvam urbem mænibus cingere. Nam ita mox ab Angelo exponitur.

Resp. 1. Excitare muros & urbem mænibus circumdare spectat qvidem etiam ad urbis ædificationem, verum totum ejus formale non exhaurit. Nam ædificat & is urbem, qvi extruit templum, qvi ædificia construit. Imo urbs esse potest, etsi mænibus careat. Exemplo sit Sparta vel Lacedæmon urbium Græcarum princeps. Ita inqvit Cleomenes apud Plutarchum in vità Lisandri p. mihi 160. lit. C. Si mænia felices civitates efficiunt, infelicissimam esse Spartam necesse est, cum nullis septa sit mænibus. Resp. 2. Verba illa תָּשׁוּב וְנִבְנְתָה רְחוֹב וְחָרוּץ re ædificabitur platea & murus, præcisè & integrè exponere præcedentem φράσιν: ad ædificandum Hierosolymam: negatur. Loqvuntur potius de complemento ædificationis Hierosolymorum, qvod tandem in secundo 70. hebdomadum intervallo urbs plenè sit ædificanda, adeoq; ratione murorum & platearum pristino nitori paulatim restituenda. Patet id vel indè, qvod non tantum hic agatur de ædificatione חָרוּץ fossæ (sive muri. Perinde enim hic videtur esse) sed etiam de רְחוֹב platea. Jam autem per se liqvet, plateas non prorsus de novo fuisse ædificatas eo tempore, de qvo loqvuntur illa verba תָּשׁוּב &c rursus ædificabitur murus & platea. Nam 1. Judæi Hierosolymam reduces mox absq; dubio ædificia sibi exstruere cæperunt. Nec enim sub dio in urbe vixisse tot annos, nec, ut ita facerent, Cyri fuisse mandatum, ullo modo est verosimile. 2. Domunculorum Esr. c. 7. v. 4. in qvibus habitarunt, expressa sit mentio. 3. Reprehenduntur Hagg. c. 1. v. 4 qvod in domibus suis ad luxum, pulchris & scitè contabulatis desideant, cum Domus Dei sit vasta. Atq; ita primum nostrum argumentum Deo adjutore vindicavimus.

2. Non leve inde existit sententiæ nostræ firmamentum, qvod hac ratione omnia, qvæ prioribus. 6. opinionibus objecta sunt, bellè se habeant, nec etiam qvicqvam solidi obverti possit. Hoc ut melius patescat, placet in medium afferre, qvæ contravenire videntur & qvid responderi possit & debeat.

Obj. 1. Si à Cyro exordium hebdomadum 70. ceperis, non inve-

invenies, in qvo commodè primum intervallum terminetur. M. H. Resp. Negatur connexio. Omninò enim habemus, in qvo primi intervalli (7 hebdomadum) terminus figatur. Etenim in 7. annum Artaxerxis Mnemonis ille incidit & qvidem in כִּסְלֵו vel mensem 9. in diem præterpropter 13. Nam eo demum tempore templum, & qvæ ad verum Dei cultum in eo exercendum, spectare videbantur, per Esram mandato Regis præfati Hierosolymam profectum, expedita & procurata leguntur Esr. 7.

Regeris. At à primo Cyri anno longè plures atq; 49. effluxerunt anni.

Resp. Ædem sacram & qvæ ad eam præterea reqvirebantur, perfecta esse 7. hebdomadibus, hoc est annis 49, non continuis & cohærentibus, sed non nunqvam disjunctis. Nam in primo hoc 7 hebdomadum membro non enarrat Angelus annos, qvibus templi structura cessare facta fuit; sed unicè qvibus templum divinusq; cultus est instauratus. Cum enim id inprimis Daniel precibus suis Deum rogasset, ac ea propter populi peccata deplorasset & jejunio se macerasset, Angelus à Deo missus, ipsum solatur, & qvod tantopere flagitarat, ipsi ex divinâ gratia concessum iri promittit. Non ergo anni isti sunt numerandi, qvibus hostium calumniis & accusationibus onerati opus magno cum dolore, ut, nemine manum admovente dissolveretur, intermiserint; sed tantū ij, qvibus operi incubuerunt, & tandem, Deo favente, ad finē perduxerūt. Qvibus probè observatis Prophetiæ eventus optimè respondet. Sed hoc Paulo diligētius explicandū. Etenim celeberrimus vir Cōstantinus L'empereur, qvi eadem ratione septuaginta hebdomades explicare conatur, annos illos 49. nō satis feliciter eruere & evolvere videtur. Sic igitur procedo. Septimanas illas 7 dico ter inprimis spectare ad ædis sacræ diviniq; cultus instauratione, ac initium earum capiendum ex qvo, publicato Cyri edicto, se Judæi ad iter in Palæstinam 6. mensibus præter propter pararunt. Seqventi anno iter ingrediuntur, ac Hierosolymam delati die 1 Thisri vel 7. mensis juge sacrificium instaurant, deindè operarios conducunt &c. & anno 3. Cyri vel 2: reditus fundamenta templi ponunt Esr. 1. & 2. & 3. Accedunt postmodum hostes Samaritani & se in operis societatem assumi postulant; qvod cum Judæi abnuerent, ipsi omni industriâ & studio opus inturbare allaborant. Qvod autem stare sententiam Cy-

ri, &

ri & Cambysis animadverterent, ac propterea aperte à Regibus ædificandi interdictum petere non auderent, per cuniculos rem agunt; & partim privatâ operâ, qvocunq; modo possunt, impedimenta objiciunt; partim consiliarios qvosdam, in summo consilio Cyri & Cambysis, mercede corrumpunt, ut Judæi ab opere deterriti qviescerent, idq; temporibus Cyri, Cambysis, Smerdis. Esr. c. 4. v. 4. 5. Dario autem rerum potito, ædificationem redordiuntur, & pergunt 35 annis. Cum enim Ægytii qvarto post cladem Marathoniam anno deficerent, ac Darius utrosq; tum Ægyptios, tum Athenienses bello petendos decrevisset, filium Xerxem successorem & Regem declarat & Judæis, qvod vicini Ægyptiis essent, & idcircò suspectæ fidei, Samaritanis calumniantibus, aperte ædificationem misso regio diplomate interdicit. Cessat igitur penitus templi structura sub Xerxe (qvibus ultimus vel 36, Darii Histaspis est inclusus) 14. annis, usq; dum audirent Mardochœum ad summos honores evectum hostibus suis formidini esse. Qvare ad opus redeunt, & in eo $7\frac{1}{2}$. annis (præsidibus Persicis Mardochæi potentiam veritis, ac ea propter intervenire non ausis,) pergunt, usq; dum $\frac{1}{2}$. ferè annum Artaxerxes regnum administrasset. Cum enim Artabanus satellitum princeps regno inhians Xerxem trucidasset, mox profundâ nocte ad Artaxerxem properat, eiq; nunciat Darium fratrem ipsius majorem patri Xerxi necem intulisse. Hortatur igitur, ut, anteqvam ille rerum summam ad se pertrahat, eum interimat, ac ultione de patricidâ sumptâ, ipse regnum occupet, ad qvod facinus patrandū se ei regios stipatores in auxilium adhibiturum pollicetur. Interficitur igitur Darius ab Artaxerxe satellitum regiorum operâ, & in regni societatem Artabanus assumitur. Qvi fortunam cæptis adspirare cernens etiam ipsi Artaxerxi necem machinatur, verum detectis insidiis, ab Artaxerxe lethali vulnere inflicto, perimitur. Ereptus ad hunc modum è vitæ periculo præter omnem opinionem, & patrem & fratrem ultus, totus jam est in regno componendo. Ægyptii auditâ Xerxis morte, totoqve conatu & perturbatione, qvâ regnum fluctuabat, recuperandæ libertatis consilia incunt, præfectos Persicos ejiciunt & Inarum Psammetichi filium Regem creant. Hic ab indigenis primò milites conscribit, & post externorum qvoq; auxilia mercede conducit, & non contemnendo exercitu se instruit. Ab Atheniensibus etiam auxilium petit & impetrat 300. navium classem.

Nunciatâ verò Ægyptiorum defectione, Artaxerxes belli apparatu & multitudine superare instituens, confestim ex omnibus regni præfecturis militum delectum agit, classem adornat & nullius apparatus curam prætermittit Justin. l. 13. mox in initio & Diod. Sicul l. 11 § 69. 70. 71. Mediis hisce tumultibus Cuthæi Judæos apud Artaxerxem accusant, qvod muros ædificent, & urbem semper rebellem, & damnosam Regibus, & tandem idcircò excisam reparent, & muniant. Artaxerxi igitur Judæi in suspitionem conspirationis cum Ægyptiis, qvibus alioqvin vicini essent, & qvibus cum olim contra Assyrios & Babylonios senserant, hisce accusationibus veniunt, qvi misso edicto, omnem ædificationem suspendere jubet. Hostes Judæorum mox Hierosolymam confluunt, & vi armata reparationem impediunt. Cessat igitur tertiò opus ad 2. Darii Nothi annum, $41\frac{1}{2}$. ferè annis. Qvibus elapsis, Haggæus Propheta divino impulsus Spiritu populum Judaicum ad ædificationem rursus exhortatur die 1. mensis 6. dicti אלול Hagg. 1. v. 1. & seq. Opus igitur die 24. ejusdem mensis resumitur Hagg. 1 v. 12. 13. 14. & c. 2. v. 1. & absolvitur anno 6 ineunte, die 3. mensis Adar, spatio 3. annorum & dierum 157 Esr 6 v 15 Deniq; anno 7. Artaxerxis Mnemonis Esra Hierosolymam venit mense 5. die 1. & die 4 rem sibi à Rege demandatam aggreditur, & qvæ in domo Dei & cultu divino desiderabantur, studiose perficit 4. mensibus & 13. plus minus diebus. Esr. 7. v. 1. & seq. & c 9 v 1. c. 10. v. 7. 8 9. Colligamus jam annos, & habebimus 2. Cyri, 35. Darii Hystaspis. $7\frac{1}{2}$. Xerxis & Artaxerxis, 3. annos 157. dies. Darii Nothi, & ex 7. Artaxerxis Mnemonis 4. menses & 13. plus minus diebus. Summa 48. anni, 105. dies.

Regeris 2. Ne sic qvidem computum bellè procedere. Nam 7. hebdomades sæpius dictæ conficiunt exactè 49 annos.

Resp Aliqvoties in Prophetiis (præsertim apud Danielem & Johannem in Apocal.) de Ecclesiæ calamitatibus, deq; ex iisdem liberatione Spiritum Sanctum respicere ad calamitosum Israelitarum in Ægypto statum, & admirandam exinde eductionem atq; adeò etiam in calculo instituendo adhiberi annos Ægyptiacos, qvibus olim in Ægypto assveverant. Anni autem isti cum 12. menses æqvales, 30. diebus descriptos, haberent, præcisè 360. dies conficiebant, & à nostris 5. diebus & 6. horis superabantur. Et ejusmodi etiam annos Ægy-

Ægyptiacos Gabriel Archangelus hoc ſuo in oraculo de 70. hebdomadibus intelligit. Si igitur eos redegeris in Solares, deprehendes 49 annos Ægyptiacos intervalli primi facere annos Solares 48. & dies 108.

Reg. 3. Ægyptiacos annos ſuos dies ἐπαγομένας h[illegible]ſſe, atq; ſtatis periodis intercalationem adhibitam fuiſſe.

Reſp Antiqvitus Ægyptiorum annos præciſè fuiſſe menſium 12. dierum verò 360. Poſtmodum verò ducentis annis poſt exitum Iſraelitarum ex Ægypto, vel ut aliis videtur, ſub exitum, ἐπαγομένας adjecerunt. Teſtatur id Euſebius in Chron. l. 1. Ubi ex antiqvo qvodam Scriptore hæc citat: Ægyptiorum Regum 32. Aſeth regnavit annos 20. Hic adpoſuit anno dies interkalares & illius temporibus, ut ajunt, annus Ægyptiacus 365. dierum proditus fuit, qvi ante 360. abſolvebatur.

Reg. 4. Cum Angelus loqvatur cum Daniele & populo Judaico de rebus ad Rempublicam Judaicam pertinentibus, certum eſt, eam intelligi anni formam, qvæ in populo Judaico tunc temporis in uſu fuit. L. M. W.

Reſp. 1. Angelum hic agere non tantum de rebus politicis, ſed etiam & qvidem præprimis de rebus Eccleſiaſticis, ſpiritualibus & myſticis. Mirum ergo videri non debet, qvod myſtici & Prophetici adhabeantur anni.

Reſp. 2. Reverà annos Ægyptiacos tales occurrere apud Danielem & Johannem in Apocal. (propter qvid non immerito myſtici vel Prophetici dici qveunt) oſtendemus. Videatur. 1. Apoc. c. 11. v. 2. Fit ibi mentio 42 menſium. Hi poſteà v. 3. explicantur per 1260. dies, ut præcellentiſſimi qviq; Theologi volunt. Hos ſi diviſeris per 30 videbis qvemlibet menſem præciſè fuiſſe 30. dierum. Prædicti enim 1260. dies exhibent 42. menſes tot (30.) diebus conſtantes. Idem 2. non obſcurè colligitur ex c. 12. v. 6. Meminit ibi Johannes Spiritu Sancto actus, dierum 1260. Iidem v. 14 efferuntur per tempus, tempora, & dimidium temporis: Hoc eſt, ut viri undiqvaq; doctiſſimi rectiſſimè interpretantur, anni $3\frac{1}{2}$. Tempus namq; deſignat annum, tempora biennium, & dimidium tempus, annum dimidium. Anni hi multiplicati per 30. exhibent 42. menſes, & per 360. dies 1260.

(con-

(confer etiam c. 13. v. 5. & Dan. c. 7. v. 25. c. 12. v. 7 c. 8. v. 14.) atq; ad eò annus constat 12 mensibus 30 diebus descr ptos,& 360. diebus.

Reg. 5. Absurdam videri illam annorum 49. disjunctionem.

Resp. Nunqvam absurda est vel videri debet. Nam 1. Angeli verbis hæc annorum disjunctorum collectio non adversatur, sed cum eis satis bene concordat. 2 Nec eventus prophetiæ Angelicæ alias respondere potest. 3. Neq; etiam qvæ reliqvis opinionibus obversa sunt, & qvibus destructæ, aliâ ratione evitari qveunt. 4. Nec in Scripturis Sacris hæc computandi ratio est prorsus insolens. Nam 1. suppeditant verba Iudæorum Joh. 2. v. 20. simile exemplum, imo sententiæ nostræ firmum fundamentum. Ajunt enim: Templum hoc 46. annis ædificatum est. Ubi si velis annos cohærere debere & continuos esse, nec posse esse qvandoq; disjunctos, numqvam, certissimus sum, rem dextrè expedire poteris. Sed de iis posteà ex professo. 2. Ponderentur verba, qvæ habentur Esr. c. 5. v. 16. Ubi Judæi præsidibus Persicis ædificationem sacræ ædis interpellantibus, inter alia respondent anno 2. Darii Nothi: Tunc Schesbazar (Zerubabel) venit & posuit fundamenta domus Dei, qvi habitat Jeruschalaimis, atq; ex eo tempore huc usq; ædificatur, nec dum est absoluta Dicitur hic judæos ædificasse, ex qvo templi fundamenta jacta sunt usq; ad annum 2. Darii Nothi. Non potest hoc intelligi de ædificatione facta continuò citra interruptionem. Hoc enim esset falsissimum, cum non semel instauratio illa & impedita fuerit & cessarit. Dicendum ergò ipsos à tempore positi fundamenti usqve ad 2. Darii Nothi annum, per intervalla, ædificasse. Atq; ita & hîc aliqvod nostræ explicationis habemus exemplum, & firmamentum.

Obj. 2. Calv. in Isag p. 151. Cum Cyri edictum posteà impeditum fuit, ideò ab eo edicto numeratio 70. hebdomadum institui non potest. Resp. Conseqventiam esse falsissimam. Nam 1. Angelus disertè significat, numerandos esse 70. septimanas ab edicto, qvo Judæis permissum foret ex captivitate Babylonicâ in patriam redire, & ædificare Hierosolymam. At tale erat edictum Cyri, ut supra monstratum. Ergo ab eo 70. hebdomodum numeratio inchoanda est. 2. Qvod autem malitia Samaritanorum ad tempus fuit impeditum, ideò non desinit esse edictum, sed manet. An propterea Lex à Deo vel Magistratu lata non est lex, qvia abimpiis non observatur? Obser-

ſervantia legis edictorumq; non ingreditur eorundem οὐσίαν, ſed eſt conſeqvens ab ipsâ lege οὐσία diſtinctum. Qvare nihilominus, non obſtante ad tempus objecto impedimento, ab eo Cyri edictio 7. ſeptimanæ enumerari poſſunt & debent. 3. Qvid? qvod ſuo effectu edictum hoc Cyri non caruit? Nam populus Judaicus ex captivitate Babylonicâ in patriam revertebatur, ſibi domicilia extruebat & templi fundamenta jaciebat, imò tandem & ipſum templum juxta tenorem mandati ipſius Cyri exædificabatur. Invertimus igitur argumentum & in authorem retorqvemus.

Si impedimentum ad tempus edicto Cyri objectum non fecit, ut deſierit eſſe edictum, etiam facere neqvivit, ut non numerarentur ab eo 70. ſeptimanæ. At verum eſt prius. Ergo & poſterius.

ARTICULUS II.

De Hebdomadum 70. fine.

I. Illuſtris Scaliger, Sethus Calviſius, Alſtedius & alii volunt 70 ſeptimanas finiri excidio urbis & templi Solymitani. Reſp. Opinionem hanc verbis Angeli minimè convenire. Nam 1. dicit Angelus: Meſſiam unâ (ultimâ ſcil.) ſeptimanâ multis fœdus confirmaturum. Dan. 9. v. 27. Qvomodo autem Scaligeriani hæc explicare, & temporibus illis accommodare rite velint, & poſſint, prorſus non apparet. 2. Expreſsè habetur verſu 26. Meſſiam poſt 62. ſeptimanas exciſum iri. Ergò in ultimâ ſeptimanâ ipſum exciſum fuiſſe, & debuiſſe vi prædictionis Angelicæ, invicte hinc patet. At à morte Chriſti ad templi & Urbis deſtructionem, longè plures anni fuere & ipſi numerant. Chriſtus enim paſſus & mortuus eſt, juxta Calviſij ſupputationem, anno Mundi 3982. P. J. 4746. Sed urbs & templum exciſum & exuſtum eſt anno Mundi 4019. P. J. 4783. Priorem numerum, ſi ſubtraxeris poſteriori, remanent 37. anni. Qvæſit qvidem Calviſius præſidium in verſione Junio-Tremellianâ, ex qvâ colligi poſſit, Chriſtum juxta aſſertionem Angeli non debuiſſe mori poſt, ſed ante 62. ſeptimanas, atq; hunc numerum ſaltem ſpectare urbis & templi excidium, ut ita Angeli aſſertum huic eorum menti non refragetur, ſed eam potius juvet & roboret. Verum hoc modo Sacram Scripturam perverti & ad præconceptam opinionem vel invi-

tam maximè detorqveri, ipsa qvæ in textu Hebræo conspicitur, interpunctatio ad oculum ostendit. Sed hac de re jam ante in explicatione versus 26. membro 1. pluribus est dissertum.

Objicit Calvis. in Isag. p. 150. 1. versum 24. Dan. 9. Ex qvo ita argumentatur: Si 70. hebdomades sunt mensura temporis ejus, qvo duratura est Urbs Sancta, sive Politia Judaica, tum finiuntur illæ hebdomades 70. excidio Urbis & populi Judaici. At verum est prius, Ergo. Probatur subsumptio. Qvia Angel⁹ dicit: 70. hebdomades esse determinatas super populum & super civitatem sanctã. Resp. Conseqventia negatur. Angelus qvidem inqvit 70. septimanas super populum Judaicũ esse præcisas vel determinatas &c. sed qvod urbs & populus, iis elapsis, mox sint destruenda & excindenda, id non dicit. Nec qvicqvam hic in verbis Angelicis apparet, ex qvo hoc necessariò concludi possit. Postqvam enim dixerat Angelus, 70. hebdomades esse decisas super populum &c. subjungit statim; ad cohibendum defectionem &c. Qvibus significat, finem & scopum determinatarum hebdomadum 70. esse, non urbis & Politiæ Judaicæ excidium, sed opus redemptionis, idq; per Messiam, iis hebdomadibus ferè dilapsis, peractum iri. De Judæorum enim calamitate, deq; Hierosolymorum & totius Judææ vastitate, ubi tamen promissus Messias redemptionis negotium erat expediturus, Daniel anxiè fuerat qviritatus. Angelus igitur & hisce consolationem (& qvidem primò omnium. Spiritualis enim liberatio meritò primas tenet, & corporalem longe supergreditur) opponit, asseverando, decisum & certò certius constitutum à Deo esse tempus, qvo Christus eâ ipsâ in urbe & regione, qvæ tum vastata jacebant, peccata sit expiaturus & æternam justitiam reducturus &c.

Reponit Calvisius: Iis verbis, ad cohibendum defectionem &c. non negari hebdomades 70. excidio urbis finem habituras, nec affirmari eas in anno passionis & mortis Christi finiendas: aliàs etiam Christus demum anno passionis suæ unctus fuisset, cum unctus sit statim à primâ conceptione in utero matris. Si enim 70. hebdomades terminarentur unctione Christi, hoc est, in conceptione. Ergo non in morte. Si in morte. Ergo non in conceptione.

Resp. 1. Verbis iis non affirmari vel probari 70. septimanas in anno mortis Christi finiendas, concedimus. Nos ergo non tangunt, qvæ

qvæ de unctione Christi afferuntur, qvamvis & illa ex iis, qvæ in membro primo, in explicatione versus 24. de unctione hac dicta sunt, facilem expeditionem habeant. Resp. 2. Omninò negari iis verbis ex Daniele, 70. hebdomades finiri urbis excidio Indicatur enim illis sæpius dictas 70. septimanas præcisas & constitutas esse, non ad excindendum Hierosolymam, sed ad redimendum genus humanum, & qvidem in Judæâ & Hierosolymâ tum vastâ & desolatâ.

Obj. 2. Calvis. Si excidium urbis &c. accidet post ultimam hebdomadem. Ergo excidium constituit finem 70. hebdomadum. Resp. Conseqventia hic est nulla. Nam accidere qvidem debebat, & etiam accidit excidium illud urbis & templi post ultimam 70. illarum septimanarum; at non proximè & immediatè, sed demum post 34. à fine illarum 70. hebdomadum, annorum decursum. Neqvaqvaqvam igitur septimana ultima urbis Hierosolymitanæ excidio terminata dici potest.

Obj. 3. Christus Matth. 24. v. 15. Luc. 21. v. 20. apertè testatur, vaticinium Danielis de 70. hebdomadibus terminari in excidio Hierosolymitano. Resp. Salvatorum qvidem dicere τὸ βδέλυγμα ἐρημώσεως esse & fore signum infallibile urbis & templi excindendi; sed 70. illas hebdomades excidio illo Solymitano finiri, inde nullatenus seqvitur, nec Christus Servator hoc ipsum vel verbulo sive hic, sive alibi docet.

Obj. 4. Totus versus 26. Dan. 9 idem testatur. Resp. Sanctum Angelum ibi prædicere populum Judaicum & civitatem Sanctam à Principe venturo perditum iri. At eo excidio & perditione 70. septimanas finiri, hic neq; dicitur, neq; exinde conseqvitur. Videatur explicatio hujus versiculi in Membro primo.

II. Funcius, Krensheimius, Beroaldus, M. Helvigius, L. Michael Wendlerus, & alii asserunt 70. hebdomades terminari passione & morte Christi.

Resp. Neqveunt hujus opinionis patroni ostendere. 1. qvomodo Christus multis septimanâ unâ fœdus confirmavit, inprimis dimidiâ septimanâ cessationem sacrificii & muneris antegrediente: Cum confirmatio illa fœderis inaugurationem Christi ad publicum docendi munus non antecedat, sed seqvatur. Nam qvod Cl. Wend. Messi-

am dicit corroborasse fœdus illud multis in dimidia septimanâ, hoc est, posteriori illius ultimæ septimanæ parte, id est contra Angelum, qvi non dicit, dimidiâ septimanâ, posteriorique ejus ultimæ septimanæ parte Messiam fœdus roboraturum, sed שָׁבוּעַ אֶחָד septimanâ unâ. Lutherus rectissimè. Er wird vielen den Bund stärcken eine Wochen lang. Confirmavit itaq; Messias Judæis fœdus non dimidiâ saltem hebdomade, sed integrâ, priore qvidem parte ipse visibiliter, posteriori verò per Apostolos, qvo de ante in explicatione versus 27. pluribus.

Neq; 2. monstrare possunt, qvomodo in mediâ septimanâ sacrificium & munus cessare fecit Dn. Jesus.

Si *regesseris* ex Helvigio: Sacrificiorum cessationem factam, cum Johannes in deserto baptizare cœptaret. Resp. Tunc cessationem illam factã negatur, sed de eo posteà peculiari qvæstione agetur prolixè.

Nec etiam 3. qvicqvam occurrit, in qvo 62. hebdomades terminentur & ultima incipiat.

III. Biblia Vinariensia in Dan. & alii statuunt, Christum excisum post *62.* septimanas mox primo anno vel initio ultimæ septimanæ. Non enim Angelum dicere, Christum in medio ultimæ septimanæ, sed post 62. hebdomades excisum. Seqventibus autem 7. annis fœdus multis confirmatum fuisse, in medio autem septimanæ hujus ultimæ sacrificium cessasse. Nam ferè post triennium ab ascensione Christi Concilium Hierosolymis fuisse celebratum, in qvo Lex Mosaica fuit abrogata &c. Act. 15. Finem igitur habere 70. has hebdomades septimo ab ascensione Christi anno. Resp. 1. Qvod dicitur ab Angelo, post 62. septimanas Christum excisum iri, inde non seqvitur statim: Ergo mox post finem harum 62. septimanarum. Indefinitè saltem asseritur, post hebdomades 62. Christum excindendum. An verò mox in initio seqventis ultimæ septimanæ, vel anno ejus primo, vel secundo, vel tertio hoc futurum sit, hic non determinatur. Ex seqventibus id hauriendum & intelligendum, qvo anno Christus excindi debuerit: nimirum ex versu 27. ubi dicitur, qvod mediâ septimanâ ultimâ sit aboliturus Sacrificia Christus. Illam autem abolitionem, non nisi passioni & morti Messiæ competere, postmodum demonstrabitur. 2. Concilium illud Act. 15. Hierosolymis post triennium ab ascensione Christi habitum, invitâ asseveratur veritate. Certè ab ascensione Christi ad illud ipsum non tres, sed ad minimum

nimum 14 annos effluxisse post in qvæstione de abolitione Sacrificij & muneris, luculenter evincetur. 3. Nil qvicqvam in septimo illo post Christi ascensionem anno ostendi potest, in qvo terminus 70. hebdomadum & fœderis confirmati aptè & convenienter figi qveat. Cum etiam post septennium illud diu adhuc eadem ab Apostolis patrata miracula, idem Evangelium, eidem populo tum Judaico tum Ethnico, ut antè factitatum erat, prædicatum, in Actis Apostolicis tradatur.

IV. Interpretes Belgici, Wilhelmus Langius, M. Johannes Vorstius, & alii ab initio ministerij Christi interris, ultimam septimanam ordiuntur, & finiunt in $3\frac{1}{2}$. anno (Langius cum 5. Paschata statuat, $2\frac{1}{2}$. anno finire necessum habet) post Christi mortem. Et hæc sententia est omnium optima. Ita enim cuncta, qvæ reliqvis opinionibus opposita sunt, benè se habent, & solidi nihil potest obverti.

Obj. 1. Apostolos post Christi mortem non tantum $3\frac{1}{2}$. annos, sed longè plures docuisse. Qvid igitur erit causæ, ut priores $3\frac{1}{2}$. saltem numerentur? qvid etiam monstrabitur, in qvo commodè finis 70. hebdomum confirmatiq; fœderis poni possit? Resp. Omninò apparère, in qvo finis ille commodissimè figi & possit & debeat. Qvodnam, inqvis, id est? respondeo, illud ipsum tempus, qvo Deus singulari visione Petrum docuit, non amplius Judæis solum, sed etiam Gentibus, adeoq; omnibus hominibus Evangelium prædicandum esse, secus atq; anteà ipse Petrus, & alii Apostoli, eorumq; discipuli opinati erant, prout hoc evidentissimè ex Actis Apostolicis c. 10. & 11. patet.

Obj. 2. Si hîc 70. septimanarum finis statuitur; initium oportet malè positum esse. A primo enim Cyri anno, non 70. hebdomades vel 490. anni, sed longè plures numerantur.

Resp. Cohærentiam esse nullam hoc in discursu, vera supputatio clarissimè evincit. Primum & tertium intervallum pulchrè se habère suprà est ostensum. Si igitur idem de secundo demonstrabitur, non habebunt contrasentientes, meritò qvod desiderent. Qvod igitur secundum intervallum concernit, constat id, ut ex Daniele manifestum est, 62. hebdomadibus, hoc est, 434. annis Ægyptiacis & Mysticis (omnes enim 70. hebdomadum anni tales sunt) Solaribus verò 427. annis & diebus 278. & 6. horis. Sumit etiam hoc membrum initium, ut suprà dictum, in die præter propter 13. mensis 9

 dicti.

dicti כסלו anni 7. Artaxerxis Mnemonis, qvi incidit in anum P. J. 4315. Mundi 3607. Egressus Judæorum ex captivitate Babylonicâ 132. atq; desinit anno P. J. 4742. mundi 4034. Reditus 559. die 10. Mensis 7. vel Thisri, qvo Messias est baptizatus & ministerium docendi in terris visibile adiit. Si igitur subduxeris ab annis Reditus 559. & P. J. 4742, Mundi 4034. annos illos 427. & dies 278 qvot anni 49. mysticos conficere diximus, incidet initium 62. septimanarum, non in annum P. J. 4315. sed 4314. &c. atq; adeò non in 7. Artaxerxis. uti debebat, sed in 6. apparetq; hinc unum ferè annum desiderari. Qvid igitur faciendum? ideonè computatio hæc in totum erronea & falsa proclamanda? minimè. Qvin potius disqvirendum, qvi commodè annum illum, citra veritatis jacturam, acqvirere possimus Notum est, non solum ex sacris historiis, sed & prophanis, usitatum fuisse olim, ut filii Regum qvandoq; superstitibus parentibus Reges sint declarati, & ad regni gubernacula evecti. In Sacrâ historiâ non pauca occurrunt legenti libros Regum & Chronicorum & Sectionem 5. partis secundæ. hujus libri primi. Ex prophanâ unum & alterum adducam. Refert Herodotus l. 6. qvi inscribitur Polymnia, Artabazanem & Xerxem filios Darii Hystáspis, cum hic contra Ægyptios, qvi defecerant, bellum pararet, ac successor regni, anteqvam in expeditionem Rex iret, esset declarandus, contendisse de regno, ac tandem Xerxem natu minorem, qvod Dario jam Rege esset natus, Artabazani prælatum atq; Successorem & Regem à Patre fuisse declaratum. Idem prodit Plutarchus in vitâ Artaxerxis Mnemonis, ubi narrat Artaxerxem hunc in animo habuisse Dario filio natu grandiori regnum reliqvere. Intelligens autem Ochum omnium minimum acris & violenti ingenii juvenem esse, statuit ei regnandi spem adimere, ne, si eadem, qvæ antè Cyrus, auderet, excitatis certaminibus & bellis, regnum everterent, Regemq; Darium designavit, ac ei cidarim, qvam vocant rectam, ferre dedit. Idem & hic sentiendum statuendumq;, Artaxerxis Mnemonis duplex fuisse initium: unum circa initium veris præterpropter anni P. J. 4309. Mundi 3601. qvod Diod. Sicul. annotavit l. 13. numer. CVIII. alterum verò anno P. J. 4308. mundi 3600. reditus Jud. 125. qvo à patre Dario Notho, contra Cadusios in bellum profecturo, successor & Prorex fuit constitutus. Xenophon namq; tradi-

tradidit l. 2. ἐξηγητικῶν in initio ferè, Cyrum avunculos Autobisacem & Mitræum filios Dariææ sororis Xerxis, patris Darii, hanc ob causam, qvod sibi occurrentes manus intra κόρην, hoc est, manicam non continuissent, interfecisse, ac propterea fuisse accersitum ad patrem, tanqvam ægrotum, qvi tum ad Thamneria Mediæ erat proxima Cadusiis, qvibus bellum intulerat, qvi à se defecerant. Cum enim ex instituto Persarum oportêret ita demum in expeditionem Regem ire, ubi regni successorem declarasset, ut ait Herod. l. 7 in principio, valdè est verosimile, anno prædicto, cum se jam Darius Rex accingeret vi bellica Cadusios sub jugum reducere, filium Artaxerxen, cui semper, ceu majori, & sedatioris ingenii homini, regnum animo destinarat, Successorem & Regem declarasse. Et si hinc Esram annum Artaxerxis 7. cujus meminit c. 7. numerasse statuamus, calculus optimè se habet.

Atque ita per Dei gratiam difficilimam de 70. hebdòmadibus qvæstionem expedivimus.

Qvæstio 2.

Qvando, & sub qvo Persarum Rege templum Hierosolymitanum fuerit restauratum?

De templi hujus instauratione scripserunt duo Historici Sacri Esra & Nehemias, & tres Prophetæ, Daniel, Haggæus & Zacharias, eamq; incæptam secundo Darii Regis cujusdam Persarum, absolutam verò anno sexto ejusdem prodiderunt. Qvia verò in historiâ Regum Persicorum tres occurrunt, qvi Darii nomen habent. nimirum Darius filius Hystaspis, Darius Nothus & Darius Codomannus, qværitur hic, sub cujusnam ex hisce Regibus imperio instauratio acciderit? Sub ultimo Dario Codomanno non evenisse ex Sacris apertum est. Manet ergo contigisse vel sub Dario Hystaspis, vel Dario Notho. I. Josephus l. 11. Antiq. c 4. Euseb. in Chron. Hieron. in Commentar. in Dan. & Zachar. Augustinus l. 18. de civitate Dei c. 26. Basil. Seleucienf. Theodoret. in Comment. in Zach. &c. & Chronologi plæriq; statuunt, templi Hierosolamitani reparationem cæptam 2. anno Darii Hystaspis. II. Josephus Scaliger, Calvisius, Constantinus L'empereur, & non pauci alii contendunt, ædificationem hanc templi

pli

pli inchoatam anno ſecundo Darii Nothi, neqvaqvam vero Darii Hyſtaſpis: qvibus aſſentior his innixus fundamentis.

I. Si poſt Darii Hyſtaſpis tempora templi reſtauratio denovo fuit inhibita & ceſſavit, ſeqvitur Darium Hyſtaſpis non eſſe Darium, cujus anno ſecundo templi ſtructura fuit reſumpta, & tandem anno 6. ad finem perducta. At prius eſt verum Ego & poſterius.

Major ſuâ luce radiat. Minor probatur ex Eſra. c. 4. v. 6. & ſeq. Ibi enim enarratur, qvomodo poſt Darii prioris, hoc eſt, Hyſtaſpis tempora bis templi reparatio fuerit impedita, nimirum mox in principio Ahaſveri vel Xerxis Dario Patri ſuccedentis v. 6. & deinde tempore Artachſaſthæ vel Artaxerxis, atq; adeò opus ceſſarit ſecunda vice, usq; ad annum ſecundum Darii Nothi, qvi poſt Artaxerxem regnum adminiſtravit.

Excip. Malè verba Eſræ c. 4. v. 6. & ſeq. intelligi & explicari. Non enim ea agere de tempore poſt Darium Hyſtaſpis, ac ſi etiam tunc Judæi ab hoſtibus apud Perſarum Reges accuſati fuiſſent; ſed hoc velle, Ahaſverum & Artachſaſtham regnum tenuiſſe inter Cyri & Darii tempora, Chuthæorumq; accuſationibus motos templi reædificationem prohibuiſſe.

Reſp. Nos rectè textum explicare textus cohærentia edocet. Poſtqvam enim Eſra. c. 4. v. 4. & 5. prodiderat, opus impeditum fuiſſe omnibus diebus Cyri usq; ad Darium, mox v. 6. ſubdit וּבְמַלְכוּת אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ Et in regno Ahaſveri, in initio regni ſcripſerunt accuſationem contra habitatores Jehudæ & Jeruſchalaimorum: & v. 7. Et in diebus Artachſaſthæ ſcripſit Biſchlam, Mithredates, Taberi & reliqvi collegæ ejus ad Artaxerxem Regem Perſidis &c. & tandem v. 17. & ſeq. ſubjicit Eſra, qvod regium mandatum de inhibendâ templi & murorum reparatione nacti, armatâ mox manu illuc profecti ſint, & Judæos impediverint, ut ita opus domus Dei prorſus ceſſarit, usq; ad annum ſecundum Darii Regis Perſidis.

Repli. ו ante בְּמַלְכוּת hic non vertendum per copulam, &, ſed per cauſale, qvia, ut factum eſt in noſtrâ Germanicâ verſione. Ita accipi, Eſa: c. 39 v. 1. collato cum 2. Reg. c. 20. v. 12. Hic autem ita & non aliter accipiendum probant ex v. 5. Ubi dicitur Chuthæos, impediviſſe templi reparationem omnibus diebus Cyri usqve

ad

ad regnum Darii: His verbis, ajunt, indigitatur, instaurationem templi præpeditam fuisse, dum regnavit Cyrus, & amplius etiam usq; ad regnum Darii; non potuisse autem impediri amplius, cum regnare cæperit Darius. Cum igitur ita illius impedimenti terminus sit monstratus, & tamen in seqventibus dicatur, accusationes ad Ahasverum & Artachsastham scriptas, iisq; Judæos, qvò minus ædificando pergerent, fuisse impeditos, seqvitur, seqventia hæc facta esse ante illud tempus, in qvo dicti impedimenti terminus collocatur, hoc est, priusqvam Darius regnum adipisceretur.

Resp. 1. Qvandoq; ו esse causale, ac rectissimè verti, qvia, enim, qvum &c. conceditur; at hîc esse causale negatur. 2. Ratio annexa id non probat. Nam confunduntur distincta ac diversa impeditæ ædificationis tempora. עד versu 5. qvod apparet, qvidem monstrat terminum impeditæ restaurationis temporibus Cyri, Cambysis & Smerdis Magi, ac indicat, Dario jam regnante, ad opus Israelitas rediisse; qvod verò prorsus & omnimodè impedimenta sublata sint, Darioq; regnum administrante, resumptum ædificationis opus posteà nunqvam cessarit, id inde non evincitur. Qvod autem diversis interruptisq; temporibus Israelitæ templum ædificarint, & alternatim ob nova interdicta, cessarint, ipsa (ut alia hujus sententiæ firmamenta jam non attingam) textus cohærentia demonstrat, à qvâ non discedo, dum firmâ & prægnante ratione diversum ostendatur. Suprà autem ex עד v 5. exstructa ratiuncula (qvâ ו hic idem valere ac כי probare conantur) præsupponit, qvod non nisi temporibus Cyri, Cambysis & Smerdis ædis sacræ ædificatio fuerit inhibita, qvod neqvaqvam concedimus. Petitur ergò principium. 3. Supponitur etiam Ahasverum v. 6. fuisse Cambysem, & Artachsastham v. 7. fuisse vel esse Magum illum, qvem Herodotus in Thaliâ vel l. 3. vocat Smerdem, Justinus ex Trogo Pompejo, Oropasten l. 1. Ctesias Gnidius Tanyoxarxem, id qvod probari neqvit. Eqvidem Persarum Regum qvosdam in primis posteriores nomen, cum ad Imperium eveherentur, mutasse, ut certum est, ita planè incertum, an omnes & qvidem priores ante Xerxem. Sed ponamus & Cambysen & Smerden nomen mutasse, unde constabit illum Ahasveri, & hunc Artachsastæ nomen sibi sumsisse?

 II. Qvod-

II. Qvodcunq; à Cyri edicto in Sacrâ Scripturâ refertur ut remotissimũ atq; id ipsum longo intervallo subseqvens, id 2. anno Darii Histaspis neqvit esse factũ. At templi Zorobabelici ædificatio à Cyri edicto in Sacra S. refertur ut remotissimũ & id ipsum longo intervallo seqvens. Ergo. Majoris connexio patet hinc. Qvia ab edicto Cyri ad 2. Darii Hystaspis annum, saltem 10. anni effluxerunt. Cyrus enim anno 1. solvit captivitatem &c. Judæi 2. ejus anno è Babyloniâ Hierosolymam abeunt. Cambyses autem, patre ad expeditionem contra Massagetas se parante, regnum adiit & administravit 7. annos, & 5. menses, & Magus post ipsius obitum 7. menses. Adde his 1. Darii & habes 10. annos. Minor demonstratur ex Esrâ c. 5. collat. cum 6. Ibi namq; Judæi de divinâ voluntate per Prophetas Malachiam & Zachariam moniti opus diu intermissum resumunt. Vicini Thatnai princeps transflumen, & Schethar-Boznai cum collegio suo veniunt, ac qværunt, qvis contulit vobis jus domum istam ædificandi & murum hunc perficiendi? Respondent Judæi, Cyrum id fecisse, & insuper instrumenta aurea & argentea, qvæ Nebucadnezar è templo Hierosolymitano ablata in templum Babylonicum intulerat, illic depromsisse, ac jussisse, ut Hierosolymam deportarentur, ac in templum, ubi exædificatum esset, reponerentur. Ii hoc audito, mox ad Regem scribunt, & petunt, ut, si Regi placet, in tabulario ejus, qvod Babylone est, inqviratur, an ita se habeat? & ut, qvid ipsos facere velit, rescribat. Darius Rex, lecto epistolio, jubet archivorum forulos diligenter excuti, &, cum in Chartophylacio Babylonico non inveniretur illud Cyri edictum, Admethæ vel Ecbatanæ Medorum tandem post longam inqvisitionem ejus αὐτίγραφον invenitur. Fateor multa spatio 10. annorum à magnis ejusmodi Regibus edicta promulgari, qvorum singulorum contenta omnia & singula memoriâ non retineantur. Verum enimverò edictum hoc Cyri non fuit speciale, qvod paucis innotuit, sed generale, per totam Monarchiam promulgatum, &, qvod præcipuum est, publicâ Judæorum è qvibusvis regni Babylonici angulis profectione in Judæam anno 9. & structurâ templi, anno 8. secundo Darii Hystaspis anno, inchoatâ, executioni dari cæptum. An res tam manifesta tantam in oblivionem adeò paucis annis venire potuit, ut, deficientibus testibus, ad archivorum scrinia fuerit confugiendum? Multò igitur

conve-

convenientius eſt ſtatuere, reparationem templi factam anno 2. non Hiſtaſpis, qvi. 10 ſaltem annis à promulgato Cyri edicto abeſt; ſed Darii Nothi, inter qvem & Cyri primum annum effluxerunt 107. anni. Alioqvin Judæorum adverſarii ejus rei ignorantiam prætendere neqviviſſent, nedum etiam epiſtolâ ad Regem auſi fuiſſent profiteri: nec ipſe Rex tam diligenti ejus edicti inveſtigatione indiguiſſet.

Obj. 1. Ex Zachariâ c. 1. v. 12. Ubi Angelus piorum qverelas exprimens ita inqvit: Domine exercituum usq; qvò non misereris Jeruſalem & Urbium Judæ, qvibus iratus fuiſti זֶה שִׁבְעִים שָׁנָה his 70. annis. Ex his verbis diſcimus, tum temporis, cum Zacharias ea audivit, id eſt, die 24. menſis 11. anni Darii, elapſos fuiſſe 70. annos, ex qvo Deus Hieroſolymorum aliarumq; Palæſtinæ urbium non fuerat miſertus, hoc eſt, ex qvo non conceſſerat plenam poteſtatem reparandi Hieroſolymam ejusq; templum à Nebucadnezare deſtructum. Hinc ita argumentantur. Rex Perſarum, cujus anno ſecundo elapſi fuerant 70. anni & non amplius, ex qvo Hieroſolyma exuſta fuerunt, eſt ille, cujus anno 2. templum eſt reſtaurari cæptum.

At Darius Hyſtaſpis, non verò Nothus, eſt Rex Perſarum, cujus anno 2. elapſi fuerant 70. anni & non amplius, ex qvo Hieroſolyma fuere deſtructa. Ergo

Reſp. 1 Major eſt falſa & 2. Probatio inepta. Nec enim dicit Angelus 70. annos effluxiſſe ab urbis & templi excidio; ſed 70. annis Deum non fuiſſe miſertum populi ſui. Qvid autem hic eſt, Deum non fuiſſe miſertum Hieroſolymorum &c. Certè nihil aliud, qvam qvod Judæi non gauderent plenâ poteſtate reſtaurandi Hieroſolymam ejusq; templum, ut ipſi, qvi hic contrà ſentiunt, non diffitentur. Hoc autem non competit anno 2. Darii Hiſtaſpis, utpote qvo non niſi 9. annis ædificatio ædis ſacræ impedita fuerat; ſed anno 2. Darii Nothi. Tum qvippe 70. fere anni effluxerant, qvibus templi inſtauratio prorſus impedita ceſſarat. His ipſis annis Deus Judæis videbatur indignari & non misereri, cum in patriâ veluti exules agerēt, nec templum reparare eis liceret. Tantum igitur abeſt, ut effatum Angeli Zach. 2. nobis adverſetur, ut potius noſtram ſententiam egregiè confirmet, adverſam verò deſtruat & evertat.

Regeris: anno 2. Darii Nothi non 70. annos, ſed longè plures videlicet 105. numerari, ex qvo tempore Cyri ædificatio fuit inhibita.

Resp. Non omnibus illis annis ædificationem cessasse. Ergo nec omnes illi hic possunt numerari. Per intervalla enim fuit ædificatum, & per intervalla ab opere cessatum. Anno 3 Cyri vel 2. reditus ex Babylonicâ captivitate, templi fundamenta ponunt Judæi Esr. c. 3. v. 8. sed mox impediuntur & ab opere cessant ferè 7 annis usq; ad Darium Hystaspis Esr. c. 4. v. 1. & seq. Dario jam ad imperium evecto, ad opus redeunt & in eo pergunt 35. annis. Anno 36. Darii, qvi idem est 1. Xerxis, iterum prohibetur ædificatio 14. annis Esr. c. 4. v. 6 & tandem, Artaxerxe regnum adeunte, cessat opus usq; ad annum 2. Darii Nothi annis 42. Si jam collegerimus annos interdictæ restaurationis, habebimus 63. annos. Adde annum 2. Darii Nothi, qvo decurrente Angelus hæc elocutus est, & erit summa 64. ferè, ex qvo Deus non misereri sed indignari visus fuerat.

Repli. Juxta Angelum debent esse 70. anni non verò duntaxat 64.

Resp. 1. Non est necesse 70. annos adeò exactè numerari. Notum enim est in Sacris literis annos adeò præcisè non semper supputari, sed ob numeri rotundationem, uti ajunt, aliqvot annos vel addi, vel omitti. 2. Nec in adversâ sententiâ calculus adeò exactè procedit. Si enim subtraxeris annum 1. Cyri, qvo Judæis in patriam redire &c. diplomate regio publicato; indulgebatur, & dein annum. 2 ejusdem, qvo in patrias sedes regrediebantur, & deniq; 3. anni partem, qvâ fundamenta templi jaciebantur, non erit summa 70. sed saltem 67. & aliqvot menses. Hos autem subtrahendos esse negari neqvit, cum qvæ tunc facta sunt, non sint indicium immisericordiæ & indignationis, sed certissimum misericordiæ & favoris planè singularis argumentum.

Repon. Hac ratione Angelus dicere debuisset Deum fuisse indignatum non 70. sed 60. annis. Huic enim numero anni 64. proximiores sunt.

Resp. Angelum hîc allusisse ad 70. annos Babylonicæ captivitatis, ut & alibi in oraculis divinis usu venit. atq; idcircò, non 60, sed 70. annorum numerum adhibere voluisse.

Obj. 2. Ex Zachar. c. 7. v. 1. v. 5. & seq. colligit, Judæos in captivitatem abductos luctus & jejunii tempus 5. mense ob templi eversionem, qvæ 5. mense facta Jer. c. 52 v. 12. 2. Reg. 25. 8. annatim observandum instituisse. Qvod autem Hierosolymam reduces facti anno Da-

no Darii qvarto templum ferè exædificatum viderent, mittunt qvæsitum ex Sacerdotibus & Prophetis, an amplius ita lugere & jejunare 5. mense eos oporteat? Zach. 7. v. 1. & seq. Respondet Propheta à Deo jussus v. 5. Cum jejunaretis & plangeretis in 5. & 7. mense וְזֶה שִׁבְעִים שָׁנָה hos 70 annos, numqvid jejunium jejunastis mihi, Argumentantur ita: Cujuscunq; Darii anno 4. Judæi 70. annos ab excidio templi luxerant & jejunarant qvotannis 5. & 7. mense, ejus anno 2. templum est restaurari cæptum &c. At non Darii Nothi, sed Darii Hystaspis anno 4. Judæi ab excidio templi 70. annos 5. & 7. mense qvotannis luxerant. Ergo.

Resp. Negamus majorem esse veram, eamq; ex Zachariæ c. 7. solidè probari posse. Dicitur hic 4. Darii anno, Judæos qvidem 70. annos jejunasse, qvod verò jejunium illud mox post urbis & templi devastationem annatim observandum fuerit institutum, atq; hinc 70. horum annorum epocha vel initium dependerit, ne verbulo qvidem significatur. Darium igitur hunc Hystaspis filium fuisse, non verò illum qvi dicitur Nothus, hinc concludi neqvit.

Regeris. Si Darius hic fuit Darius Nothus, seqvitur Judæos demum post 103. annos ab Hierosolymorum destructione, imò postqvam 42. annos ex Babyloniâ reversi in patriâ vixerant, memoriam præfati excidii instituisse, & singulis annis recoluisse, qvod vero neqvit esse simile.

Resp. Hoc vero simile non esse negamus. Licet enim anterioribus Cyri, puta, Cambysis & Smerdis temporibus adversarii varia molirentur, & perpetuis objectis impedimentis ædificationem interturbarent, nunqvam tamen expressum interdictum regium conseqvi, & Judæis exhibere vel monstrare potuerunt. Qvare defuncto Cambyse, & paulo post interempto Smerde Mago, Judæi ad ædificationis opus redeunt, & in eo pergunt socorditer qvamvis & remisse satis, 35. annis. Verum 36. anno regni sui Darius Hystaspis, cum contra Ægyptios rebelles in expeditionem esset exiturus, filiumq; Xerxem successorem regni & Regem declararet, Judæis, qvod Ægyptiis vicini & suspecti essent, accusantibus eos aperte Cuthais, ædificationem expresso diplomate interdixit, ut nemo amplius manus adhibere auderet. Hoc igitur demum tempore miserrimum suum statum & conditionem Judæi seriò cæperunt cogitare, & deplorare, ac propterea templi

destructionem lugere, & à Deo fata meliora efflagitare, & qvotannis stato tempore repetere.

Obj. 3. M. J. V. Si sub Dario Notho templum est exædificatum, seqvitur Jesuam Pontificatum gessisse 121. annis, ac natum 150. ferè annos decessisse, qvod verò non videtur simile. Sed magis etiam vero est absimile, si cæterorum 5. Pontificum (tot enim à Cyri primo anno ad Darium Codomannum fuere) tempora comparaverimus. Ii enim omnes saltem 86. annos Pontificatui præfuerunt.

Resp. 1. Si tempus accuratè supputaveris, non nisi 112. annos confeceris, qvibus Jesua Pontificatum administravit, qvantum ex Scripturis S. haberi potest. Si hoc vero non est conveniens, idem dico conseqvi ex sententiâ adversâ. Nam 1. cum Nehemias, commissa sibi ab Artaxerxe Longimano (ut illi volunt) Judææ præfectura & murorum reparatione, Hierosolymam veniret anno prædicti Regis 20. Nehem. c. 2. v. 1. & seq. Syriæ & Samaritanis præerat Sanneballeth vir magnæ authoritatis, ibid. v. 10. & 19. At idem hic Sanneballeth, concedente Alexandro Magno, in monte Garizim genero suo exuli templum ædificavit, & in castris Alexandri Magni post expugnatam Tyrum in obsidione Gazæ mortuus est. Joseph. l. 11 Antiq. c. 7. & 8. Qvod si igitur Artaxerxes est ille qvi dicitur μακρόχειρ, utiqve Sanneballeth præfecturam illam administravit 114. annos. Regnavit enim Artaxerxes Longimanus 41 annos. Aufer 19. Nam 20. anno, qvo Nehemias venit Hierosolymam jam Sanneballeth erat præfectus Regius, residui ig tur sunt 22. anni. Adde 19. Darii Nothi. Tot enim eum annis imperasse, refert Diodor. Sicul. l. 13. §. 108 Post addantur 43. Artaxerxis Mnemonis. 23. Ochi. 3. Arsis & tandem 4. Darii Codomanni.. Etenim 5. ejus imperii anno Sanneballeth obiit. Colligantur anni, & erit summa 114. annorum. Idem 2. de Nehemiâ ostendi potest & qvidem ἀποδεικτικῶς. Ipse enim c. 12. v. 22 libri sui, scribit: temporibus Eliaschibi, Jojadachi, Jochananisq; & Jadduæ conscriptos (jam ante scil. fuisse, ut non opus esset, ut ab ipso describerentur. Jun. in notis) primores paternarum familiarum &c. usq; ad regnum Darii Persæ. Qvod si igitur Nehemias verè hæc scribere potuit, utiqve nullâ ratione negare possunt, eum tempora Darii Codomanni & Alexandri M. attigisse,

Resp.

Resp. 2. Nec sententiam nostram vero magis absimilem reddit, qvod hinc seqvatur unum Jesuam Pontificatum gessisse 121. annis & reliqvos saltem 86. Nam 1. non dicitur, qvod mox eodem anno Jaddua decesserit. Qvin imò Josephus in fine l. 11. Antiq. postqvam Alexandrum obiisse significarat, mox subjicit: eodem tempore Jadduam defunctum fuisse. Vixit autem Alexander post 4. hunc Darii annum adhuc 8 annos. Hos si adjeceris 86. annis, erit summa 94. Deinde 2. ex antè dictis paret, non nisi 112 annos Josuam Pontificatum gessisse. Hic igitur residui sunt 9. anni, qvibus additis illis 94. annis, confiet summa 193 annorum, qvibus reliqvi Pontifices officio suo functi sunt. Deniq; 3 etiam rudi vulgo notum est, Deum optimum maximum omnibus non concedere æqve diuturnam vitæ usuram. Deo itaq; placuit, ut Jesua 112. annos Pontificatu fungeretur, reliqvi omnes saltem 103. qvod nobis inconveniens & vero absimile videri non debet.

Obj. 4. Ex Haggæo. c. 2. v. 4. Qvis in vobis residuus est, qvi vidit domum hanc in gloriâ suâ priori? & qvalem jam eam videntes estis. Annon secundum vel ad eam instar nihili est in oculis vestris. Ex his verbis elucet, tum, cum templum extrueretur anno 2. Darii, adhuc superfuisse qvosdam, qvi pristinum Salomonis templum vidissent, qvantusq; ejus fuisset splendor, probè potuerint meminisse: qvi etiam illud, qvod tum extruebatur, cum priori potuerint conferre. Qvod si jam 2. annus esset Darii Nothi, seqveretur hos, qvos Haggæus compellat fuisse 200. ferè annorum. Tantam autem ætatem isthoc ævo non uni, sed pluribus etiam hominibus attribuere velle, admodum est improbabile. Resp. 1. Cum Scaligero ex verbis Haggæi non evinci, tum superfuisse, qvi Salomonis templum in priori gloriâ viderint: Est enim oratio Haggæi merè hypothetica, atq; hoc modo explicanda: Si qvidam vestrum residui essent, qvi priorem domum vidissent in gloriâ suâ priori, & qvalem &c. Non paucæ ejusmodi interrogationes, qvæ hypotheticè intelliguntur & explicantur, in S. Sacrâ tum veteris tum N. T. occurrunt. Deut. 20. v. 8, ita legitur: Qvis est vir, qvi timidus est & mollis corde? abiens revertior domum suam, ut non liqvescat cor fratrum suorum, sicut cor ejus. Id est: Si vir qvidam est &c. Plura hujusmodi eodem c. 20. inveniuntur & alibi.

bi. In N. Testamento itidem talia se offerunt. Matth. 7. v. 9. & c. 12. v. 11.

Repl. 1. M. J V. negando verba Haggæi similia esse his, qvæ ex Hebræo & Græco volumine sunt producta. Haggæi namq; orationem intelligendam esse κατὰ πλάσιν secundum fictionem, ac propterea enunciaionem esse multiplicem, qvæ & hanc negativam includit: neq; aliqvis vestrum prioris domus gloriam vidit, neq; nihili hanc præsentem domum facit. At ita se non habere allegata testimonia. Esse qvidem ὑποθετικά, verum non orationem multiplicem, nec hujusmodi negativam comprehendere.

R. 1. Præfata testimonia eum in finem saltem citari, ut ostendatur tales qvæstiones non rarò in Sacris literis sensum habere hypotheticū, & hypotheticè resolvendas & explicādas. Similia igitur sunt & esse debēt non in omnibus, sed saltem in ratione ὑποθέσεως, qvod nobis ad præsens negotium sufficit. 2. Negamus orationem Haggæi κατὰ πλάσιν esse intelligendam, adeoq; esse orationem multiplicem, & duas illas negativas includere. Si enim est merè hypothetica, utiq; nihil ponit in esse, hoc est, neq; affirmat, neq; negat, fuisse tum, qvi viderant priorem domum Dei in suà gloriâ priori, atq; propterea etiam indè necessariò seqvi, fuisse, qvi ædem pristinam vidissent, inficiamur.

Repl. 2. Haggæi verbis duo ista affirmari; & fuisse ista ætate homines, qvi pristinum templum vidissent, & hos ipsos parum magnificum illud, qvod tunc extruebatur, credidisse. Resumamus ipsa prophetæ verba: Qvis inter vos est, qvi vidit domum istam in gloriâ suà priori? & qvid vos videtis hanc nunc? numqvid non ita est, qvasi nihil sit in oculis vestris? Ex horum postremis utiq; intelligimus, illis quos Propheta allocutus est, parum magnificam fuisse visam ædem istam, quæ tum extruebatur, atque adeò exstitisse illo tempore, qui priorem domum vidissent.

Resp. 1. Duo illa postremis Haggæi verbis affirmari negamus, dicimusq; & illa ipsa verba, æqvè ut priora, hypothetica esse. Hoc igitur ut magis elucescat, resumamus & nos illa verba: In fonte ita habent. וּמָה אַתֶּם רֹאִים אֹתוֹ עַתָּה הֲלֹא כָמֹהוּ כְּאַיִן בְּעֵינֵיכֶם Hæc ita verto. Et qvalem vos videntes eam essetis jam? annon ad

illam (scil. collata) esset instar nihili in oculis vestris? In priori membro occurrit participium cum pronomine (ראים אתם,) qvæ duo, pro ratione contextus & substratæ materiæ, modo vertuntur in præsenti, modò in futuro, modò in perfecto, vel etiam imperfecto, uti hic reddidimus. In ultimo membro verbum nullum expressum est, sed subintelligitur substantivum היה, ac itidem in imperfecto reddendum est. Qvod si igitur hisce, qvæ antè regesta sunt, contra nos aliqvid obtinere qvis velit, necessum est, ut prægnantem prius afferat rationem, qvæ evincat, verba duorum ultimorum incisorum non posse nec debere in imperfecto reddi, sed omninò in præsenti reddenda esse. Nec qvæ in textu Haggæi seqvitur adhortatio & promissio nobis adversatur, sed æqve, atq; adversæ parti, favet. Poterit enim talis esse connexio: Recordamini, cum hujus domus primùm fundamenta jacerentur, Seniores, qvi priorem illam Salomonis in suâ gloria & splendore viderant, amare flexisse. Qvod si etiamnum ex iis, qvidam essent reliqvi, & hanc domum cum illâ priori conferrent, ac propterea cum dolore & luctu exiguam & parum magnificam reputarent, non tamen deberetis idcircò animo frangi, ac de ædificationis fervore qvicqvam remittere. Nam Deus vobis aderit, & suo etiam tempore posteriorem hanc domum gloria impleturus est, ut gloria ejus major sit futura atq; prioris.

Resp. 2. Etiam si ἀποδεικτικῶς ostendi posset ex Haggæi testimonio, fuisse adhuc anno 2. Darii hujus, qvi templum Salomonæum vidissent &c. non tamen solidè esse probatum, Darium hunc fuisse Hystaspis filium, nec potuisse esse eum, qvi cognominatur ὁ Νόθος. Nec enim necessum est, ut statuamus 200. annorum eos fuisse, cum potuerint fuisse 183. annorum plus minus. Nam templum fuit exustum anno P. J. 4124. die 10. אָב vel mensis 5 Haggæus autem controversa hæc verba elocutus est die 2. Mensis 7. anni 2. Darii Nothi, qvi est annus P. J. 4292. Elapsi igitur sunt ab excidio urbis 168 anni & menses 2. & dies 10. plus minus. Qvod si igitur tunc, cum destructâ urbe in captivitatem abirent, nati fuissent, qvidam 16. annos, fuissent tum, cum Haggæus hæc eloqveretur, annorum 184 An hæc ætas tanta est, ut in populo reduce non aliqvot saltem esse potuissent, qvi ad eam pervenissent? Haut existimo. Constan-

tinus L'empereur ostendit ex historiâ Saracenorum Arabicâ, qvosdam etiam plus qvam mille annis post ista tempora repertos fuisse, qvi ad annum 300. & ultrà pertigerint. Dicit enim Georgium Elnacinum l. 1. histo. Saracenicæ c. 7. ad annum Christi 677. narrare de qvodam Ubeido, Filio Soridæ, eum ad Muaviam Imperatorem venisse, 300. assecutum vitæ annos. Idem c. 4. de Solymane Persâ refert, eum mortuum, qvum ætas ipsius esset annorum 350. Minimè igitur improbabile & ἄτοπον videri debet, si nonnulli priscis illis temporibus, annum 183. plus minus attingerint.

Qværitur 3.

An Darii Nothi annus 2. incidat in annum 4 Olympiadis 89 dimidiâ parte præterlapsum?

Affirmat id Clar. Hainlinus in vindiciis pag. 24. contra Ill. Scaligerum. Verùm negativam vero magis consonam ego arbitror, idq; his rationibus subnixus. 1. Qvia Diodoro Siculo teste, Darius Nothus cæpit anno 1. Olympiadis 89 circa medium ferè, hoc est, hyeme exeunte vel vere ineunte. Ergo annus 2. ipsius non cæpit anno 4. Olympiadis 89. dimidiâ parte præterlapso, sed anno 2. præsentis Olympiadis 89. &c.

Qvia II. ex ipsius adversæ partis hypothesibus hæc opinio destruitur. Nam 1. asseritur in Vindiciis pag. 24. Dn. Mæstlinum demonstrasse, Darium Nothum regnare cæpisse anno 2. Olympiadis, 89 circa medium ferè. Hoc si verum est, utiq; annus 2. ejusdem Darii cæpit anno 3. Olympiadis 89. circa medium ferè, neqvaqvam verò anno illius Olympiadis 4. dimidiâ parte elapso. 2. Dicitur laudatus in a. Darium obiisse anno 1. Olympiadis 94. circa medium, postqvam 19. annos regnarat. Si itaq; Darius expletis 19. regni annis decesserit anno 1. Olymp. 94. circa medium ferè, seqvitur annum ejus imperii secundum non cæpisse 4. Olympiadis 89 dimidiâ parte præterlapsa, sed omninò anno 3. dictæ Olymp. 89. &c.

Qværitur 4.

An Darius Nothus anno 1. Olympiadis 94. circa medium obierit, et tum Artaxerxes Mnemon successerit?

Affirmant id viri Clariss. Dn. Mæstlinus & Dn. Hainlinus. Ego

verò

verò negativam amplector, atq; dico Darium è vitâ migrasse, eiq; Artaxerxem filium successisse anno 4. Olymp. 93. dimidjâ parte præterlapso. Rationes hujus meæ dissensionis sunt hæ.

I. Qvia Diodorus Siculus lib. 13. Biblioth. numero CVIII. Ubi retulerat, Athenienses his conditionibus, ut longa Piræi brachia, muroq; destruerent, nec plures qvam 10. naves oblongas possiderent, & cūctis urbibus cederent, Lacedæmoniorumq; imperio subjecti essent, pacem per legatos à Lacedæmoniis impetrasse; mox subjicit: Brevi post hanc pacem Darius Asiæ Rex, cum per annos undeviginti imperium tenuisset, rebus humanis exemtus est: cui in regno successit filius natu major Artaxerxes, qvi 43. annos regnavit. Pacem autem hanc factam fuisse anno 4. Olymp. 93. circa medium ferè, patet non tantum ex citato Diodori loco, sed & ex Xenophonte lib. 2. ἑλληνικῶν. Ut enim prodiderat, pacem Atheniensibus concessam à Lacedæmoniis &c. subjungit: Exiit annus in cujus medio &c. & paulò post meminit seqventis anni, in qvem ait, Olympiadem (94. utpote) qvâ vicit in stadio Crocinus Thessalus, & Oliarchiam 30. tyrannorum incidisse. Pax ergo & eam brevi insecuta Darii mors incidit in annum 4. Olymp. 93. non verò 1. Olymp. 94.

II. Idem probatur ex initio Darii Nothi. Cæpit is anno 1. Olymp. 89. dimidiâ præterlapso parte, ut liqvet ex Diodoro Siculo l. 12. numer. LXXI. & regnum 19. annos tenuit. Ibidem, & l. 13. num. CVIII. Ergo annus ejus decimus nonus cæpit anno 3. Olymp. 93. & desiit anno 4. Olymp. 93.

III. Artaxerxes Mnemon obiit anno 3. Olymp. 104. Qvia igitur imperium 43. annis administravit, conficitur hinc, initium regni ejus incidere, non in annum 1. Olymp. 94. sed in annum 4. Olymp. 93.

Obj. Darium Nothum obiisse finitio bello Peloponnesiaco, anno 1. Olymp. 94. circa medium, testibus Justino & Diodoro Siculo. Resp. 1. Justinus non loqvitur ἀκριβῶς, sed ἐν πλάτει, nec res gestas præcisè ad certa temporis intervalla vel articulos alligat. Bis ille meminit mortis Darii Nothi. Primò lib. 5. p. 57. (in editione Marci Zuerii Buxhornii, qvæ complicatur, uti ajunt, in 12.) & secundò eodem libro p. 59. Priori loco, postqvam narrarat, Lacedæmonios urbē (Athenas scil.) sibi deditam, formandam Lysandro tradidisse: addit: Insi-

gnis hic annus fuit expugnatione Athenarum,& mortis Darii Persarum &c. Hoc ut verissimum est, ita adversæ sententiæ adjumenti affert nihil: cum non addatur, qvotus sit annus ille vel Olympiadis 94. vel alius. Posteriori loco, ubi commemorarat 30. tyrannos Athenis Eleusina (Ἐλευσῖνα Xenoph. l. 2. ἑλληνικῶν circa finem) emigrare jussos, Athenienſesq; pristinam suam libertatem virtute Trasybuli recepisse, subnectit: Intereà temporis Thebani Corinthiiq; legatos ad Lacedæmonios mittunt; qvi ex manubiis portionem prædæ communis belli periculiq; peterent. qvibus negatis, non qvidem apertè bellum adversus Lacedæmonios decernunt: sed tacitis animis tantam iram concipiunt, ut subesse bellum intelligi posset. Mox addit: *Eadem ferè tempore Darius Rex Persarum moritur &c.* Jam verò ex Diodoro Siculo l. 14 numero XXXIV & XXXVI. palam est, Athenienses patriam recuperasse & suis de hinc legibus Rempublicam administrare cæpisse anno 4. Olymp. 94. Nullo igitur modo negari potest, Justinum paulò laxius, non verò accuratè loqvi.

Resp. 3. Diodorum Siculum qvod concernit, non dicit ille, finito bello Peloponnesaico Darium obiisse, sed brevi post factam pacem vel approbatas pacis conditiones. l. 13. numer. CVIII. Pax autem facta est vel exeunte hyeme, vel ineunte vere anni Periodi Julianæ 4309. Die enim 16. Munichionis, hoc est, 9. Maji, muri (qvod aliqvantò post pacificationem factum esse ex Xenophonte & aliis constat) ad tibiarum cantum destructi sunt, referente Plutarcho in vita Lysandri. Bellum verò Peloponnesiacum finitum à Xenophonte l. 2. Ἑλληνικῶν dicitur, qvando Lysander devictis & occupatis omnibus civitatibus, qvi à parte Athenienſium steterant, triumphantis in morem (qvod exeunte æstate anni 1 Olymp. 94. factum esse, ex eodem Xenophonte apparet) Lacedæmonem est reversus. Qvia igitur Darius non est mortuus demum finito bello, sed brevi post initam pacem, utiq; certum hinc evadit, eum non obiisse anno 1. Olympiadis 94. sed 4. Olympiadis mediâ parte exactâ.

Qvæstio 5.

Quomodo verba Judæorum Joh. 2. v. 20. optimè intelligenda?

Resp. variè explicantur I. Augustinus ad tempus formati corpo-

gis

ris Christi in utero materno accommodat. Verum Judæos non loqvi de templo corporis Christi, sed de lapideo illo Dei templo, in qvo tum versabantur, patet 1. ex oppositione Johannis. Mox enim v. 21. inqvit: Ipse (Christus) autem loqvebatur de templo corporis sui. 2. Ex accusatione Judæorum tempore Passionis Christi. Matth. c. 26 v. 61. & Marc. c. 14. v. 58.

II Origines explicat de templo Salomonis, qvod 7. qvidem annis absolutum, sed si qvis ad propositum Davidis respiciat, ubi Nathanem consuluerat de constructione templi, intra qvadraginta annis vix inchoatum legitur. Resp. 1. Emphatica Judæorum locutio id non admittit. Nam dicunt ὁ ναὸς ἔτ@- hoc ipsum templum exstructum est &c. Non ergo agunt de templo Salomonis, qvod dudum, nimirum ante 618. annos, destructum erat. 2. Nec temporis ratio qvadrat. Nam anno P. J. 3665. David de templo ædificando cum Nathane loqvebatur. Salomo autem anno P. J 3703. templum exædificavit. Subduc numerum minorem à majori & relinqvuntur 38. non verò 46. ut loqvuntur Judæi. 3. Aliud est templum ædificare & jam in opere versari, aliud verò de ædificando consultare, ubi opus ultra 30 annos differtur. Non de hoc, sed illo Judæi loco citato agunt.

III Qvidam suscipicantur Judæos contra omnem historicam veritatem hæc dixisse, aut per invidiam ἐν αὐξήσει tot annos adjecisse, ac ea propter de iis non multum laborandum, ut ait Lyra. Resp. Si studio Judæi falsa protulissent, Salvator absq; dubio id non reticuisset, sed pro more redarguisset.

IV. Torniellus, Baronius, Calvisius, D. Jacob. Martin. l. 3. de tribus Elohim & alii explicant Judæorum verba de templo ab Herode exstructo, qvo de Josephus l. 15. Antiq. c. 4.

Resp. Nec hanc sententiam veram esse. Herodis enim ædificatio. 9. annis cum dimidio absoluta est, nec postqvam cæpta est fieri, ullo tempore interrupta fuit. Josephus namq; disertis verbis tradit: Herodem ædificia, qvæ extra templum propriè dictum erant & ad id spectabant, utpote porticus & reliqva, 8. annis, ipsum templum interius sesqvianno ædificasse.

Reg. Calvisius: licet Herodes annis 9½. non interruptis exstructionem templi absolverit, Judæi tamen, cum Romanos templi

 the-

thesauris intelligerent inhiare,eosq; aliqvoties invadere & rapere, ut patet ex Josep. l. 14. antiq. c. 12. l. 18. c. 4. omnem pecuniam in ædificando & exornando templo in sumserunt,idq; tandem perfecerunt paulò ante initia belli Judaici sub Nerone. Joseph. l. 20. c. 8.

Resp. 1. Verba Joh. 2. sensum hunc non admittere. Nec enim dicunt 46. annos fuisse elapsos ex qvo Herodes templum ædificavit, sed 46. annos ædificatione fuisse consumptos. τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος. Qvadraginta sex annis templum hoc fuit ædificatum. Nec 2. calculus benè qvadrat. Nam Herodes ædificationem templi exorsus est anno 18 regni sui, hoc est, anno P. J. 4691. Colloqvium autem Judæorum cum Christo habitum fuit in festo Paschatos anni primi Ministerii,hoc est, anno P. J. 4743. Sublato numero minori de majori, residui sunt anni 52. non verò 46.

Resp 2. Verba Joseph l. 20. c. 8. malè intelligi & applicari. Clu. Lang. l. 2. c. 18. p. 344. secutus Scaligerum l. 6 de emendatione, dicit intelligenda esse de 20. cubitis, qvibus additis tempore Neronis templum rursus fuerit perfectum. Refert enim Josephus l. 15. c. 14. & l. 5. de bello Jud. c 5. templum à Salomone ædificatum 20. cubitis altius fuisse illo, qvod post captivitatem Zorobabel extruxit. Cubitos hos 20. Herodes addidit; sed subsidentibus fundamentis, 20. illi cubiti rursus latitudini decesserunt. Hi cum tempore Neronis additi sint, templum dicitur perfectum Jos. l. 5. ἁλωσ. c. 5. Verum hæc solida non esse, vel nuda citatorum in Josepho locorum inspectio edocet. Nam Josephus qvidem in his refert, Judæos in animo habuisse, viginti illos cubitos, qvibus templum Salomonis altius fuit, addere; qvod verò addiderint, id nullibi asserit. Qvin potius contrarium liqvet ex c. 5. l. 5. de bell. Jud. Legitur ibi, Johannem Ducem ex lignis illis, qvæ Rex Agrippa e Libano ad 20. illos cubitos addendos advexerat, sibi turres extruxisse contrà eos, qvi è templi summitate adversus ipsum pugnabant. De additis igitur illis 20. cubitis πλήρωσις hæc, qvam Josephus l 20. c. 8. factam narrat, explicari neqvit. Qvid ergo dicendum? Prodit Josephus bis ante hanc πλήρωσιν templum in tumultibus & rebellione Judæorum non nihil damni ab igni cepisse. Videatur Joseph. l. 17. Antiq. c. 12. & l. 18. c. 2. De hu-

jus

jus igitur damni reparatione, vel eorum, qvæ tot elapsis annis, vitium fecerant, restitutione, vel deniq; de porticus ac ædificii alicujus innovatione intelligenda erunt. Inde autem opinio Calvisii & aliorum non confirmatur.

V Alii intelligunt verba Judæorum de templo Zorobabelis, in diversas, tamen abeuntes partes. I. Qvidam dicunt: Primo Cyri anno templi jacta fundamenta, anno autem Darii Histaspis secundo ædificationem, qvæ hactenus fuerat impedita, reassumptã & anno ejus sexto completam fuisse. Esr. c. 6. v. 14. & 15. A Cyro enim, inqvit Eusebius l. 8. demonstr. Evangel. c. 2. usq; ad 7. Darii annum interfluxere 46. anni. II. Cedrenus in Compend. annal. inqvit, populum fundamenta posuisse, verum Samaritanorum vicinorum calumniâ effectum fuisse, ut ædificatio omitteretur 41. annos totos usq; ad 2. Darii annum, in sexennium Zorobabelis ac Josuæ admonitione fuisse absolutum 47. totis annis à primo Cyri anno. III. D. W. ita hos annos colligit: Primò numerat 30. annos Cyri, deinde 7. Cambysis, hisce subjungit 9. Darii Hystaspis. Nam, inqvit, qvod dicitur sexto ejus anno templi ædificationem esse absolutam, id intelligimus de templi parte interiori, in qvod soli Sacerdotes ingrediebantur, integrum autem templum cum omnibus porticibus & ornamentis interioribus & exterioribus, ante 9. Darii annum, non est absolutum. IV. In præf. German. super. Daniel. dicitur: à primo Cyri anno usq; ad 2. Darii elapsos esse 46. annos. Et hos esse illos 46. de qvibus Judæi Joh. 2. qvasi dicere vellent, 46. anni consumpti sunt, anteqvam justum ædificandi templi initium sumptum fuit. V. Alii asserunt, dedicationem templi factam 6. Darii anno, non qvod planè absoluta fuerit tunc ædificatio, sed cum eò usq; esset ædificando perventum, ut qvoqvomodo possent Sacrificia offerre ante consummationem ædificationis, factam dedicationem; posteà verò inter varia impedimenta reliqvam ædificationem vix 40. annis fuisse absolutam. Resp. I. γενικῶς Annorum supputationem in hisce opinionibus toto cælo errare. A primo enim Cyri anno ad 6. vel etiam 9. Darii annum nullâ ratione 46. vel 47. anni numerari possunt. Qvod enim dicunt, Cyrum regnasse annos 30. vel 33. eosq; integrè ponunt, eo ipso gravissime labuntur. Confundunt enim annos Cyri ut Regis Persarum & Medorum tantum cum annis Cyri Regis Babyloniorum & Assyriorum simul,

mul. Hoc dico: regnavit qvidem Cyrus 30. annos & amplius, sed in universum, ex qvo nimirum primo Astyagem avum Regem Medorum & Persarum devicit, & tandem in expeditione contra Massagetas populos Scyticos à Reginâ Tomyri cũ universo exercitu ducentorum millium occisus est. Verum enim verò primus ille annus Cyri, qvo Judæis, in captivitate Babylonicâ existentibus, permisit in patriam regredi, non est primus simpliciter, ex qvo scil. Persis & Medis imperare cœperit. Qvomodo enim tunc potuisset dicere Dominus dedit mihi omnia regna terræ &c. Qvomodo, qvæso, potuisset Judæis in Babylonià & Assyria degentibus libertatem & in patriam reditum indulgere, cum regnum Babylonicum & Assyriacum nondum occupârat sibique subjecerat? Sed primus hic Cyri annus numerandus est, ex qvo Babyloniis & Assyriis debellatis, omnibus illius Monarchiæ regnis & provinciis expugnatis & ordinatis, ejusmodi potuit edictum promulgare: Sic ait Cyrus Rex Persidis, omnia regna terræ tradidit mihi Jehova cœli, & ipse commisit mihi, ut ædificem sibi domũ Jeruschalaimis, qvæ in Jehuda; qvis inter vos de toto populo ejus est? Sit ejus Deus cum eo, & ascendat Jeruscalaima & ædificato &c. 2. Chron 36 v. 22 23 & Esr. c. 1. v. 2. 3. Qvæ ipsa Cyri promulgatio facta est anno 4. ante miserum ejus in Scythia interitum. His si adjeceris 6. Cambysis annos (2 enim annis Cambyses unà cum Patre Cyro regno præfuit) & 6. Darii, habebis saltem 16. annos, neqvaqvam verò 46.

Resp. II. ἐνδικῶς 1. ad opinionem 3. Eam omni carere fundamento. Nam in qvo Scripturæ S. loco exstat absolutionem Esr. c. 6. v. 14 15. de parte ejus interiori intelligendum, integrum autem templum cum omnibus partibus & ornamentis interioribus & exterioribus non ante 9. Darii annum absolutum? Resp. 2. ad opinionem 4. Verba controversa non dicere 46. annos fuisse elapsos, an eqvam restaurandi justum initium fecère, sed tot annos ædificando fuisse consumptos. Resp. 3. ad opinionem 5. Factam templi dedicationem ante extructionis absolutionem, & 40. annos effluxisse, priusqvam templum perficeretur, dicitur præter, imò contra Scripturam. Ea disertè testatur, reduces & ædificasse de sententiâ Cyri & Darii & Artachsasthæ Regis Persidis. Et finitum fuisse domum ad diem tertium Adar, qvum esset annus 6. Darii Regis, & non multò post etiam factam dedicationem, Esr. c. 6. v. 14. 15. 16. 17.

VI. Cen-

VI. Constantinus L'empereur arbitratur à primo Cyri anno, qvo per totam regnans Asiam copiam fecit Judæis templum ædificandi usq; dum per Xerxem opus impeditum fuit, excurrisse 46. annos, qvibus ædificatum est templum, qvamvis interea varii varia molirentur: & ad hos 46. annos respicere Judæos putat. Resp. 1. Hac ratione Judæi præteriissent annos, qvibus sub Dario Notho vel maximè floruit templi structura, partim ingenti fervore & alacritate universi populi a Prophetis divinitus excitati, partim subsecutâ mox plenâ Regis Persici concessione, & liberali mediorum suppeditatione; qvibus etiam Domus Dei à vastitate (ab Haggæo enim tum dicebatur חָרֵב vasta &, ut rectè D. Ioh. Tarnovi. explicat, solitudine sqvalens) vindicata fuit & exædificata; qviq; propterea, vel soli κατ' ἐξοχὴν, ædificationis anni dici possint. 2. Nec primo Cyri anno statim, sed demum tertio, qvi est secundus in Palæstinam reditus, ædificatio hæc cæpit. Ut nil jam dicam, qvod mox impedita temporibus Cambysis & Smerdis cessarit. Qvos annos si detraxeris, numero 46 multum decedet.

VII. Puto ego verbis istis Iudæorum sæpius dictis, significari 46. annos, qvibus templum ajunt ædificatum, non continuos & cohærentes, id enim extra dubium esset falsum; sed nonnunqvam interruptos & disjunctos, vel denotari totum illud tempus cæptæ & repetitæ ædificationis usq; ad consummationem ejus, detracto intermedio tempore, qvo distinctis vicibus ab ædificatione & opere fuit cessatum. Sic itaq; anni erunt subducendi. Anno 3. Cyri vel 2. reditus Israelitarum ex captivitate Babylonicâ, fundamenta templi ponunt. Esr. 3 v. 7. 8. 10. Mox impediuntur & ab opere cessant usq; ad imperium Darii Hystaspis. Esr. 4. v. 1. 2. 3. 4. 5. Defuncto enim Cambise & paulò post trucidato Smerde Mago, Judæi ad opus redeunt, inq; eo, socorditer licet & remissè satis, ob neqvitiam Samaritanorum usq; ad 36. annum Darii Hystaspis, qvi idem est primus Xerxis. Tum enim, qvod Ægyptii à Persis defecissent, & Iudæi ob vicinitatem suspectæ Persis essent fidei, frigidam suffundentibus Samaritanis. Esr. c 4. v. 6. regio edicto ædificatio interdicitur. Cessat igitur rursus templi structura usq; ad annum Xerxis 14. Cum enim tunc intercessione Estheræ Reginæ Xerxem sibi Iudæi nanciscerentur propitium, ac Mardochæi potentiam & authoritatem, qvà apud Ahasverum pollebat, reformida-

 rent

rent Persarum præfecti, opus ædificationis repetunt Iudæi, & in eo pergunt 7. annis, dum Xerxes fuit in vivis & amplius ½. sub Artaxerxe. Qvod autem interfecto Xerxe vel Ahasvero, Ægyptii mox descirent, ejectisq; Persicis Præsidibus, Inarum Psammetichi filium Regem facerent, Samaritani hac oblatâ occasione Iudæos accusant & suspectos reddunt, ac paulò post ab Artaxerxe jussi vi armatâ ab ædificatione templi & murorum urbis qviescere cogunt. Esr. c. 4. v. 1. & seq. Elapsis autem 41. annis, qvibus opus cessarat, a Prophetis Haggæo & Zacharia excitati opus resumunt die 24. mensis 6. anni 2. Darii Nothi, & die 3. mensis 12. anni sexti Darii ineuntis absolvunt spatio 4. annorum & dierum plus minus 157. Colligamus jam annos, utpote 35. Darii Hystaspis, 7. Xerxis ½. Artaxerxis. 3. annos & Dies 157. Darii Nohi, & erit summa 46. annorum, minus 26 diebus. Adde tempus, qvo fundamentum templi jactum fuit, & res erit expedita.

Obj. 1. Non agere Judæos de templo Zorobabelis sub Dario exædificato, patet ex ἐμφάσει verborum. Ita enim ajunt Judæi 46. annis exstructum est ὁ ναὸς οὗτος templum ipsum: digitum qvasi intendentes in templum ab Herode magnificentissime amplificatum & exornatum, in qvo tunc versabantur & cujus postmodum splendorem & magnificentiam discipuli summâ cum admiratione Christo ostendebant. Matth. c, 24. v. 1. Marc. c. 13. v. 1. & Luc. 21. v 5.

Resp. Judæos non nisi duo templa agnoscere: primum à Salomone magnificentissime ædificatum, qvod à Nebucadnezare Rege Babyloniorum destructum & exustum fuit, 2. Reg 25. v. 9. & 2. Chron 36. v. 19. alterum post captivitatem Babylonicam à Zorobabele & Josua inter varia impedimenta tandem extructum. Et qvamvis hoc ipsum templum Zorobabelicum ab Herode Rege Judæorum à fundamentis fuerit sublatum, ac novum ampliori ambitu & majori altitudine augustius & magnificentius instauratum, ut tertium appellari posse videatur, Judæi tamen inter templum Zorobabelicum & Herodianum discrimen non agnoscunt, sed utrumq; pro uno eodemqve habent. Probat id M. Johannes Fridericus Heilbrunnerus in disputatione qvadam de 70. Hebdomadibus Danielis, sub præsidio Excellentissimi DD. Johannis Georgii Dorschæi Argentorati anno 1651 habita, multis testimoniis ex Judæorum depromptis scriptis §. 38.

Qvæ

Qvæstio 6.

Qvo anno Juliano Herodes Magnus vitâ excesserit?

Resp. Variant & hic autores I. Dn. Keplerus, Dionisius Petavius volunt Herodem decessisse anno Juliano 42. P. J. 47 0. II. Scaliger, Calvisius & alii consent, eum obiisse anno Juliano 45. P. J. 4713. III. Wilhelmus Langius verò disputat Herodem è vitâ migrasse anno Juliano 44. P. J. 4712. Qvam sententiam, ut veriorem, amplector. Sit igitur.

ASSERTIO I.

Herodes non est mortuus anno P. I. 4710. *Juliano* 42. Qvia 1. hac ratione saltem regnasset 35. annos completos & unum vel alterum mensem. Nam Rex declaratus est Romæ anno juliano exeunte 6. qvi est Per. Julian. 4674. Mundi 3966. Ergo 36. ejus annus cæpit anno Juliano 41. exeunte. Qvod si igitur vitam deposuit anno Iuliano 42. ante Pascha, seqvitur non nisi 35. annis & mensibus 2. vel 3. regno præfuisse. At hoc est contra Iosephum, & Egesippum; qvorum ille lib. Antiq. 17. c. 10. & 1. de bell. Iud. c. 21. hic verò l. 1. c. 45. Herodi Idumæo assignant annos regni 37. ex qvo á Romanis Rex est declaratus.

Obj. 1. Eclipsin brevi ante mortem Herodis contigisse Ios. l. 17. Antiq. c. 8. Ea autem illo Iuliano 42. P. I. 4710. accidit 12. Martii horâ post mediam noctem 3. Hierosolymis. Resp. f. Eclipsin hanc huc non spectare. Contigit enim plenilunio Adar, adeoq; 30. saltem diebus ante Pascha, qvod incidit in 11. April. At Herodis ante obitum, qvæ facta à Iosepho narratur Eclipsis, pluribus à Paschatis festo diebus omninò necesse est abfuerit. Refert namq; Iosephus post illam morbum Herodis in dies incrementa sumsisse, variisq; symptomatibus eum fuisse exagitatum. Herodes autem longioris vitæ avidissimus medicos acciri, & undiq; medicamentum apportari jubet; sed omnibus illis frustrà usus, tandem, ut ait Iosephus, l. 1. ἁλωσ. c. ult. trans Iordanem in thermas apud Calliroen deportatur, &, cum nec illæ levamento essent, de Medicorum consilio in vas calidi plenum olei dimittitur, sed eo eventu, ut toto resolutus corpore, oculos torqveret, ceu jam animam exhalaturus. Clamoribus itaq; medicorum excitatus, desperatâ salute, amicis militibusq; donaria liberaliter distribui

mandat, eoq; facto, Hierichuntem reportatur, ubi cum eû icteres morbis nuncius invaderet, ira percitus, Iudæos qvosq; clarissimos ex toto regno sub capitis pœnâ evocatos, loco qvi appellatur Hippodromus, includi jussit, & sorori Salome ejusq; marito Alexæ præcipit, adhibitis precibus, mixtisq; lachrymis, ut Iudæos prædictos ad unum omnes, vitâ ubi abiisset, militum jaculis configerent, ne subditi morte suâ lætarentur, sed eam potius lugerent. Mox literis Româ ab Augusto Cæsare missis exhileratus se paululum recolligit, sed brevi redeunte dolore, sibimet ipsi cultro vitam abrumpere conatus ab Achiabo nepote manum tenente impeditur. Oritur hinc in totâ aula tristitia & ululatus. Qvo audito Antipater, qvi erat in vinculis, ratus patrem vitâ emigrasse, cum custode de liberatione agit. Hoc resciscens Herōdes iracundiâ exardescit, & mox per missum satellitem Antipatri spiritum eripit, testamentum suum immutat, & 5 die post ad inferos descendit. Qvo facto Salome & maritus Iudæos inclusos liberos dimittunt, mortem Herodis aperiunt, milites congregant, eisq; defuncti ad eos scriptas literas primò dein testamentum prælegunt, qvi Archelao futuro Regi gratulantur, & omnia prospera à Deo precantur. Posthæc Archelaus omni studio, qvæ ad exeqvias qvam honorificentissimè & splendidissime faciendas, spectare videbantur, parat, & tandem omnibus paratis magnificè patrem sepelit. Lectica namq; elatus est aurea, variis distincta gemmis & instrata purpurâ. Corpus purpura indutum, imposita capiti coronâ. Lecticam stipabant filii & cognati. Hos seqvebantur milites per ordines distributi. Atq; ea pompa processit Herodium usq; 200. illinc stadiis distantem. Inde reversus Hierosolymam Archelaus 7. dies juxta divinas leges parentem luxit, inq; fine luctus, funebri epulo plebi dato, in templum ascendit. Ibi plebem qvam humanissimè alloqvitur, sacrificioq; peracto discedit. Oritur intereà magnus tumultus ob interemptos Doctores legis. Hujus concitatores lenibus sedare conatus verbis Archelaus, magis irritat, qvi paulò post propter Paschatis festum numero aucti tribunum ad se missum repellunt. Hoc audito Archelaus immissis peditibus & eqvitibus 3000. ex iis occidit. Hic si tempus cuivis rei necessarium rimatus fueris, & computaveris, pervenies non ad diem 30. sed vel ad 50. certè adminimum ad 40.

Obj 2. Archelaum, qvi patri Herodi in regno successit, in

Galli-

Galliam fuisse relegatum anno Iuliano 51. regni 10. incunte, testibus Josepho & Dione. Si jam ab 51. auferantur anni 9. cum parte 10. remanet 42. Iulianus, cujus initio Herodes decescit. Resp. Archelaum anno Iuliano 51. relegatum fuisse Iosephus non dicit. Qvod vero anno 10. regni id factum sit, id qvidem habet l. 17. Antiq. c. 15. Verum l. 3. ἁλώσεως c. 11. erratum, vel memoriæ hunc lapsum corrigit, & expressè dicit, anno 9. regni ejus id accidisse, qvam sententiam, ut veriorem, & Egesippus cordatus & accuratus Scriptor l. 2. cap. 3. seqvitur.

Regeris: Dio tamen asseverat anno 51. Iuliano relegatum Archelaum.

Resp. 1. Dici posse Dionem, ut in nomine, ita etiam in anno errasse. 2. Iudæos extremo 51. anno Iuliano Archelaum accusasse apud Cæsarem, qvi Procuratori illius ad se accersito dixit: Vade & adduc illum qvam celerrimè. Dum ita ille in Iudæam iter meditatur, Cæsar de Præside illuc mittendo statim cogitat, qvi pecuniam Archelai in Romanorum fiscum inferret, censumq; ageret, atq; mox Qvirinium in Iudæam mittit. Archelaus à procuratore suo de voluntate Cæsaris certior factus, statim iter ingreditur, & ineunte anno 52. Iuliano, principatus verò 9 regnū relinqvit, & illud numqvam repetit. Ioseph. l. 17. c. 15. Qvirinius post Archelai abitum mox in Syriam & Iudæam venit, & bona Archelai in fiscum infert censumq; agit. Evenêre hæc anno 37. à victoriâ Actiacâ exeunte, qvi ipse 37. annus finem suum habet 52. Iuliano 2. Septemb. Dicimus igitur Dionis testimonium respicere illud tempus, qvo ab Augusto de Archelao relegando decretum est, qvod 51. anno Iuliano factum, qvo etiam mox Qvirinium Iudææ Præsidem constituit.

Obj. 3. Idem ex historiâ Philippi demonstrari. Is dicitur mortuus anno 20. Tiberii, anno principatus 37. Ioseph. l. 18. c. 6. circa finem. Si jam ademeris à 78. 37. remanet 42. Iulianus, cujus initio Herodes decessit.

Resp. locum hunc Iosephi in mendo cubare Scaliger censet, qvod verum est, & ex ipso Iosepho demonstrari potest. . Postqvam enim dicto c. Iosephus narrarat Vitellii in Siriam adventum, literasq; à Tiberio ad hunc missas de pace cum Artabano Parthorum Rege faciendâ, subjungit, tunc etiam Philippus Herodis frater vitam finivit. Iam au-

gnis hic annus fuit expugnatione Athenarum,& mortis Darii Persarum &c. Hoc ut verissimum est, ita adversæ sententiæ adjumenti affert nihil: cum non addatur, qvotus sit annus ille vel Olympiadicus, vel alius. Posteriori loco, ubi commemorarat 30. tyrannos Athenis Eleusina ('Ελευσῖνα Xenoph. l. 2. ἑλληνικῶν circa finem) emigrare jussos, Atheniensesq; pristinam suam libertatem virtute Trasybuli recepisse, subnectit: Intereà temporis Thebani Corinthiiq; legatos ad Lacedæmonios mittunt; qvi ex manubiis portionem prædæ communis belli periculiq; peterent. qvibus negatis, non qvidem aperte bellum adversus Lacedæmonios decernunt: sed tacitis animis tantam iram concipiunt, ut subesse bellum intelligi posset. Mox addit: *Eadem ferè tempore Darius Rex Persarum moritur &c.* Jam verò ex Diodoro Siculo l. 14 numero XXXIV & XXXVI. palam est, Athenienses patriam recuperasse & suis de hinc legibus Rempublicam administrare cæpisse anno 4. Olymp. 94. Nullo igitur modo negari potest, Justinum paulò laxius, non verò accuratè loqvi.

Resp. 2. Diodorum Siculum qvod concernit, non dicit ille, finito bello Peloponnesaico Darium obiisse, sed brevi post factam pacem vel approbatas pacis conditiones. l. 13. numer. CVIII. Pax autem facta est vel exeunte hyeme, vel ineunte vere anni Periodi Julianæ 4310. Die enim 16. Munichionis, hoc est, 9. Maji, muri (qvod aliqvantò post pacificationem factum esse ex Xenophonte & aliis constat) ad tibiarum cantum destructi sunt, referente Plutarcho in vita Lysandri. Bellum verò Peloponnesiacum finitum à Xenophonte l. 2. 'Ελληνικῶν dicitur, qvando Lysander devictis & occupatis omnibus civitatibus, qvi à parte Atheniensium steterant, triumphantis in morem (qvod exeunte æstate anni 1. Olymp. 94. factum esse, ex eodem Xenophonte apparet) Lacedæmonem est reversus. Qvia igitur Darius non est mortuus demum finito bello, sed brevi post initam pacem, utiq; certum hinc evadit, eum non obiisse anno 1. Olympiadis 94. sed 4. Olymp. mediâ parte exactâ.

Qvæstio 5.

Qvomodo verba Judæorum Joh. 2, v. 20. optimè intelligenda?

Resp. variè explicantur I. Augustinus ad tempus formati corpo-

ri Christi in utero materno accommodat. Verum Judæos non loqvi de templo corporis Christi, sed de lapideo illo Dei templo, in qvo tum versabantur, patet 1. ex oppositione Johannis. Mox enim v. 21. inquit: Ipse (Christus) autem loqvebatur de templo corporis sui. 2. Ex accusatione Judæorum tempore Passionis Christi. Matth. c. 26 v. 61. & Marc. c. 14. v 58.

II Origines explicat de templo Salomonis, qvod 7. qvidem annis absolutum, sed si qvis ad propositum Davidis respiciat, ubi Nathanem consuluerat de constructione templi, intra qvadraginta annis vix inchoatum legitur. Resp. 1. Emphatica Judæorum locutio id non admittit. Nam dicunt ὁ ναὸς οὗτος hoc ipsum templum exstructum est &c. Non ergo agunt de templo Salomonis, qvod dudum, nimirum ante 618. annos, destructum erat. 2. Nec temporis ratio qvadrat. Nam anno P. J. 3665 David de templo ædificando cum Nathane loqvebatur. Salomo autem anno P. J 3703. templum exædificavit. Subduc numerum minorem à majori & relinqvuntur 38. non verò 46. ut loqvuntur Judæi. 3. Aliud est templum ædificare & jam in opere versari, aliud verò de ædificando consultare, ubi opus ultra 30. annos differtur. Non de hoc, sed illo Judæi loco citato agunt.

III Qvidam suscipicantur Judæos contra omnem historicam veritatem hæc dixisse, aut per invidiam ἐν αὐξήσει tot annos adjecisse, ac ea propter de iis non multum laborandum, ut ait Lyra. Resp. Si studio Judæi falsa protulissent, Salvator absq; dubio id non reticuisset, sed pro more redarguisset.

IV. Torniellus, Baronius, Calvisius, D. Jacob. Martin. l. 3. de tribus Elohim & alii explicant Judæorum verba de templo ab Herode exstructo, qvo de Josephus l. 15. Antiq. c. 4.

Resp. Nec hanc sententiam veram esse. Herodis enim ædificatio. 9. annis cum dimidio absoluta est, nec postqvam cæpta est fieri, ullo tempore interrupta fuit. Josephus namq; disertis verbis tradit: Herodem ædificia, qvæ extra templum propriè dictum erant & ad id spectabant, utpote porticus & reliqva, 8. annis, ipsum templum interius sesqvianno ædificasse.

Reg. Calvisius: licet Herodes annis 9½. non interruptis exstructionem templi absolverit, Judæi tamen, cum Romanos templi

thesauris intelligerent inhiare, eosq; aliqvoties invadere & rapere, ut patet ex Josep. l. 14. antiq. c. 12. l. 18. c. 4. omnem pecuniam in ædificando & exornando templo in sumserunt, idq; tandem perfecerunt paulò ante initia belli Judaici sub Nerone. Joseph. l. 20. c. 8.

Resp. 1. Verba Joh. 2. sensum hunc non admittere. Nec enim dicunt 46. annos fuisse elapsos ex qvo Herodes templum ædificavit, sed 46. annos ædificatione fuisse consumptos. τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος. Qvadraginta sex annis templum hoc fuit ædificatum. Nec 2. calculus benè qvadrat. Nam Herodes ædificationem templi exorsus est anno 18 regni sui, hoc est, anno P. J. 4691. Colloqvium autem Judæorum cum Christo habitum fuit in festo Paschatos anni primi Ministerii, hoc est, anno P. J. 4743. Sublato numero minori de majori, residui sunt anni 52. non verò 46.

Resp. 2. Verba Joseph l. 20. c. 8. malè intelligi & applicari. Clar. Lang. l. 2. c. 18. p. 344. secutus Scaligerum l. 6 de emendatione, dicit intelligenda esse de 20. cubitis, qvibus additis tempore Neronis templum rursus fuerit perfectum. Refert enim Josephus l. 15. c. 14. & l. 5. de bello Jud. c 5. templum à Salomone ædificatum 20. cubitis altius fuisse illo, qvod post captivitatem Zorobabel extruxit. Cubitos hos 20. Herodes addidit; sed subsidentibus fundamentis, 20. illi cubiti rursus latitudini decesserunt. Hi cum tempore Neronis additi sint, templum dicitur perfectum Jos. l. 5. ἁλωσ. c 5. Verum hæc solida non esse, vel nuda citatorum in Josepho locorum inspectio edocet. Nam Josephus qvidem in his refert, Judæos in animo habuisse, viginti illos cubitos, qvibus templum Salomonis altius fuit, addere; qvod verò addiderint, id nullibi asserit. Qvin potius contrarium liqvet ex c. 5. l. 5. de bell. Jud. Legitur ibi, Johannem Ducem ex lignis illis, qvæ Rex Agrippa e Libano ad 20. illos cubitos addendos advexerat, sibi turres extruxisse contrà eos, qvi è templi summitate adversus ipsum pugnabant. De additis igitur illis 20. cubitis πλέωσις hæc, qvam Josephus l 20. c. 8. factam narrat, explicari neqvit. Qvid ergo dicendum? Prodit Josephus bis ante hanc πλέωσιν templum in tumultibus & rebellione Judæorum non nihil damni ab igni cepisse. Videatur Joseph. l. 17. Antiq. c. 12. & l. 18. c. 2. De hu-

jus

jus igitur damni reparatione, vel eorum, qvæ tot elapsis annis, vitium fecerant, restitutione, vel deniq; de porticus ac ædificii alicujus innovatione intelligenda erunt. Inde autem opinio Calvisii & aliorum non confirmatur.

V. Alii intelligunt verba Judæorum de templo Zorobabelis, in diversas, tamen abeuntes partes. I. Qvidam dicunt: Primo Cyri anno templi jacta fundamenta, anno autem Darii Histaspis secundo ædificationem, qvæ hactenus fuerat impedita, reassumptū & anno ejus sexto completam fuisse. Esr. c. 6. v. 14. & 15. A Cyro enim, inqvit Eusebius l. 8. demonstr. Evangel. c. 2. usq; ad 7. Darii annum interfluxere 46. anni. II. Cedrenus in Compend. annal. inqvit, populum fundamenta posuisse, verum Samaritanorum vicinorum calumniâ effectum fuisse, ut ædificatio omitteretur 41. annos totos usq; ad 2. Darii annum, in sexennium Zorobabelis ac Josuæ admonitione fuisse absolutum 47 totis annis à primo Cyri anno. III. D. W. ita hos annos colligit: Primò numerat 30 annos Cyri, deinde 7. Cambysis, hisce subjungit 9. Darii Hystaspis. Nam, inqvit, qvod dicitur sexto ejus anno templi ædificationem esse absolutam, id intelligimus de templi parte interiori, in qvod soli Sacerdotes ingrediebantur, integrum autem templum cum omnibus porticibus & ornamentis interioribus & exterioribus, ante 9. Darii annum, non est absolutum. IV. In præf. German. super. Daniel. dicitur: à primo Cyri anno usq; ad 2. Darii elapsos esse 46. annos. Et hos esse illos 46. de qvibus Judæi Joh. 2. qvasi dicere vellent, 46. anni consumpti sunt, anteqvam jussum ædificandi templi initium sumptum fuit. V. Alii asserunt, dedicationem templi factam 6. Darii anno, non qvod planè absoluta fuerit tunc ædificatio, sed cum eò usq; esset ædificando perventum, ut qvoqvomodo possent Sacrificia offerre ante consummationem ædificationis, factam dedicationem; posteà verò inter varia impedimenta reliqvam ædificationem vix 40. annis fuisse absolutam. Resp. I. γενικῶς Annorum supputationem in hisce opinionibus toto cælo errare. A primo enim Cyri anno ad 6. vel etiam 9. Darii annum nullâ ratione 46. vel 47. anni numerari possunt. Qvod enim dicunt, Cyrum regnasse annos 30. vel 33. eosq; integrè ponunt, eo ipso gravissimè labuntur. Confundunt enim annos Cyri ut Regis Persarum & Medorum tantum cum annis Cyri Regis Babyloniorum & Assyriorum simul,

mul. Hoc dico: regnavit qvidem Cyrus 30. annos & amplius, ſed in univerſum, ex qvo nimirum primo Aſtyagem avum Regem Medorum & Perſarum devicit, & tandem in expeditione contra Maſſagetas populos Scyticos à Reginâ Tomyri cũ univerſo exercitu ducentorum millium occiſus eſt. Verum enim verò primus ille annus Cyri, qvo Judæis, in captivitate Babylonicâ exiſtentibus, permiſit in patriam regredi, non eſt primus ſimpliciter, ex qvo ſcil. Perſis & Medis imperare cœperit. Qvomodo enim tunc potuiſſet dicere Dominus dedit mihi omnia regna terræ &c. Qvomodo, qvæſo, potuiſſet Judæis in Babyloniâ & Aſſyriâ degentibus libertatem & in patriam reditum indulgere, cum regnum Babylonicum & Aſſyriacum nondum occuparat, ſibiq; ſubjecerat? Sed primus hic Cyri annus numerandus eſt, ex qvo Babyloniis & Aſſyriis debellatis, omnibus illius Monarchiæ regnis & provinciis expugnatis & ordinatis, ejusmodi potuit edictum promulgare. Sic ait Cyrus Rex Perſidis, omnia regna terræ tradidit mihi Jehova cœli, & ipſe commiſit mihi, ut ædificem ſibi domũ Jeruſchalaimis, qvæ in Jehuda; qvis inter vos de toto populo ejus eſt? Sit ejus Deus cum eo, & aſcendat Jeruſcalaima & ædificato &c. 2. Chron 36 v. 22 23 & Eſr. c. 1. v. 2. 3. Qvæ ipſa Cyri promulgatio facta eſt anno 4. ante miſerum ejus in Scythiâ interitum. His ſi adjeceris 6. Cambyſis annos (2 enim annis Cambyſes unà cum Patre Cyro regno præfuit) & 6. Darii, habebis ſaltem 16, annos, neqvaqvam verò 46.

Reſp. II. ἐνδικῶς 1. ad opinionem 3. Eam omni carere fundamento. Nam in qvo Scripturæ S. loco exſtat abſolutionem Eſr. c. 6. v. 14 15. de parte ejus interiori intelligendum, integrum autem templum cum omnibus partibus & ornamentis interioribus & exterioribus non ante 9. Darii annum abſolutum? Reſp. 2. ad opinionem 4. Verba controverſa non dicere 46. annos fuiſſe elapſos, antequam reſtaurandi juſtum initium fecêre, ſed tot annos ædificando fuiſſe conſumptos. Reſp. 3. ad opinionem 5. Factam templi dedicationem ante extructionis abſolutionem, & 40. annos effluxiſſe, priusqvam templum perficeretur, dicitur præter, imò contra Scripturam. Ea diſertè teſtatur, reduces & ædificaſſe de ſententiâ Cyri & Darii & Artachſaſthæ Regis Perſidis. Et finitum fuiſſe domum ad diem tertium Adar, qvum eſſet annus 6. Darii Regis, & non multò poſt etiam factam dedicationem. Eſr. c. 6. v. 14. 15 16. 17.

VI. Con-

VI. Constantinus L'empereur arbitratur à primo Cyri anno, qvo per totam regnans Asiam copiam fecit Judæis templum ædificandi usq; dum per Xerxem opus impeditum fuit, excurrisse 46. annos, qvibus ædificatum est templum, qvamvis interea varii varia molirentur: & ad hos 46. annos respicere Judæos putat. Resp. 1. Hac ratione Judæi præteriissent annos, qvibus sub Dario Notho vel maximè floruit templi structura, partim ingenti fervore & alacritate universi populi à Prophetis divinitus excitati, partim subsecutâ mox plenâ Regis Persici concessione, & liberali mediorum suppeditatione; qvibus etiam Domus Dei à vastitate (ab Haggæo enim tum dicebatur חָרֵב vasta &, ut rectè D. Ioh. Tarnovi. explicat, solitudine sqvalens) vindicata fuit & exædificata; qviq; propterea, vel soli κατ' ἐξοχὴν, ædificationis anni dici possint. 2. Nec primo Cyri anno statim, sed demum tertio, qvi est secundus in Palæstinam reditus, ædificatio hæc cæpit. Ut nil jam dicam, qvod mox impedita temporibus Cambysis & Smerdis cessarit. Qvos annos si detraxeris, numero 46 multum deceder.

VII. Puto ego verbis istis Judæorum sæpius dictis, significari 46. annos, qvibus templum ajunt ædificatum, non continuos & cohærentes, id enim extra dubium esset falsum; sed nonnunqvam interruptos & disjunctos, vel denotari totum illud tempus cæptæ & repetitæ ædificationis usq; ad consummationem ejus, detracto intermedio tempore, qvo distinctis vicibus ab ædificatione & opere fuit cessatum. Sic itaq; anni erunt subducendi. Anno 3. Cyri vel 2. reditus Israelitarum ex captivitate Babylonicâ, fundamenta templi ponunt. Esr. 3 v. 7 8. 10. Mox impediuntur & ab opere cessant usq; ad imperium Darii Hystaspis. Esr. 4. v. 1. 2. 3. 4. 5. Defuncto enim Cambise & paulò post trucidato Smerde Mago, Judæi ad opus redeunt, inq; eo, socorditer licet & remissè satis, ob neqvitiam Samaritanorum usq; ad 36. annum Darii Hystaspis, qvi idem est primus Xerxis. Tum enim, qvod Ægyptii à Persis defecissent, & Judæi ob vicinitatem suspectæ Persis essent fidei, frigidam suffundentibus Samaritanis. Esr. c 4. v. 6. regio edicto ædificatio interdicitur. Cessat igitur rursus templi structura usq; ad annum Xerxis 14. Cum enim tunc intercessione Estheræ Reginæ Xerxem sibi Judæi nanciscerentur propitium, ac Mardochæi potentiam & authoritatem, qvâ apud Ahasverum pollebat, reformidarent

rent Persarum præfecti, opus ædificationis repetunt Iudæi, & in eo pergunt 7. annis, dum Xerxes fuit in vivis & amplius ½. sub Artaxerxe. Qvod autem interfecto Xerxe vel Ahasvero, Ægyptii mox deficerent, ejectisq; Persicis Præsidibus, Inarum Psammetichi filium Regem facerent, Samaritani hac oblatâ occasione Iudæos accusant & suspectos reddunt, ac paulò post ab Artaxerxe jussi vi armatâ ab ædificatione templi & murorum urbis qviescere cogunt. Esr. c. 4. v. & seq. Elapsis autem 41. annis, qvibus opus cessarat, a Prophetis Haggæo & Zacharia excitati opus resumunt die 24. mensis 6. anni 2. Darii Nothi, & die 3. mensis 12. anni sexti Darii ineuntis absolvunt spatio 4. annorum & dierum plus minus 157. Colligamus jam annos, ut pote 35. Darii Hystaspis, 7. Xerxis ½. Artaxerxis. 3. annos & Dies 157. Darii Nohi, & erit summa 46. annorum, minus 26 diebus. Adde tempus, quo fundamentum templi jactum fuit, & res erit expedita.

Obj. 1. Non agere Judæos de templo Zorobabelis sub Dario exædificato, patet ex ἐμφάσει verborum. Ita enim ajunt Judæi: 46 annis exstructum est ὁ ναὸς οὗτος templum ipsum: digitum quasi intendentes in templum ab Herode magnificentissimè amplificatum, & exornatum, in qvo tunc versabantur & cujus postmodum splendorem & magnificentiam discipuli summâ cum admiratione Christo ostendebant. Matth. c, 24. v. 1. Marc. c 13. v. 1. & Luc. 21 v 5.

Resp. Judæos non nisi duo templa agnoscere: primum à Salomone magnificentissimè ædificatum, qvod à Nebucadnezare Rege Babyloniorum destructum & exustum fuit, 2 Reg. 25. v. 9. & 2. Chron. 36. v. 19. alterum post captivitatem Babylonicam à Zorobabele & Josua inter varia impedimenta tandem extructum. Et qvamvis hoc ipsum templum Zorobabelicum ab Herode Rege Judæorum à fundamentis fuerit sublatum, ac novum ampliori ambitu & majori altitudine augustius & magnificentius instauratum, ut tertium appellari posse videatur, Judæi tamen inter templum Zorobabelicum & Herodianum discrimen non agnoscunt, sed utrumqs pro uno eodemqve habent. Probat id M. Johannes Fridericus Heilbrunnerus in disputatione qvadam de 70. Hebdomadibus Danielis, sub præsidio Excellentissimi DN. Johannis Georgii Dorschæi Argentorati anno 1651 habita, multis testimoniis ex Judæorum depromptis scriptis §. 38.

Qvæ-

Qvæstio 6.

Quo anno Juliano Herodes Magnus vitâ excesserit?

Resp. Variant & hic autores I. Dn. Keplerus, Dionisius Petavius volunt Herodem decessisse anno Juliano 42. P. J. 47 0. II. Scaliger, Calvisius & alii censent, eum obiisse anno Juliano 45 P. J. 4713. III. Wilhelmus Langius verò disputat Herodem è vitâ migrasse anno Juliano 44. P. J. 4712. Qvam sententiam, ut veriorem, amplector. Sit igitur.

ASSERTIO I.

Herodes non est mortuus anno P. I. 4710. *Juliano* 42. Qvia 1. hac ratione saltem regnasset 35. annos completos & unum vel alterum mensem. Nam Rex declaratus est Romæ anno juliano exeunte 6. qvi est Per. Julian. 4674. Mundi 3966. Ergo 36. ejus annus cæpit anno Juliano 41. exeunte. Qvod si igitur vitam deposuit anno Iuliano 42. ante Pascha, seqvitur non nisi 35. annis & mensibus 2. vel 3. regno præfuisse, At hoc est contra Iosephum, & Egesippum; qvorum ille lib. Antiq. 17. c. 10. &. 1. de bell. Iud. c. 21. hic verò l. 1. c. 45. Herodi Idumæo assignant annos regni 37. ex qvo á Romanis Rex est declaratus.

Obj. 1. Eclipsin brevi ante mortem Herodis contigisse Iof. l. 17. Antiq. c. 8. Ea autem illo Iuliano 42. P. I. 4710. accidit 12. Martii horâ post mediam noctem 3. Hierosolymis. Resp. 1. Eclipsin hanc huc non spectare. Contigit enim plenilunio Adar, adeoq; 30. saltem diebus ante Pascha, qvod incidit in 11. April At Herodis ante obitum, qvæ facta à Iosepho narratur Eclipsis, pluribus à Paschatis festo diebus omnino necesse est abfuerit. Refert namq; Iosephus post illam morbum Herodis in dies incrementa sumsisse, variisq; symptomatibus cum fuisse exagitatum. Herodes autem longioris vitæ avidissimus medicos acciri, & undiq; medicamentum apportari jubet; sed omnibus illis frustrà usus, tandem, ut ait Iosephus, l. 1. ἁλωσ. c. ult. trans Iordanem in thermas apud Calliroen deportatur, &, cum nec illæ levamento essent, de Medicorum consilio in vas calidi plenum olei dimittitur, sed eo eventu, ut toto resolutus corpore, oculos torqveret, ceu jam animam exhalaturus. Clamoribus itaq; medicorum excitatus, desperatâ salute, amicis militibusq; donaria liberaliter distribui

 man-

mandat,eoq; facto,Hierichuntem reportatur,ubi cum cû icterus mortis nuncius invaderet, ira percitus, Iudæos qvosq; clarissimos ex toto regno sub capitis pœnâ evocatos, loco qvi appellatur Hippodromus, includi jussit, & sorori Salome ejusq; marito Alexæ præcipit, adhibitis precibus, mixtisq; lachrymis,ut Iudæos prædictos ad unum omnes, vitâ ubi abiisset, militum jaculis configerent, ne subditi morte suâ lætarentur, sed eam potius lugerent. Mox literis Româ ab Augusto Cæsare missis exhileratus se paululum recolligit, sed brevi redeunte dolore, sibimet ipsi cultro vitam abrumpere conatus ab Achiabo nepote manum tenente impeditur. Oritur hinc in totâ aula tristitia & ululatus. Qvo audito Antipater, qvi erat in vinculis, ratus patrem vitâ emigrasse, cum custode de liberatione agit. Hoc resciscens Herôdes iracundiâ exardescit, & mox per missum satellitem Antipatri spiritum eripit, testamentum suum immutat, & 5 die post ad inferos descendit. Qvo facto Salome & maritus Iudæos inclusos liberos domum dimittunt, mortem Herodis aperiunt, milites congregant, ejusq; defuncti ad eos scriptas literas primò dein testamentum prælegunt, qvi Archelao futuro Regi gratulantur, & omnia prospera à Deo precantur. Posthæc Archelaus omni studio, qvæ ad exeqvias qvam honorificentissimè & splendidissime faciendas, spectare videbantur, parat, & tandem omnibus paratis magnificè patrem sepelit. Lectica namq; elatus est aurea, variis distincta gemmis & instrata purpura. Corpus purpura indutum, imposita capiti coronâ. Lecticam stipabant filii & cognati. Hos seqvebantur milites per ordines distributi. Atq; ea pompa processit Herodium usq; 200. illinc stadiis distitum. Inde reversus Hierosolymam Archelaus 7. dies juxta divinas leges parentem luxit, inq; fine luctus, funebri epulo plebi dato, in templum ascendit. Ibi plebem qvam humanissimè alloqvitur, sacrificioq; peracto discedit. Oritur intereà magnus tumultus ob interemptos Doctores legis. Hujus concitatores lenibus sedare conatus verbis Archelaus, magis irritat,qvi paulò post propter Paschatis festum numero aucti tribunum ad se missum repellunt. Hoc audito Archelaus immissis peditibus & eqvitibus 3000. ex iis occidit. Hic si tempus cuivis rei necessarium rimatus fueris, & computaveris, pervenies non ad diem 30. sed vel ad 50. certè adminimum ad 40.

Obj 2. Archelaum, qvi patri Herodi in regno successit, in Galli-

Galliam fuisse relegatum anno Iuliano 51. regni 10. incunte, testibus Josepho & Dione. Si jam ab 51. auferantur anni 9. cum parte 10. remanet 42. Iulianus, cujus initio Herodes decessit. Resp. Archelaum anno Iuliano 51. relegatum fuisse Iosephus non dicit. Qvod vero anno 10. regni id factum sit, id qvidem habet l. 17. Antiq. c. 15. Verum l. 3. ἁλώσεως c. 11. erratum, vel memoriæ hunc lapsum corrigit, & expressè dicit, anno 9. regni ejus id accidisse, qvam sententiam, ut veriorem, & Egesippus cordatus & accuratus Scriptor l. 2. cap. 3. seqvitur.

Regeris: Dio tamen asseverat anno 51. Iuliano relegatum Archelaum.

Resp. 1. Dici posse Dionem, ut in nomine, ita etiam in anno errasse. 2. Iudæos extremo 51. anno Iuliano Archelaum accusasse apud Cæsarem, qvi Procuratori illius ad se accersito dixit: Vade & adduc illum qvam celerrimè. Dum ita ille in Iudæam iter meditatur, Cæsar de Præside illuc mittendo statim cogitat, qvi pecuniam Archelai in Romanorum fiscum inferret, censumq; ageret, atq; mox Qvirinium in Iudæam mittit. Archelaus à procuratore suo de voluntate Cæsaris certior factus, statim iter ingreditur, & ineunte anno 52. Iuliano, principatus verò 9 regnũ relinqvit, & illud numqvam repetit. Ioseph. l. 17. c. 15. Qvirinius post Archelaï abitum mox in Syriam & Iudæam venit, & bona Archelai in fiscum infert censumq; agit. Evenère hæc anno 37. à victoriâ Actiacâ exeunte, qvi ipse 37. annus finem suum habet 52. Iuliano 2. Septemb Dicimus igitur Dionis testimonium respicere illud tempus, qvo ab Augusto de Archelao relegando decretum est, qvod 51. anno Iuliano factum, qvo etiam mox Qvirinium Iudææ Præsidem constituit.

Obj. 3. Idem ex historiâ Philippi demonstrari. Is dicitur mortuus anno 20. Tiberii, anno principatus 37. Ioseph. l. 18. c. 6. circa finem. Si jam ademeris à 78. 37. remanet 42. Iulianus, cujus initio Herodes decessit.

Resp. locum hunc Iosephi in mendo cubare Scaliger censet, qvod verum est, & ex ipso Iosepho demonstrari potest. Postqvam enim dicto c. Iosephus narrarat Vitellii in Siriam adventum, literasq; à Tiberio ad hunc missas de pace cum Artabano Parthorum Rege faciendâ, subjungit, tunc etiam Philippus Herodis frater vitam finivit. Iam au-

tem anno 79. Juliano, in qvo die 19. Augusti, 20. Tiberii annus terminatur, Consulatum cum Paulo Fabio Persico, gessit L. Vitellius Nepos. Seqventi anno, Consulibus C. Cestio Gallo & M. Servilio Rufo Noniano nobiles Parthi in urbem venerunt Phrahaten Regis Prahatis filium Româ poscentes. Sed hoc Paulò post apud Syriam morte absumpto, Tiberius Tiridatem sangvinis ejusdem, æmulum Artabano, reciperandæq; Armeniæ Hiberum Mithridatem deligit, & cunctis, qvæ apud Orientem parabantur L. Vitellium præfecit. Tacitus annal. l. 6. p. 231. Exeunte igitur anno Juliano 80. Vitellius in Syriam venit. Anno 81 autem, cum Hierosolymis esset, literas Tiberii de pace cum Artabano faciendâ accipit. Post hoc tempus, ut ex Josepho patet, Philippus obit. Non igitur anno 20. Tiberii, sed 22 qvi cæperat 19. Augusti anni Juliani 80. qvem numerum (22) Ruffinus expresse habet.

Obj. 4. Philippus, inqviunt, tetrarchiam adeptus in honorem Juliæ Augusti filiæ civitatem ædificavit. At illa relegata est anno 44 Juliano, cum summâ Augusti indignatione. Ergo ante annum 44 Philippus tetrarchiam assumpsit. Resp. Anno Juliano 44. exeunte Consulibus Cæsare Augusto decimum tertium & C. Caninio Gallo (qvi, Vellejo innuente, circa finem anni M. Plantio Sylvano suffectus est) Juliæ Augusti filiæ turpissima vita (Eò enim lasciviæ progrediebatur, ut in ipso foro & rostris nocturnas compotationes ageret, & nihil, qvod facere aut pati turpiter posset, omitteret) Augusto cum innotesceret, in Senatu id ipsum proposuit. Exeunte igitur anno Juliano 44. accusatur, & condemnatur, ineunte verò anno 45. Juliano in Insulam Pandatariam, Campaniæ vicinam, relegatur, matre Scribonia eam sponte in exilium comitante. Philippus igitur nactus tetrarchiam, mox post Pentecosten anni Juliani 44 in Judæam reversus in honorem Juliæ, qvæ tum adhuc florebat, civitatem condidit; majori verò infortunio ejus anno 45. ineunte, nomen civitatis mutare non est ausus, cum filius ejus in Syriâ potens non procul abesset. confer Vell. Pat. l. 2.

ASSERTIO II.

Herodes non decessit anno P. J 4713. Juliano 45. Qvia si illis non regnasset 37. annos, ut tamen Josephus duobus in locis, scil. de bello & Antiq. & Egesippus perspicuè docent, sed 38 annos Julianos cum

tum parte 39. 2. Archelaus etiam non nisi 7. annos & menses qvosdam regno præfuisset, qvod itidem Josepho & Egesippo est contrarium.

Obj Eclipsin Lunæ, qvæ facta horâ primâ post mediam noctem, die 10. Januarii, eamq; putant esse illam, qvam, Josephus refert, contigisse non multò ante mortem Herodis.

Resp. Posterius hoc nullo modo probari posse. Contra pugnat historica ratio, qvæ Herodi non 38. sed 37. annos assignat. Eclipsis igitur, cujus meminit Josephus, non accidit anno P. J. 4713. sed 4712. qva de mox pluribus.

ASSERTIO III.

Relinqvitur ergo Herodem è vitâ migrasse anno P. J. 4712. *anno Juliano* 44. Ita enim omnia reliqvis opinionibus adversa rectissimè se habent.

Si *objeceris* anno 44. Juliano nullam Lunæ Eclipsin Hierosolymis factam, qvod tamen testatur Josephus.

Resp. Ostendit doctissimus Langius etiam hoc anno, tempore obitum Herodis brevi antegrediente, Eclipsin Lunæ fuisse, licet Hierosolymis & in Judæâ videri neqviverit, qvod neq; etiam Josephus asserit. Liceat mihi hic ejus verba adducere: Non dicit Josephus, Eclipsin eâ nocte in Judæâ aut Hierosolymis visam fuisse, sed tantum eâ nocte contigisse Eclipsin. Ubi verò visa, illud non indicat. Qvippe maximam partem eorum, qvæ de Herode prodidit, ex Nicolao Damasceno descripsit, à qvo hunc Characterem deprompsit. Is enim cum notasset morbum Herodis, post Sophistarum mortem, aggravatum esse &c. unaq; subjunxisset, vulgus id pœnam Numinis ipsi ob interfectos Sophistas, inflictam credidisse: rejectâ ea opinione, aliam ex ipsa natura depromptam proposuit, Eclipsin nempe Lunæ eadem nocte factam, qvæ qvidem non illic solum, ubi visa est, sed etiam alibi, præsertim in vicinis locis, vires exserebat. Contigit verò Eclipsis Lunæ anno 44. Juliano, Januarii 20, cujus finis Arbelis visus est, ac in locis orientalibus medium, sicut ex calculo patet. Defecit verò Luna, digi 7.33. Incepit deficere Arbelis horâ post. merid. 4. 8. finita est 5. 8 qvadrante fere horâ post solis occasum. Ideoq; commodè illic propter refractionem 33. scrup. visa fuit. Atq; huic Eclipsi,

qvam

qvam eodem tempore contigisse Nocolaus ab Asyriis audiverat, effecta illa graviaq; symptomata, qvæ Herodi contigerunt, tribuit. Huc usq; Clarissimus Lang. l. 2. c. 18 p 351.

Qvæstio 7.

Qvonam anno Periodi Julianæ Salvator natus sit?

Resp. Maxima etiam hic inter ipsos, ut de Veteribus non dicam, Neotericos opinionum est diversitas, qvibusdam justo citius, qvibusdam verò serius Christi æram figentibus, qvibusdam deniq; rectissimè sentientibus. I. Serius Christi nati annum ponunt. 1. Autor Æræ vulgaris, qva de actum Part. 1. lib. hujus 1. Sect. 5. membro. 10. 2 M. Henricus Buntingius. Censet enim Salvatorem natum anno P. J. 4712. Huic obstat, qvod Christus hac ratione natus fuisset Herode dudum mortuo, qvod est contra Matth. c. 2. v. 1.

II. Citius justo Christi æram figunt 1. Rever. & Clar. Hainlinus, qvi Christum natum dimicat anno P. J. 4707 Verû de hac opinione post peculiari qvæstione pluribus. 2 Dn. Keplerus Christî nativitatem ponit in annum P. J. 4708 3. Dionysius Petavius χρονογονίαν figit in anno P. J. 4709. His duabus opinionibus (Kepleri & Petavii) opponitur authoritas Evangelistæ Lucæ, asserentis, Salvatorem baptizatum, cum esset annorum circiter 30. Qvi enim annos 34. vel 33. natus est, de eo sine insigni ἀκυρολογίᾳ dici non potest, ipsum esse circiter 30. annorum. Non enim tam laxa vocabulo ὡσεὶ significatio affingi debet vel potest. Sed de hoc etiam post pluribus.

III. Mediâ via incedunt Illustris Scaliger, Sethus Calvisius, Wilhelmus Langius, & multi alii, qvi arbitrantur Dn. Jesum natum anno P. J. 4711. Juliano 43. exeuntibus. Et hanc ultimam sententiam veritati reor omnium esse proximam. Etenim hæc sola cum Evangelistis Matth. c. 2. v. 1. & Luc. c. 3. v. 23. & cum historia Herodis, qvâ de Josephus, qvæ reliqvis opinionibus adversantur, egregie convenit.

Qvæstio 8.

An Christus in lucem sit editus anno P. J. 4707. sexennio ante Æram vulgarem?

Resp. Negamus. Qvia Evangelista Lucas testatur, Salvatorem, cum baptizaretur, fuisse circiter 30. annorum. At si adversa sententia vera esset, non dixisset circiter 30. sed 34. annorum. Er-

Excip. Particulam ὡσεὶ hic occurrere, qvæ etiam dubitativa sit, & laxitatem aliqvam calculi admittat. R. ὡσεὶ hic dubitandi particulam esse non posse, cum ipse Spiritus S. hîc eâ utatur. Homines qvidem dubitativè efferre solent, qvæ vel ipsi adeò præcisè cognita non habent, vel etiam ad audientium & legentium cognitionem non pertinere arbitrantur. Verùm Spiritum S. in & per Lucam loqventem Christi βαπτιζομένου ætatem non habuisse exactè perspectam, vel eam studio, qvod Ecclesiæ ejus cognitio non conveniret, eapropter, particulâ dubitativâ & laxitatem admittente adhibitâ, obnubilasse & involvisse, vix ac ne vix qvidem salvâ pietate asseverari posse videtur. Si etiam certum tempus Spiritus S. determinare noluisset, utiq; incisum hoc, ceu otiosum, omisisset. Ut igitur ipse Spiritus S. non dubitat, aut errat, ita nec pios dubitare, aut errare facit, sed certos potius reddere studet de rebus revelatis. Assertivè igitur particula ὡσεὶ hîc acceptanda est, & qvidem ita, ut indicetur Christum, cû baptizaretur, fuisse annorum 30. non qvidem præcise, sed circiter, hoc est, complevisse illum prætereà de 31. anno aliqvot menses, non tamen complevisse 31. annum, multò minus autem annum 32. vel 33. Id enim nullatenus verba Evangelistæ admittere possunt.

Obj. 1. Annus P.I. 4707. est is, de qvo Gabriel apud Danielem c.9.v.25. longè antè vaticinatus est, qvod Christus in eo esset nasciturus. Ita enim loqvitur: ab emissione verbi de instaurandis Hierosolymis (qvod emissum fuit anno 2. Darii Nothi P.I. 4293. die 25. Decemb.) usq; ad Christum Principem sunt hebdomades 7 (hoc est, anni 49.) hebdomades 62. (hoc est anni 434.) & reædificabitur platea & murus urbis Hierosolymorum: Ubi notandum constitui ab Angelo, unum Terminum A qvo nempe emissionem edicti Regii de restaurandâ urbe, duas autem hebdomadum series, nempè 7. & 62. duos item terminos Ad qvem, nimirum reædificationem urbis & Christum venturum. Cùm igitur omnium consensu prima hebdomadum series designet restaurationem urbis 7. hebdomadum sive 49. annorum spatio absolvendam (qvos annos 49. non vulgares, sed mysticos dico, qvi vulgares faciunt 46. explicantibus ita Iudæis Ioh. 2.) qvis dubitet, qvin altera annorum series ab eodem edicto numeranda nempe annorum 434 (non vulgarium sed mysticorum) alterum terminum ad qvem, nempe adventum Christi denotet. Si qvis jam numeraverit tot annos ab anno 2. Darii Nothi-

perveniet ad suprà constitutum annum. Resp. Multa hic non immeritò desiderari. Qvædam ad rem spectantia notabo. 1. Plurima supponuntur ceu vera & antè evicta, qvæ tamen pensiculata, talia non esse deprehenduntur. Videlicet 1. annos dictos Mysticos dierum 343, &c. in Sacris literis fundari, cujus tamen contrarium part. 1. l. hujus 1. est demonstratum. 2. Sumitur, hebdomades 70 hasce à Darii Nothi anno 2. initium capere, qvod tamen ita se non habet, utut Scaliger, Calvisius & qvi hos seqvuntur, ita statuant. 3. De terminis duobus ad qvem, qvod additur, vero non est consonum. Ædificatio enim plateæ & muri, non est, neqve accuratè dici potest terminus ad qvem 7. hebdomadum, ut Dn. Hainl. vult. Si enim restauratio illa urbis absolvenda est septem hebdomadum vel 49. annorum spatio, uti hic censetur, utiq; Sole meridiano clarius est, ædificationem illam nec esse, nec dici posse terminum *Ad qvem* 49. illorum annorum. 4. Spectare instaurationem hanc platearum & murorum, licet maxima pars Interpretum ita arbitretur, ad primum intervallum vel ad 7. hebdomades, inq; iis absolvendam, concedere neqveo. Diversum namqve interpunctatio Hebræo in textu, qvæ apparet, ut in qvæstione suprà de 70. hebdomadibus pluribus est disserutm, svadet. 5. Verbis עַד־מָשִׁיחַ נָגִיד usq; ad Messiam Principem, non designatur, uti Antagonista statuit, tempus adventus vel nativitatis Christi; sed ex qvo ministerio suo in terris, docendo & miracula faciendo, functus est. Eqvidem Dux & Princeps erat à primo conceptionis momẽto; veruntamen ut Ducem & Antecessorem populi se nondum gerebat, sed sibi vivebat, usq; dum cælitus de ipso jam baptizato Pater eloqveretur: Hic est filius meus dilectus &c, Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Joh. 1. v. 32 33. Probatur id indè, quod Angelus Dan. 9. in septimanam 70. vel ultimam conferat illa, qvæ ejus Baptismum & in augurationem secuta sint: nimirum qvod multis fœdus roboraverit una hebdomade & in mediâ illâ sacrificia & n unus cessare fecerit. Resp. II. Etiamsi omnia præfata verissima concederemus, non tamen bellè se res haberet. Nam supputatio non qvadrat. Hebdomades enim illæ 7. & 62. faciunt annos 483. vulgares, mysticos verò juxta autoris hypothesin, 453. annos & 211. dies. Alligemus jam illos 2. Darii Nothi anno P. J. 4293. & videbimus terminari anno P. J. 4747. Illo autem Christus non est natus, sed 36. ferè antè.

Rege-

Regeritur: Numerum 62. bis apud Danielem poni, idq; eâ sanè causâ, qvod hebdomades illæ 62. bis sint numerandæ, semel ab edicto regio (anno 2 Darii) ad adventum Christi, alterâ vice, à temporibus difficilimis restauratæ urbis, usq; ad passionem & mortem Christi, ad qvem posteriorem terminum *A qvo*, nempe tempora difficilima restauratæ urbis, etiam vox achare, post, digitum qvasi intendit.

Resp. 1. Vel nuda textus Angelici inspectio edocet primò numerandas 7. illas hebdomades, postmodum, elapsis illis, 62. succedere debere; nullomodo verò consistere posse adversæ partis opinionem, qvæ *semel* numerat 62. hebdomades à 2. Darii anno vel initio 7. hebdomadum, *secundâ vice* à fine 7. harum septimanarum. Nec enim 1. vel hili est, qvod dicitur, numerum 62. bis poni. Qvæ enim est coseqventia? Numerus 62. bis ponitur. Ergo 62. hebdomades bis sunt numerandæ, semel ab edicto Darii ad Christi adventum, deinde à temporibus difficilimis vel à fine 7. hebdomadum ad Christi passionem. Nulla. Non enim propterea numerus 62. repetitur, ut bis septimanæ illæ 62, numerentur, sed, qvia novum qvid erat edisserendum, qvod non nisi elapsis illis 62. septimanis eventurum esset, ut verba Angeli vel medicori diligentiâ, citra tamen præjudicium legenti liqvidò apparebit. Ubi enim dixerat: Scito & prudenter adverte esse 7. hebdomades, & hebdomades 62. (*qvibus*) denuò instaurabirur platea & murus, & qvidem in angustiâ temporis v. 25. mox subjungit: Et post has septimanas (וְאַחֲרֵי הַשָּׁבֻעִים) 62. excindetur Messias &c. Ejusdem farinæ est. 2. illud, qvod affertur de achare. Nam אחרי post, immediatè cohæret cum hebdomadibus 62. & conseqventer intendi digitum ad angustiam temporis, in qvâ platea & murus restaurabuntur, conceditur, sed erratur in eo, qvod putatur plateam & murum in primo intervallo 7. hebdomadum, vel 49. annorum, reædificata & qvidem in angustiâ temporis, de qvo antè non semel. Præsupponitur deniq;, qvod excisio, vel mors Messiæ, immediate citra ullius temporis interventum, finem 62. septimanarum insecuta sit, qvod itidem à vero est alienum, ut in qvæstione de 70. hebdomadibus pluribus dictum.

Resp. 2. Posito, sed non concesso, computationem Dn. Antagoni-

gonistæ probam esse, calculus tamen probè non decurrit. Nam 62. hebdomades, vel 434. anni mystici, ex sententiâ adversæ partis, faciunt annos vulgares 407. dies 2?5. Hos si addideris anno 2. Darii, vel P. J. 4293. (juxta Dn. Hainlini supputationem) apparebit finem eorum incidere in annum P. J. 4701, & qvidem in 17. Julii, non verò in 25. Decemb. anni P. J. 4707.

Respon. Etiamsi Christus non in ipsâ 62 hebdomade, sed in currente 63. sub cujus finem Christus natus est, id tamen calculo nihil derogat. Nam numerat hîc Angelus analogicè per hebdomades & qvidem annorum, analogiâ ab hebdomadibus dierum desumpta, Sicut ergo rectè dico: à Paschate ad Pentecosten sunt 7. hebdomades completæ scil. Etsi Pentecostes festum non in septimam, sed seqventem octavam currentem hebdomadem incidat; Ita etiam rectè dicitur, usq; ad adventum Christi numerandas esse ab edicto Darii 62. hebdomades annorum completas, etiamsi Christus in seqventi hebdomade 63. currente demum natus sit. Similiter ut rectè dicitur, à Paschate ad Pentecosten esse dies 49. etsi 50. demum die festum celebretur: Sic dici potest ab edicto Darii ad natum Christum esse 62. dies magnos periodi Jubilææ, qvamvis 63. tali die demum in lucem fuerit editus.

Resp. 1 Si accurate calculos subduxeris manifestum erit tempus nativitatis Christi, juxta antagonistæ supputationem, incidere in ultimum qvadrantem anni septimi hebdomadis sexagesimæ tertiæ. Ut igitur magna esset ἀκυρολογία, si qvis diceret, hoc vel illud factum 7. exactis septimanis, cum tamen non nisi circa finem ferè 8. hebdomadis, vel etiam circa qvartam & ultimam partem ultimi diei septimanæ illius octavæ: ita maxima foret ἀκυρολογία (qvam absit, tanto legato ipsius Dei nomine loqventis tribuamus) si Angelus prædixisset 62. hebdomades effluxuras ad Christi adventum, vel qvod idem est, 62. elapsis hebdomadibus, Christum nasciturum, cum non nisi ultimo qvadrante jam fluente ultimi & septimi anni 63. hebdomadis, in lucem fuisset editus. 2. Collatio similium adversam sententiam non juvat. Ut enim rectè dico à Paschatis festo ad Pentecosten sunt 7.

heb-

hebdomades. Etsi Penteoste non in septimam, sed mox in primam diem seqventis octavæ septimanæ incidat: Ita etiam rectè dicitur, usq; ad Christi adventum numerandas esse 62. hebdomades Sabbaticas annorum completas, etiamsi Christus in primo anno seqventis 63. hebdomadis demum natus esset. Malè autem & falsò dicerem, à Paschatis festo ad Pentecosten sunt 7. hebdomades dierum, si festum Pentecostes non incideret in primã, sed in ultimam octavæ hebdomadis diem: Ita falsò & ἀκυρολόγως diceretur; 62. numerandas esse septimanas Sabbaticas ad Christi adventum, si is evenisset demum ultimo vel septimo anno, & qvidem ferè circa finem, hebdomadis 63. Analogia de Jubilæis allata eodem modo fallit. Dein hebdomas hic non est Jubilæa, ubi integrum septennium instar unius diei esse dicitur; sed ut omnes agnoscunt, & res ipsa clamat, Sabbatica saltem, 7. scil. annorum, ut propterea analogia hinc fabricata contra nostram sententiam in fumos abeat. Patet igitur probationem hanc non continere ἀπόδειξιν, sed συμπλοκὴν multarum hypotheseum, partim falsarum, partim dubiarum, qvæ probatæ nondum firmiter sunt, nec etiam probari unqvam possunt.

Obj. 2. Matthæum c. 1. numerare ab Abrahamo ad Christum tres tessaradecades, hoc est, ter 14. generationes. Et cum patrum avorumq; secundâ tessaradecade plures qvam 14. essent, eos potius omittere, qvam Tessaradecadem disturbare voluit. Hujus causam, qvam mysticam aliqvam esse, etsi omnes agnoscunt, nemo tamen huc usq; divinare potuit, qvæ nunc post detectos annos mysticos in clarâ luce posita est. Nam Scripturam Sacram per generationem patrum tempora determinare nemo est qvi nescit. Tribue cuivis generationi periodum Jubilæam (qvæ seculum vel ævum dicitur Exod. 21. v. 7.) sive 49. annos mysticos, & videbis ab Abrahami vocatione ad Christi nativitatem te pervenire.

Resp. 1. Generationem hîc notare tempus nondum est probatum. Qvod enim dicitur patrum generationem in Scripturis S. determinare patrum tempora, id negotium non conficit. Rarò namq; id fieri deprehendes & fortè Gen. 15. v. 16. Sæpius autem denotatur saltem patrum ortus, origo & propagatio ut Ruth. c. 4. v. 18. 1. Chron. 1. v. 28, Gen. 5. v. 1, & seqv.

2 Posito generationes hîc Matth c. 1. notare patrum tempora, qvomodo demonstrabitur mox Jubilæum sive 49. annos significari? Ut jam nihil dicam hic iterum supponi annos mysticos 343. dierum ceu veros, de qvibus tamen S. Sacra altum silet. 3. Non posse autem hic generationem designare tempus annorum 49. mysticorum, vulgarium vero 46. facili negotio ostendi, & qvidem invictè potest. Si enim computationem cæperimus à vocatione Abrahami, undè adversa pars primam generationem orditur Matth. 1 & numeraverimus ad secundam generationem, qvæ initium ducit à nativitate Isaaci, apparebit, non fluxisse 46. sed 30. saltem annos vulgares. Similiter secunda generatio ad Isaaco ad Jacobum non est annorum 46. sed 60. Nam Isaacus jam 60. annos natus demum genuit Esavum & Jacobum gemellos. Ita & tertia generatio non est 46., sed 88. annorum. Nam Jacobus Judam ex Leâ sustulit natus 88 annos. Sic Judâ, qvando cum Patre Jacobo in Ægyptum descendebat, erat 42. annorum. Licet igitur certò sciri neqveat, qvo ætatis anno Peretz filius ejus mundum introjerit, id tamen extra dubium est longè ante descensum in Ægyptum ipsum fuisse natum. Qvarta itaq; hæc generatio non est 40. annorum, nedum 46. Accedit qvod Peretz, anteqvam cum patre Judâ Ægyptum ingrederetur jam duos filios Chetzronem & Chamul progenuerat. Si itaq; annos qvos habuerit, cum generaret, ademeris, numerus ille multum minuetur. Ita & in reliqvis se habet, ut propterea extra omne dubium sit, generationes apud Matthæum non significare vel denotare jubilæum vel 49. annos. Deinde idem liqvet ex integræ tessaradecadis vel 14 generationis συνδομῇ. Faciunt tot jubilæa annos vulgares 644. dies 84. At verò à vocatione Abrami ad Davidem longè plures anni effluxêre. David enim nascitur anno M. 2915. vel P. J. 3623. Abram autem primò vocatus est ex Ur Chaldæorum anno M. 2078. P. J. 2786. Aufer numerum minorem de majori, & videbis tempus primæ tessaradecadis esse annorum, non 644. & dierum 84. sed 837. annorum. Secunda τεσσαρεσδέκας incipit à Davide ad demigrationem Babylonicam vel deportationem Jechoniæ, qvæ facta est anno M. 3405 P. J. 4113. Deme ab his annos P. J. 3623. qvo David natus est, & remanent 490. non verò 644. cum 84. diebus. Videamus & tertiam tessaradecadem. Incipit illa anno P. J. 4113.

4113 adde annos 644. & 84. dies, & finis eorum incidet in annum 4757 At verò Christus natus est juxta supputationem Scaligerianam, qvæ hîc verissima est, anno P. J. 4711. Juxta Hainlinianam verò anno. P. J. 4707.

Obj. 3. Traditio Scholæ Eliæ, qvâ prædictum fuit Messiam filium David venturum Jubilæo 86. Qvæ non in Jubilæis vulgaribus, sed mysticis tantum vera deprehenditur. Resp. ubi demonstratum fuerit, hunc Eliam ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενον fuisse locutum, exstitisseq; divinum Prophetam privilegio non errandi in prædicendo præditum, dispiciemus, qvid responderi possit, qvo nobis illa traditio non sit adversa. Interim sufficiat id, Eliam fuisse hominem errori obnoxium.

Qværitur 9.

Qvo mense Salvator natus sit?

Resp. Sunt hic tres in primis sententiæ. I. Veterum qvidam Christum 19. Maij statuunt natum. II. Calvisius, Scaliger & alii eum in lucem editum asserunt circa initium Octobris finito festo tabernaculorum. III. Alii rectius sentiunt cum maximâ vetustatis parte, Dn. Jesum natum 25. Decemb. Id enim Romani ex tabulis censoriis & publicis Romani Imperii codicibus Ecclesiæ Christi revelarunt. Cum enim Augustus Cæsar breviarium Imperii Romani instituturus mitteret, qvi vniverso in Imperio adeoqve etiam in Judæâ mares omnes notarent, eorumq; qvi infra pubertatem erant, ætatem nomenq; ascriberent, ut constaret, qvo illi, si viverent, tempore Imperio utiles esse possent, etiam Servatoris nostri, qvi circa id tempus mundum hunc introiit, dies natalis nomenq; tabulis illis inscriptum fuit. Has tabulas Romani cum haberent, multiq; Senatorii ordinis homines, qvi aut Christiani erant, aut post facti sunt, eas inspicerent, id post modum Christianis aliis prodiderunt, unde dies ille Romæ ceu Christi natalis celebratus fuit, ac tandem tempore Chrysostomi Constantinopolin ejus notitia delata & alias Orientis Ecclesias ad ejusdē cum Occidente diei observationem invitavit. Confer Chrysostomi sermonem de Natali Domini, & Justinum in Apolog. Nititur ergo hæc veterum sententia non incertis ratiunculis, ut reliqvæ, & conjecturis, sed certissimâ traditione.

Obj.

Obj. 1. Hac ratione Christus natus fuisset in hyeme. Resp. Ita est: qvid inde absurdi vel incommodi?

Obj. 2, Pastores in hyeme cum gregibus sub dio pernoctassent. Resp. Neq; hoc vel tantilli est roboris. Nam 1. certum est in Judæâ hyemem non esse adeo sævam atq; sub hoc polo boreali. Dein Casaubonus & Vossius testantur se in Angliâ circa Christi natalem greges ovium pascentes vidisse. Cui igitur in Iudæâ non multò magis hoc fieri potuisset?

Regeris: homines ibidem minus frigori fuisse assuetos & frigus lene fortius eorum corpora penetrare potuisse. Resp. Qvandoq; hac in terrâ gelidis trionibus subjectâ tam lenis exstitit hyems, ut pastores in agro cum gregibus ovium pernoctarint, vel certè pernoctare potuerint. Qvid igitur obstat, qvo minus & tum temporis in Iudæâ hyems clementior atq; aliàs exstiterit? 2. Annon pastores vestimentis contra frigus se munire vel etiam focum excitare potuerunt?

Obj 3. Census incommodo tempore fuisset exactus. Resp. 1. Ejusmodi descriptioni hyems præsertim lenior non est incommoda 2. Nec Augustus Cæsar parvam illam incommoditatem qvicqvam, qvo minus desiderium mentis suæ expleret, attendit curavitq;.

Qvæstio 10.

An Christus, cum baptizaretur, fuerit tricenario minor, trigesimumq; annum saltem sit ingressus? An vero major tricenario fuerit mensibus aliqvot?

Resp. Negato priori, posterius affirmamus. Qvia 1. Salvator dicitur fuisse ἐτῶν τριάκοντα in genitivo. Hæc autem loqvendi ratio non initium, sed complementum anni designat. Non ergò Lucas indicat Christum trigesimum annum saltem inivisse, sed implevisse.

2. Si verum est, ut omninò est, Christum fuisse passum annò 19. Tiberii, & statuitur eum, cum baptizaretur, nondum complevisse, sed saltem ingressum fuisse trigesimum annum, nullo modo evitari potest, qvin concedatur 4. solidos annos, & qvod excurrit, Christum ministerio functum, atq; idcircò 5. Paschata illo tempore celebrata fuisse, cujus tamen qvinti Paschatis in Evangelicâ historiâ vestigium demonstrari neqvit, neq; hîc contrasentientes id admittere volunt.

3. Qvia Christus natus est anno Juliano 43. exeunte, vivo adhuc Hero-

Herode, qvi anno Juliano 44. ante Paſcha deceſſit. Si igitur Salvator ineunte 30. ætatis ſuæ anno fuiſſet baptizatus, utiq; 14. Tiberii anno adhuc currente baptizatus eſſet, qvod nullo modo cum Evangeliſtà Luca conciliari poteſt. Ratio conſeqventiæ eſt. Qvia 14. annus Tiberii incipit poſt 19. diem Auguſti anni Juliani 72. & deſinit eodem Auguſti anni Juliani 73. Chriſti autem 30. annus initium ſumſit anno Iuliano 72. exeunte, tribus menſibus poſt & aliqvot diebus, qvam 14. Tiberii annus cæperat.

Urget adverſa pars vocem ἀρχόμενος. Nam incepit 30. annum inqviunt, Chriſtus. Ergo nondum compleverat.

Reſp. Vocem ἀρχόμενος non obſtare, qvo minus Dn. Jeſus trigeſimum compleverat annum & menſes aliqvot etiam ultrà. Nec enim ἀρχόμενος ſpectat ad voces ἐτῶν τριάκοντα easq; regit. Qvid namq; eſt ἦν ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα erat incipiens (vel incipiebat) triginta circiter annos? Qvis unqvam ita locutus eſt? Si ea fuiſſet mens verborum B Lucæ, Chriſtum exorſum fuiſſe vel ingreſſum ſaltem annum trigeſimum, non dixiſſet; ἦν ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ſed ἔτους τριακοστοῦ. Dico igitur ἀρχόμενος reſpicere ad exordium miniſterii Chriſti, fuiſſeq; eum circiter 30 annorum, cùm inciperet ſcil. docere & miracula facere.

Regeritur: 1. Græcè qvidem non ſatis concinnè dici: ἄρχομαι ἐτῶν τριάκοντα. At Græcam ſatis locutionem eſſe, ἄρχομαι εἶναι ἐτῶν τριάκοντα, ut Græci Patres, iiq; doctiſſimi & lingvæ ſuæ qvam maximè gnari locuti ſunt.

Reſp. 1. Vocem εἶναι in textu non adeſſe. 2. Poſitus vocum à Lucâ obſervatus non videtur τὸ εἶναι admittere poſſe. Qvocunq; enim loco poſueris, horridior & contortior nonnihil vocum collocatio diligentius pa lò ponderanti apparebit: Contrà juxta noſtram ſententiam vocum cohærentia apertiſſima, ſimpliciſſima communisſima & convenientiſſima exiſtit, ut vel mediocriter ſaltem Græca intelligens non diffitebitur, ſi citra præjudicium rem penſaverit.

Reger. 2 Non apparere vocem διακονίας Langii, vel διδάσκειν Petavii, ſed ex noſtro cerebro ſubintelligi.

Reſp. 1. Nos longè melius dicere poſſe, in contrariâ ſententiâ, εἶναι,

ex cerebro humano, absq; datâ ansâ & necessitate, vel in textu præsenti vel re ipsâ fundatâ, subintelligi. Resp. 2. Ex nostro cerebro τὴν διακονίαν &c, nos subintelligere negamus. Etenim non desunt nobis loca Sacræ Scripturæ παράλληλα, qvibus ἔλλειψιν hanc firmemus & suppleamus. Ut καθ' ὕστερον πρότερον agam, videatur c. 1. v. 1. Actor. Ubi Lucas scriptum hoc ita orditur. Primum qvidem sermonem feci de omnibus, O Theophile, ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν καὶ διδάσκειν, qvæ cœpit Jesus facere & docere. Vides hic, qvæ nos Luc. 3. v. 23. subintelligimus, expressè poni, nimirum ποιεῖν καὶ διδάσκειν, qvæ συνωνύμως exhibet vox διακονίας. Ab hoc testimonio parum discedit illud, qvod habetur Act 10 v. 37. vos nostis τὸ γενόμενον ῥῆμα in universâ Judæâ, ἀρξόμενον à Galilæâ post Baptismum, qvem prædicabat Johannes. Deinde ἐλλείψεως hujus clarissimum habemus exemplum Act. 1. v. 22. Postqvam enim v. 21. Petrus dixerat, Christum fuisse versatum inter ipsos, subjicit v. 22. Ἀρξάμενος exorsus à Baptismo Johannis. &c. Nec etiam hæc nostra explicatio Patrum destituitur suffragio. Certè Justinus, Origenes, Chrysostomus doctissimi & lingvæ Græcæ, qvæ ipsis fuit vernacula gnari eodem modo, ut nos, verba Lucæ interpretati sunt.

Qværitur II.

Qvo anno Christus passus & mortuus sit?

Resp. I. Clemens Alexandrinus passioni & morti Salvatoris assignat annum 16. Tiberii. II. Alii, Chemnitius & qvi eum seqvuntur Christum passum tradunt anno P. J. 4745. Juliano 77. III. Mestlinus & Hainlinus huic rei tribuunt annum P. J. 4747. Julianum 79. IV. Calvisius, Scaliger, Langius & multi alii longè rectius statuunt Salvatorem mortuum in cruce anno P. J. 4746. Juliano 78. Tiberii 19. anno 4. Olympiadis 202. Æræ Christi vulgaris 32. ætatis veræ 35. Qvia 1 eo anno accidit Eclipsis illa Solis omnium maxima, qva de habet Plegon Olympiadum supputator egregius in sermone 13, & Dionysius Areopogita in Epistola ad Polycarpum & ad Apollophanem, & Lucianus Martyr, & Tertullianus in apologetico. Qvia 2. in reliqvis annis tam ante qvam post hunc annum parasceve Paschatos incidit in feriam vel 1. vel 2. vel 3. vel 4. qvibus Christus, ut omnes, reqvirente

qvirente id Sacra Scriptura, fatentur, passus non est. Demonstrat id Lang: l. 2. c. 8. & Calvis. in Isag. 167.

Obj. Ex Angeli effato Dan. 9. v. 26. demonstrari Christum mortuum anno P. J. 4747. Nam si ab elapsis 7. hebdomadibus restauratæ urbis iterum 62. hebdomades numeraveris venies nullo hiatu ad annum 4747. Resp. Fateor ita perveniri ad prædictum annum 4747. Sed & hoc video, perplurima hîc, ut in demonstratione anni natalis Domini, supponi, qvæ vera neqvaqvam sunt. Ut 1. annos ejusmodi mysticos in Sacris literis locum habere, & 70. hebdomades hujusmodi complecti. 2. Initium 70. septimanarum à 2. Darii Nothi anno arcessendum. 3. Finem 62. hebdomadum cum excisione vel passione & morte Christi connectendum. Gabriel namq; id ipsum non dicit. Nec enim seqvitur: Messias post 62. hebdomades excindetur. Ergo mox initio septimanæ seqventis. Longè aliter paulò post versu seqventi 27. Archangelus se explicat. Ubi ait Messiam multis fœdus roboraturum septimanâ unâ & in medio ejus sacrificium & munus cessare facturum. Qvæ ipsa cessatio sacrificiorum cum non nisi per passionem & mortem Christi facta sit, ut qvæstione seqventi ostendetur, seqvitur mortem Christi non incidere mox in annum, qvi immediatè 62. hebdomades subseqvitur, sed in medium illius septimanæ. Qvod autem adversa pars arbitratur, fœderis hujus confirmationem, qvæ juxta Angeli assertum septimana illâ unâ, hoc est ultima & septuagesima peragi debebat, mortem Salvatoris subseqvi, in eo iterum erratur. Qvæso enim qvid anno P. J. 4753. qvo hæc hebdomas ultima, etiam juxta mysticam rationem finitur, evenit, qvo fœderis confirmatio desiisse commodè dici potest? Nihil certè.

Qværitur 12.

An Dn. Jesus anno Tiberii 17. an vero 19. ejus mortuus sit?

Resp. Negatur prius & affirmatur posterius contra M. Helvig. Probatur. 1. Qvia annus 15. Eræ vulgaris Christi cæpit anno 1. Tiberii. Ergo annus 33. Æræ Christianæ vulgaris qvo Dominus crucifixus est, cæpit anno Tiberii 19. non verò 17. Antecedens probatur. Qvia Augustus obiit 19. Augusti eiq; paulò post successit, Tiberius anno videl. P. J. 4727. Juliano 59. Consulibus Sexto Pompejo & Sexto Apulejo Nepot. Evincit hoc præterea Eclipsis Lunæ qvæ in Pannonia visa

 est,

eſt, & militum Romanorum ſeditionem ſedavit. Cum enim Auguſtus 14. Calendis Septembr. Nolæ in Campaniâ deceſſiſſet, Tiberius poſteà invitus, ut præ ſe ferebat, (magnus hypocrita) & à Senatu Romano exoratus imperium aſſumit, Sueton. l. 3. n 24. & deinde ceu novus Imperator literas mittit ad legiones in Pannoniâ militantes. Hi, auditis Auguſti obitu & Tiberii initio, ſeditionem concitant, ad qvam componendam ad eos ablegatus filius Tiberii Druſus parum aut nihil proficit. Legiones enim tumultuantes tribunal Druſi deſerunt, amicisq; Cæſaris & prætorianis occurrentibus manus intentant, ac inter alios Lentulum cum Cæſare digredientē interfeciſſent, ni, jam lapidis jactu cruentus, & excitii certus, accurſu multitudinis, qvæ cum Druſo advenerat, protectus eſſet. Noctem minacem, & inſcelus erupturam fors lenivit. Nam Luna claro repente cœlo viſa langveſcere. Id miles rationis ignarus omen præſentium accepit, àc ſuis laboribus defectionem ſideris aſſimulans, proſperè ceſſura, qvæ pergerent, ſi fulgur & claritudo Deæ (Lunæ.cil) redderetur. Igitur æris ſono, tubarum cornuumq; concentu ſtrepere: prout ſplendidior, obſcuriorve, lætari, aut mærere, & poſtqvam ortæ nubes offecere viſui, creditūq; conditam tenebris: ut ſunt mobiles ad ſuperſtitionē perculſæ ſemel mentes, ſibi æternum laborem portendi, ſua facinora averſari Deos, lamentantur. Tacitus lib. 1. Annalium. p. 29. & 30. Patet hinc ſub mortem Auguſti & Tiberii primordia Lunam cum mora defeciſſe & deficientem occidiſſe, atq; extremâ nocte defectionem hanc accidiſſe. Calviſius & alii demonſtrant Eclipſin hanc factam. 27. die Septemb. diebus 39. poſt Auguſti diſceſſum horâ poſt mediam noctem 4. 54.

Qvia 2. ipſe M. Helvig. aſſerit Chriſtum natum anno Juliano 45. ſeqvitur ergo Chriſtum mortuum anno Juliano 78. & per conſeqvens anno Tiberii 19. non vero 17. Conſeqventiæ ratio eſt. qvia Julius Cæſar. 2. anno Juliano idibus Martiis (hoc eſt 15 Martii) in curia trucidatur, & mox Æra Auguſti, ſecundum qvam ei Joſephus l. 18. Antiq. c 3. & l. 2. de bell. c. 13. tribuit annos Imperii 57. menſes. 6. dies 4. initium ſumit, atq; adeò obitus Auguſti incidit in annum Julianum 59. in diem 19. Auguſti menſis. Huic mox ſuccedit Tiberius eodem anno 59. Juliano. Hoc ſi verum, eſt autem veriſſimum, conſeqvitur hinc 19. Tiberii annum incipere in anno Juliano 77. & finiri in 78. poſt 19. diem Auguſti. Qvia igitur Chriſtus in cruce eſt mortuus anno juliano

78. du-

78. dudum antè Auguſtum menſem, invictè hinc conficitur, eum non paſſum & mortuum anno 17. Tiberij, ut ſtatuit Helvigius, ſed anno ejus 19. Qvod erat demonſtrandum.

Qværitur 13.

Qvot Paſchata, Chriſto publicum & viſibile in terris miniſterium adminiſtrante, Hieroſolymis celebrata fuerint?

Reſp. Et hic deprehenduntur ſententiarum divortia. I. Ex veteribus Tatianus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Auguſtinus, cum Chriſtum unum duntaxat annum prædicaſſe dicant, non niſi duo Paſchata ſtatuere poſſunt. Hiſce ex Recentioribus aſſentiuntur Gerhardus Voſſius & alii. II. Epiphanius, Hieronymus, Petavius, Helvigius, & alii tria ſaltem Paſchata agnoſcunt. III. Dn. Chemnitius, Lyſerus, Gerhardus, Baronius, Torniellus & alii qvatuor ex Evangeliſtis Paſchata evincunt. IV. Scaliger, Calviſius, Helvicus, Molinæus, Calixtus, Wilhelmus Langius & alii qvaternario numero unum adhuc addunt & 5. Paſchata recenſent. V. Johan-Jacobus Hainlinus opinatur Chriſtum docuiſſe annis 5. & menſibus fere 6. adeoqve 6. Paſchata agnoſcit. Ut de hiſce eò dexterius agi poſſit, qvæſtionem hanc in duo partiemur membra. Primum complectetur θέσιν; ſecundum verò ἀντίθεσιν. Sit ergo.

MEMBRUM I.

De θέσει.

Ex qvinq; præfatis ſententiis cum una ſit eligenda, tertiam illam Beati Chemnitii de 4. Paſchatibus ſententiam ceu etiamnum contra adverſantium varios inſultus immotam, atq; veriſſimam, amplectendam cenſeo, eamq; ex Scripturis Evangeliſtarum probabo.

Primum Paſcha fundatur Johan. c. 2. v. 13. & 23. Illic enim deſcribitur ut inſtans: Nam propè erat Paſcha Judæorum. Aſcendit igitur Ieſus Hieroſolymam. Hic verò ut præſens: Cum autem eſſet Hieroſolymis in Paſchâ in feſto &c. Et hoc Paſcha ab omnibus admittitur.

Secundum Paſcha proponitur ut inſtans Iohan. 4. v. 35. An non vos dicitis, ἔτι ἔτι τετράμηνόν ἐστι, & meſſis erit; ut præſens v.

c. 5. v. 1. Post hæc festum erat Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam.

Tertium Pascha probatur ex Iohanne. c. 6. v. 4. & c. 7. v. 2. Ibi ut instans: Propè autem erat Pascha festum Iudæorum. Hic ut præteritum seu elapsum. Erat autem propè festum Iudæorum Schenopegias.

Qvartum & ultimum Pascha describitur ut futurum Ioh. 12. v. 1. Iesus ergo 6. ante Pascha diebus venit in Bethaniam & Luc. 22. v. 1. Marc. 14. v. 1. Matth. 26. v. 1. ut Præsens Luc. 22. v. 7. & 14. Marc. 14. 12. Matth. 26. v. 17.

Excip. Scripturæ hanc assertionem esse affirmativam non verò negativam. Hoc est, Scripturam 4. Paschata tempore ministerii Christi celebrata asserere, qvintum tamen Pascha non negare. Cum omnia dicta & facta Christi literis non sint mandata. Iohan. 21.

Resp. 1. Evangelistas eo ipso qvintum Pascha ejusq; acta negare, qvod nullam prorsus Illius mentionem injecerint, aut vestigium reliqverint. Nec enim ullo modo est credibile integrum eos annum ejusq; acta silentio præterire voluisse. Resp. 2. Additam rationem non esse solidam. Nec enim seqvitur; Evangelistæ non omnia dicta & facta Christi annotarunt. Ergo integrum annum, & qvæ in eo dicta & acta sunt, omiserunt. Cum verba Johannis vera esse possint & omninò sint, etiamsi dicta & facta multa ex omnibus ministerii Salvatoris annis omissa statuantur. Accedit, qvod Johannes ab aliis omissa vel tenuiùs tractata, ac tempus etiam eorum uberiùs & distinctiùs explicarit. Verosimile igitur minimè est & ipsum integrum annum prætermisisse. Qvæ hic præterea contra duo intermedia Paschata excipiuntur inseqventi membro discutientur.

MEMBRUM II.

Continens ἀντίθεσιν.

I. QVi duo saltem admittunt Paschata, objiciunt 1. Pascha Joh. 5. v. 1. intelligendum esse, nondum fuisse demonstratum. Resp. Demonstrabitur posteà.

Obj. 2. Johan 6. v. 4. tertium Pascha non fuisse ex eo patere debet, qvod illud Dn. Jesus adiisse non legitur, [omninò autem non solebat

lebat negligere festa) sed Capernaumi & in Galilæâ substitisse, in Judæâ nolens versari, qvod ad necem qværeretur, Joh. 7. v. 1. Resp. 1. Pascha illud qvod Joh.6.v.4. dicitur instare vel propè esse, non fuit Pascha primum. Id enim dudum præterierat. Nec etiam fuit ultimum. Qvia 1. post illud, festum Schenopegias, Johan. 7. v. 2. & post hoc, festum Encæniorum, c.10. v. 22. celebrata sunt. Qvia 2. facta Salvatoris & itinera, post miraculum cibationis 5000. virorum & antè ultimum Pascha peracta, idem abundè refellunt. Distinctum igitur Pascha illud, qvod Joh. 6. v. 4. memoratur, fuit à primo & ultimo Pascate, & per conseqvens verum esse neqvit, duo saltem fuisse Paschata tempore publici Christi in terris ministerii.

Excipis forsan (qvi enim aliter possit excipi non video:) Illa, qvæ c. 7. v. 2. de festo Schenopegias &c. & 10. v. 22. de festo Encæniorum leguntur, ante Pascha illud Joh. 6. v. 4. evenisse, atqve à Johanne per hysterologiam narrata fuisse.

Respon. Evangelistam expressis verbis c. 7.v. 1. dicere, μετὰ ταῦτα post hæc, (qvæ scil. c. 6, de miraculo cibationis brevi ante Pascha patrato habentur.) Christum in Galilæâ fuisse versatum, nec voluisse in Judæâ versari, qvod ipsum qværerent interficere: & mox v. 2. subjungit, festum Schenopegias fuisse in propinqvo, Salvatoremq; à propinqvis suis reprehensum, qvod in Galilæâ hæreret, nec in Judæam ad festum v. 8. Schenopegias puta, cujus mentio v. 2. injecta, transiret &c. Non ergo antè, sed post Pascha hoc illa omnia qvæ, c. 7. 8. 9. 10. recensentur, contigêre.

Resp. II Probatio subjecta est admodum infirma. Qvæ enim conseqventia? Non legitur Ch istus Pascha hoc adiisse. Ergo non fuit. Nulla prorsus. Dein est fallacia causæ. Non adiit Christus Hierosolymam, non qvod festum ibi non celebraretur, id enim disertis verbis propè fuisse dicitur, & graminis abundantia idem demonstrat; sed qvod Judæi ipsi insidiarentur eumq; ad necem qværerent. Deniqve non legitur adiisse festum Pentecostes, qvod intererat inter festum Schenopegias Joh. 7. v. 2. An id propterea negandum?

Obj. 3. Clemens Alexand. v. 19. c. 4. Lucæ, annum acceptabilem misit me prædicare &c.

Resp. 1. Apud Esaiam c. 61. v. 2. unde hæc verba translata, hisce subjungitur, & diem ultionis. Ut igitur inde non seqvitur. Ergo u-

num

2. Posito generationes hîc Matth c. 1. notare patrum tempora, qvomodo demonstrabitur mox Jubilæum sive 49. annos significari? Ut jam nihil dicam hic iterum supponi annos mysticos 343. dierum ceu veros, de qvibus tamen S. Sacra altum silet. 3. Non posse autem hic generationem designare tempus annorum 49. mysticorum, vulgarium vero 46. facili negotio ostendi, & qvidem invictè potest. Si enim computationem cœperimus à vocatione Abrahami, undè adversa pars primam generationem orditur Matth. 1 & numeraverimus ad secundam generationem, qvæ initium ducit à nativitate Isaaci, apparebit, non fluxisse 46. sed 30. saltem annos vulgares. Similiter secunda generatio ad Isaaco ad Jacobum non est annorum 46. sed 60. Nam Isaacus jam 60. annos natus demum genuit Esavum & Jacobum gemellos. Ita & tertia generatio non est 46. sed 88. annorum. Nam Jacobus Judam ex Leâ sustulit natus 88. annos. Sic Judâ, qvando cum Patre Jacobo in Ægyptum descendebat, erat 42. annorum. Licet igitur certò sciri neqveat, qvo ætatis anno Peretz filius ejus mundum introjerit, id tamen extra dubium est longè ante descensum in Ægyptum ipsum fuisse natum. Qvarta itaq; hæc generatio non est 40. annorum, nedum 46. Accedit qvod Peretz, anteqvam cum patre Judâ Ægyptum ingrederetur jam duos filios Chetzronem & Chamul progenuerat. Si itaq; annos qvos habuerit, cum generaret, ademeris, numerus ille multum minuetur. Ita & in reliqvis se habet, ut propterea extra omne dubium sit, generationes apud Matthæum non significare vel denotare jubilæum vel 49. annos. Deinde idem liqvet ex integræ tessaradecadis vel 14. generationis συνδομῇ. Faciunt tot jubilæa annos vulgares 644. dies 84. At verò à vocatione Abrami ad Davidem longè plures anni effluxêre. David enim nascitur anno M. 2915. vel P. J. 3623. Abram autem primò vocatus est ex Ur Chaldæorum anno M. 2078. P. J. 2786. Aufer numerum minorem de majori, & videbis tempus primæ tessaradecadis esse annorum, non 644. & dierum 84. sed 837. annorum. Secunda τεσσαρεσκαιδεκὰς incipit à Davide ad demigrationem Babylonicam vel deportationem Jechoniæ, qvæ facta est anno M. 3405 P. J. 4113. Deme ab his annos P. J. 3623. qvo David natus est, & remanent 490. non verò 644. cum 84. diebus. Videamus & tertiam tessaradecadem. Incipit illa anno P. J. 4113.

4113 adde annos 644. & 84. dies, & finis eorum incidet in annum 4757 At verò Christus natus est juxta supputationem Scaligerianam, qvæ hic verissima est, anno P. J. 4711. Juxta Hainlinianam verò anno. P. J. 4707.

Obj. 3. Traditio Scholæ Eliæ, qvâ prædictum fuit Messiam filium David venturum Jubilæo 86. Qvæ non in Jubilæis vulgaribus, sed mysticis tantum vera deprehenditur. Resp. ubi demonstratum fuerit, hunc Eliam ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενον fuisse locutum, exstitisseq; divinum Prophetam privilegio non errandi in prædicendo præditum, dispiciemus, qvid responderi possit, qvo nobis illa traditio non sit adversa. Interim sufficiat id, Eliam fuisse hominem errori obnoxium.

Qværitur 9.

Qvo mense Salvator natus sit?

Resp. Sunt hic tres in primis sententiæ. I. Veterum qvidam Christum 19. Maij statuunt natum. II. Calvisius, Scaliger & alii eum in lucem editum asserunt circa initium Octobris finito festo tabernaculorum. III. Alii rectius sentiunt cum maximâ vetustatis parte, Dn. Jesum natum 25. Decemb. Id enim Romani ex tabulis censoriis & publicis Romani Imperii codicibus Ecclesiæ Christi revelarunt. Cum enim Augustus Cæsar breviarium Imperii Romani instituturus mitteret, qvi vniverso in Imperio adeoqve etiam in Judæâ mares omnes nôtarent, eorumq; qvi infra pubertatem erant, ætatem nomenq; ascriberent, ut constaret, qvo illi, si viverent, tempore Imperio utiles esse possent, etiam Servatoris nostri, qvi circa id tempus mundum hunc introiit, dies natalis nomenq; tabulis illis inscriptum fuit. Has tabulas Romani cum haberent, multiq; Senatorii ordinis homines, qvi aut Christiani erant, aut post facti sunt, eas inspicerent, id post modum Christianis aliis prodiderunt, unde dies ille Romæ ceu Christi natalis celebratus fuit, ac tandem tempore Chrysostomi Constantinopolin ejus notitia delata & alias Orientis Ecclesias ad ejusdẽ cum Occidente diei observationem invitavit. Confer Chrysostomi sermonem de Natali Domini, & Justinum in Apolog. Nititur ergo hæc veterum sententia non incertis ratiunculis, ut reliqvæ, & conjecturis, sed certissimâ traditione.

Obj.

Herode, qvi anno Juliano 44. ante Pascha decessit. Si igitur Salvator ineunte 30. ætatis suæ anno fuisset baptizatus, utiq; 14. Tiberii anno adhuc currente baptizatus esset, qvod nullo modo cum Evangelistâ Luca conciliari potest. Ratio conseqventiæ est. Qvia 14. annus Tiberii incipit post 19. diem Augusti anni Juliani 72. & desinit eodem Augusti anni Juliani 73. Christi autem 30. annus initium sumsit anno Iuliano 72. exeunte, tribus mensibus post & aliqvot diebus, qvam 14. Tiberii annus cæperat.

Urget adversa pars vocem ἀρχόμενος. Nam incepit 30. annum inqviunt, Christus. Ergo nondum compleverat.

Resp. Vocem ἀρχόμενος non obstare, qvo minus Dn. Jesus trigesimum compleverat annum & menses aliqvot etiam ultrà. Nec enim ἀρχόμενος spectat ad voces ἐτ̃ τριάκοντα easq; regit. Qvid namq; est ἦν ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτ̃ τριάκοντα erat incipiens (vel incipiebat) triginta circiter annos? Qvis unqvam ita locutus est? Si ea fuisset mens verborum B. Lucæ, Christum exorsum fuisse vel ingressum saltem annum trigesimum, non dixisset; ἦν ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτ̃ τριάκοντα sed ἔτους τριακοστοῦ. Dico igitur ἀρχόμενος respicere ad exordium ministerii Christi, fuisseq; eum circiter 30 annorum, cum inciperet scil. docere & miracula facere.

Regeritur: 1. Græcè qvidem non satis concinnè dici: ἄρχομαι ἐτ̃ τριάκοντα. At Græcam satis locutionem esse, ἄρχομαι εἶναι ἐτ̃ τριάκοντα, ut Græci Patres, iiq; doctissimi & lingvæ suæ qvam maximè gnari locuti sunt.

Resp. 1. Vocem εἶναι in textu non adesse. 2. Positus vocum à Lucâ observatus non videtur τὸ εἶναι admittere posse. Qvocunq; enim loco posueris, horridior & contortior nonnihil vocum collocatio diligentius pauló ponderanti apparebit: Contrà juxta nostram sententiam vocum cohærentia apertissima, simplicissima communissima & convenientissima existit, ut vel mediocriter saltem Græca intelligens non diffitebitur, si citra præjudicium rem pensaverit.

Reger. 2. Non apparere vocem διακονίας Langii, vel διδάσκειν Petavii, sed ex nostro cerebro subintelligi.

Resp. 1. Nos longè melius dicere posse, in contrariâ sententiâ, εἶναι,

ex cerebro humano, absq; datâ ansâ & necessitate, vel in textu præsenti vel re ipsâ fundatâ, subintelligi. Resp. 2. Ex nostro cerebro τὴν διακονίαν &c, nos subintelligere negamus. Etenim non desunt nobis loca Sacræ Scripturæ παράλληλα, qvibus ἔλλειψιν hanc firmemus & suppleamus. Ut καθ' ὕστερον πρότερον agam, videatur c. 1. v. 1. Actor. Ubi Lucas scriptum hoc ita orditur. Primum qvidem sermonem feci de omnibus, O Theophile, ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν καὶ διδάσκειν, qvæ cœpit Jesus facere & docere. Vides hic, qvæ nos Luc. 3. v. 23. sub intelligimus, exprefsè poni, nimirum ποιεῖν καὶ διδάσκειν, qvæ συνωνύμως exhibet vox διακονίας. Ab hoc testimonio parum discedit illud, qvod habetur Act 10 v. 37. vos nostis τὸ γενόμενον ῥῆμα in universâ Judæâ, ἀρξάμενον à Galilæâ post Baptismum, qvem prædicabat Johannes. Deinde ἐλλείψεως hujus clarissimum habemus exemplum Act. 1. v. 22. Postqvam enim v. 21. Petrus dixerat, Christum fuisse versatum inter ipsos, subjicit v. 22. Ἀρχόμενος exorsus à Baptismo Johannis. &c. Nec etiam hæc nostra explicatio Patrum destituitur suffragio. Certè Justinus, Origenes, Chrysostomus doctissimi & lingvæ Græcæ, qvæ ipsis fuit vernacula gnari eodem modo, ut nos, verba Lucæ interpretati sunt.

Qværitur II.

Qvo anno Christus passus & mortuus sit?

Resp. I. Clemens Alexandrinus passioni & morti Salvatoris assignat annum 16. Tiberii. II. Alii, Chemnitius & qvi eum seqvuntur Christum passum tradunt anno P. J. 4745. Juliano 77. III. Mestlinus & Hainlinus huic rei tribuunt annum P. J. 4747. Julianum 79. IV. Calvisius, Scaliger, Langius & multi alii longè rectius statuunt Salvatorem mortuum in cruce anno P. J. 4746. Juliano 78. Tiberii 19. anno 4. Olympiadis 202. Æræ Christi vulgaris 32. ætatis veræ 35. Qvia 1 eo anno accidit Eclipsis illa Solis omnium maxima, qva de habet Plegon Olympiadum supputator egregius in sermone 13, & Dionysius Areopogita in Epistola ad Polycarpum & ad Apollophanem, & Lucianus Martyr, & Tertullianus in apologetico. Qvia 2. in reliqvis annis tam ante qvam post hunc annum parasceve Paschatos incidit in feriam vel 1. vel 2. vel 3. vel 4. qvibus Christus, ut omnes, re-

qvirente id Sacra Scriptura, fatentur, passus non est. Demonstrat id Lang: l. 2. c. 8. & Calvis. in Isag. 167.

Obj. Ex Angeli effato Dan. 9. v. 26. demonstrari Christum mortuum anno P. J. 4747. Nam si ab elapsis 7. hebdomadibus restauratæ urbis iterum 62. hebdomades numeraveris venies nullo hiatu ad annum 4747. Resp. Fateor ita perveniri ad prædictum annum 4747. Sed & hoc video, perplurima hic, ut in demonstratione anni natalis Domini, supponi, qvæ vera neqvaqvam sunt. Ut 1. annos ejusmodi mysticos in Sacris literis locum habere, & 70. hebdomades hujusmodi complecti. 2. Initium 70. septimanarum à 2. Darii Nothi anno arcessendum. 3. Finem 62. hebdomadum cum excisione vel passione & morte Christi connectendum. Gabriel namq; id ipsum non dicit. Nec enim seqvitur: Messias post 62. hebdomades excindetur. Ergo mox initio septimanæ seqventis. Longè aliter paulò post versu seqventi 27. Archangelus se explicat. Ubi ait Messiam multis fœdus roboraturum septimanâ unâ & in medio ejus sacrificium & munus cessare facturum. Qvæ ipsa cessatio sacrificiorum cum non nisi per passionem & mortem Christi facta sit, ut qvæstione seqventi ostendetur, seqvitur mortem Christi non incidere mox in annum, qvi immediatè 62. hebdomades subseqvitur, sed in medium illius septimanæ. Qvod autem adversa pars arbitratur, fœderis hujus confirmationem, qvæ juxta Angeli assertum septimana illâ unâ, hoc est ultima & septuagesima peragi debebat, mortem Salvatoris subseqvi, in eo iterum erratur. Qvæso enim qvid anno P. J. 4753. qvo hæc hebdomas ultima, etiam juxta mysticam rationem finitur, evenit, qvo fœderis confirmatio desiisse commodè dici potest? Nihil certè.

Qværitur 12.

An Dn. Jesus anno Tiberii 17. *an vero* 19. *ejus mortuus sit?*

Resp. Negatur prius & affirmatur posterius contra M. Helvig. Probatur. 1. Qvia annus 15. Eræ vulgaris Christi cœpit anno 1. Tiberii. Ergo annus 33. Æræ Christianæ vulgaris qvo Dominus crucifixus est, cæpit anno Tiberii 19. non verò 17. Antecedens probatur. Qvia Augustus obiit 19. Augusti eiq; paulò post successit, Tiberius anno videl. P. J. 4727. Juliano 59. Consulibus Sexto Pompejo & Sexto Apulejo Nepot. Evincit hoc præterea Eclipsis Lunæ qvæ in Pannonia visa

est, & militum Romanorum seditionem sedavit. Cum enim Augustus 14. Calendis Septembr. Nolæ in Campaniâ decessisset, Tiberius posteà invitus, ut præ se ferebat, (magnus hypocrita) & à Senatu Romano exoratus imperium assumit, Sueton. l. 3. n 24. & deinde ceu novus Imperator literas mittit ad legiones in Panioniâ militantes. Hi, auditis Augusti obitu & Tiberii initio, seditionem concitant, ad qvam componendam ad eos ablegatus filius Tiberii Drusus parum aut nihil proficit. Legiones enim tumultuantes tribunal Drusi deserunt, amicisq; Cæsaris & prætorianis occurrentibus manus intentant, ac inter alios Lentulum cum Cæsare digredientē interfecissent, ni, jam lapidis jactu cruentus, & excitii certus, accursu multitudinis, qvæ cum Druso advenerat, protectus esset. Noctem minacem, & inscelus erupturam fors lenivit. Nam Luna claro repente cœlo visa langvescere. Id miles rationis ignarus omen præsentium accepit, àc suis laboribus defectionem sideris assimulans, prosperè cessura, qvæ pergerent, si fulgur & claritudo Deæ (Lunæ. sc.) redderetur. Igitur æris sono, tubarum cornuumq; concentu strepere: prout splendidior, obscuriorve, lætari, aut mærere, & postqvam ortæ nubes offecere visui, creditūq; conditam tenebris: ut sunt mobiles ad superstitionē perculsæ semel mentes, sibi æternum laborem portendi, sua facinora aversari Deos, lamentantur. Tacitus lib. 1. Annalium. p. 29. & 30. Patet hinc sub mortem Augusti & Tiberii primordia Lunam cum mora defecisse & deficientem occidisse, atq; extremâ nocte defectionem hanc accidisse. Calvisius & alii demonstrant Eclipsin hanc factam 27. die Septemb. diebus 39. post Augusti discessum horâ post mediam noctem 4. 54.

Qvia 2. ipse M. Helvig. asserit Christum natum anno Juliano 45. seqvitur ergo Christum mortuum anno Juliano 78. & per conseqvens anno Tiberii 19. non vero 17. Conseqventiæ ratio est. qvia Julius Cæsar. 2. anno Juliano idibus Martiis (hoc est 15 Martii) in curia trucidatur, & mox Æra Augusti, secundum qvam ei Josephus l. 18. Antiq. c 3. & l. 2. de bell. c. 13. tribuit annos Imperii 57. menses. 6. dies 4. initium sumit, atq; adeò obitus Augusti incidit in annūm Julianum 59. in diem 19. Augusti mensis. Huic mox succedit Tiberius eodem anno 59. Juliano. Hoc si verum, est autem verissimum, conseqvitur hinc 19. Tiberii annum incipere in anno Juliano 77. & finiri in 78. post 19. diem Augusti. Qvia igitur Christus in cruce est mortuus anno juliano

78. du-

78. dudum antè Auguſtum menſem, invictè hinc conficitur, eum non paſſum & mortuum anno 17. Tiberij, ut ſtatuit Helvigius, ſed anno ejus 19. Qvod erat demonſtrandum.

Qværitur 13.

Qvot Paſchata, Chriſto publicum & viſibile in terris miniſterium adminiſtrante, Hieroſolymis celebrata fuerint?

Reſp. Et hic deprehenduntur ſententiarum divortia. I. Ex veteribus Tatianus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Auguſtinus, cum Chriſtum unum duntaxat annum prædicaſſe dicant, non niſi duo Paſchata ſtatuere poſſunt. Hiſce ex Recentioribus aſſentiuntur Gerhardus Voſſius & alii. II. Epiphanius, Hieronymus, Petavius, Helvigius, & alii tria ſaltem Paſchata agnoſcunt. III. Dn. Chemnitius, Lyſerus, Gerhardus, Baronius, Torniellus & alii qvatuor ex Evangeliſtis Paſchata evincunt. IV. Scaliger, Calviſius, Helvicus, Molinæus, Calixtus, Wilhelmus Langius & alii qvaternario numero unum adhuc addunt & 5. Paſchata recenſent. V. Johan-Jacobus Hainlinus opinatur Chriſtum docuiſſe annis 5. & menſibus fere 6. adeoqve 6. Paſchata agnoſcit. Ut de hiſce eò dexterius agi poſſit, qvæſtionem hanc in duo partiemur membra. Primum complectetur θέσιν; ſecundum verò ἀντίθεσιν. Sit ergo.

MEMBRM I.

De θέσει.

EX qvinq; præfatis ſententiis cum una ſit eligenda, tertiam illam Beati Chemnitii de 4. Paſchatibus ſententiam ceu etiamnum contra adverſantium varios inſultus immotam, atq; veriſſimam, amplectendam cenſeo, eamq; ex Scripturis Evangeliſtarum probabo.

Primum Paſcha fundatur Johan. c. 2. v. 13. & 23. Illic enim deſcribitur ut inſtans: Nam propè erat Paſcha Judæorum. Aſcendit igitur Ieſus Hieroſolymam. Hic verò ut præſens: Cum autem eſſet Hieroſolymis in Paſchâ in feſto &c. Et hoc Paſcha ab omnibus admittitur.

Secundum Paſcha proponitur ut inſtans Iohan. 4. v. 35. An non vos dicitis, ἔτι τετράμηνόν ἐστι, & meſſis erit; ut præſens v.

c. 5. v. 1. Poſt hæc feſtum erat Iudæorum, & aſcendit Ieſus Hieroſolymam.

Tertium Paſcha probatur ex Iohanne. c. 6. v. 4. & c. 7. v. 2. Ibi ut inſtans; Propè autem erat Paſcha feſtum Iudæorum. Hic ut præteritum ſeu elapſum. Erat autem propè feſtum Iudæorum Schenopegias.

Qvartum & ultimum Paſcha deſcribitur ut futurum Ioh. 12. v. 1. Ieſus ergo 6. ante Paſcha diebus venit in Bethaniam & Luc. 22. v. 1. Marc. 14. v. 1. Matth. 26. v. 1. ut Præſens Luc. 22. v. 7. & 14. Marc. 14. 12. Matth. 26. v. 17.

Excip. Scripturæ hanc aſſertionem eſſe affirmativam non verò negativam. Hoc eſt, Scripturam 4. Paſchata tempore miniſterii Chriſti celebrata aſſerere, qvintum tamen Paſcha non negare. Cum omnia dicta & facta Chriſti literis non ſint mandata. Iohan. 21.

Reſp. 1. Evangeliſtas eo ipſo qvintum Paſcha ejusq; acta negare, qvod nullam prorſus Illius mentionem injecerint, aut veſtigium reliqverint. Nec enim ullo modo eſt credibile integrum eos annum ejusq; acta ſilentio præterire voluiſſe. Reſp. 2. Additam rationem non eſſe ſolidam. Nec enim ſeqvitur; Evangeliſtæ non omnia dicta & facta Chriſti annotarunt. Ergo integrum annum, & qvæ in eo dicta & acta ſunt, omiſerunt. Cum verba Johannis vera eſſe poſſint & omninò ſint, etiamſi dicta & facta multa ex omnibus miniſterii Salvatoris annis omiſſa ſtatuantur. Accedit, qvod Johannes ab aliis omiſſa vel tenuiùs tractata, ac tempus etiam eorum uberiùs & diſtinctiùs explicarit. Veroſimile igitur minimè eſt & ipſum integrum annum prætermiſiſſe. Qvæ hic præterea contra duo intermèdia Paſchata excipiuntur inſeqventi membro diſcutientur.

MEMBRUM II.

Continens ἀντίθεσιν.

I. QVi duo ſaltem admittunt Paſchata, objiciunt 1. Paſcha Joh. 5. v. 1. intelligendum eſſe, nondum fuiſſe demonſtratum. Reſp. Demonſtrabitur poſteà.

Obj. 2. Johan 6. v. 4. tertium Paſcha non fuiſſe ex eo patère debet, qvod illud Dn. Jeſus adiiſſe non legitur, [omninò autem non ſolebat

lebat negligere festa) sed Capernaumi & in Galilæâ substitisse, in Judæâ nolens versari, qvod ad necem qværeretur, Joh. 7. v. 1. Resp. 1. Pascha illud qvod Joh.6.v.4. dicitur instare vel propè esse, non fuit Pascha primum. Id enim dudum præterierat. Nec etiam fuit ultimum. Qvia 1. post illud, festum Schenopegias, Johan. 7. v. 2. & post hoc, festum Encæniorum, c.10. v. 22. celebrata sunt. Qvia 2. facta Salvatoris & itinera, post miraculum cibationis 5000. virorum & antè ultimum Pascha peracta, idem abundè refellunt. Distinctum igitur Pascha illud, qvod Joh. 6. v. 4. memoratur, fuit à primo & ultimo Pascate, & per conseqvens verum esse neqvit, duo saltem fuisse Paschata tempore publici Christi in terris ministerii.

Excipis forsan (qvi enim aliter possit excipi non video:) Illa, qvæ c.7. v. 2. de festo Schenopegias &c. & 10. v. 22. de festo Encæniorum leguntur, ante Pascha illud Joh. 6. v. 4. evenisse, atqve à Johanne per hysterologiam narrata fuisse.

Respon. Evangelistam expressis verbis c. 7.v.1. dicere, μετὰ ταῦτα post hæc, (qvæ scil. c. 6, de miraculo cibationis brevi ante Pascha patrato habentur.) Christum in Galilæâ fuisse versatum, nec voluisse in Judæâ versari, qvod ipsum qværerent interficere: & mox v. 2. subjungit, festum Schenopegias fuisse in propinqvo, Salvatoremq; à propinqvis suis reprehensum, qvod in Galilæâ hæreret, nec in Judæam ad festum v. 8. Schenopegias puta, cujus mentio v. 2. injecta, transiret &c. Non ergo antè, sed post Pascha hoc illa omnia qvæ. c. 7. 8. 9. 10. recensentur, contigêre.

Resp. II Probatio subjecta est admodum infirma. Qvæ enim conseqventia? Non legitur Christus Pascha hoc adiisse. Ergo non fuit. Nulla prorsus. Dein est fallacia causæ. Non adiit Christus Hierosolymam, non qvod festum ibi non celebraretur, id enim disertis verbis propè fuisse dicitur, & graminis abundantia idem demonstrat; sed qvod Judæi ipsi insidiarentur eumq; ad necem qværerent. Deniqve non legitur adiisse festum Pentecostes, qvod intererat inter festum Schenopegias Joh. 7. v. 2. An id propterea negandum?

Obj. 3. Clemens Alexand. v. 19. c. 4. Lucæ, annum acceptabilem misit me prædicare &c.

Resp. 1. Apud Esaiam c. 61. v. 2. unde hæc verba translata, hisce subjungitur, & diem ultionis. Ut igitur inde non seqvitur. Ergo unum

num diem ſaltem Servator docere debuit. Ita nec ex præcedentibus rectè colligitur, unum duntaxat annum Chriſtum officium publicè adminiſtraſſe. Reſp. 2. Nec agit Propheta de tempore, qvamdiu ſcil. Chriſtus erat prædicaturus, ſed de re ipſa prædicanda, de libertate puta à peccato, ira Dei, tyrannide Diaboli &c. omnibus annunciandâ, & conferenda credentibus, prout libertas corporalis in anno Jubilæo anunciari, & conferri ſolebat, vel certè debebat. Reſp. 3 vocabula יוֹם & שָׁנָה ſæpè deſignant tempus indeterminatum, non præciſe diem vel annum propriè dictum.

II Qvi tria urgent Paſchata, ſecundum noſtrum impugnant idq; Paſcha fuiſſe negant. Demonſtrabimus igitur contrarium. Ioh. c. 4 v. 35. poſt Paſcha primum dudum præterlapſum, aſſeritur ad meſſem futuram 4. adhuc menſes ſupereſſe. Meſſis autem duplex erat in Palæſtinâ: Hordeacea nimirum, & triticea. Illa præcedebat, & à ſecundo Paſchatis die, qvo primitiæ frugum offerebantur, exordium ducebat. Levit 23. v 10. 11. Deuter 16. v. 9 Joſ. 5. v. 10. Hæc ſeqvebatur & à Pentecoſtes feſto initium ſumebat. Exod 34. v. 22. & c. 23. v. 16. 20. Num. 28. v. 26. Qvare ἑορτὴ vel feſtum Judæorum, qvod Johannis c. 5. v. 1. per μετὰ ταῦτα antegreſſis Chriſti actis immediatè ſubjungitur, non niſi feſtum Paſchatos fuit, & qvidem à primo, ceu dudum elapſo, diſtinctum. Ratio connexionis eſt iſthæc. Qvia inter qvadrimeſtre illud, & meſſem, qvæ à ſecundo Paſchatis die cæptabaturt, nullum feſtum magnum, cujus gratiâ opertebat Hieroſolymis comparêre, intercedebat.

Excipit M. Helvig & alii: Intelligendum eſſe Pentecoſten primo Paſchati proximam.

Reſp. Non poſſe intelligi eam Pentecoſten. Feſtum enim Pentecoſtes à finito Paſchate non 4. menſibus, ſed ſaltem 43 diebus diſtat. Accedit, qvod dudum elapſo primo Paſchate, Salvator hoc de quadrimeſtri ad futuram meſſem effatum protulerat.

Regerunt Maldonatus, Helvigius & alii: Non dicere Chriſtum adhuc ab eo tempore reverâ abfuiſſe 4. menſes usq; ad meſſem, ſed loqui eum παροιμιωδῶς & quidem juxta vulgi dicterium, quod à tempore ſationis 4. menſes ad meſſem numerat, & horſum facere verba textus οὐχ ὑμεῖς λέγετε &c. q. d. annon vul-

gus

gus & vos à tẽpore sementis soletis numerare 4. menses &c. Ego dico autẽ &c. Resp. Ipsa verba textus reclamẽt. Nam 1. emphatica valde sunt verba: nonne vos dicitis, ὅτι ἔτι τετράμηνόν ἐστι *quod adhuc* qvadrimestre sit, & ipsa messis veniet? Qvibus indicatur, qvod tum temporis, cum hæc Christus eloqveretur, adhuc 4. menses effluere debuerint, dum messis veniret. 2. In altero membro dicit, regiones ad messem esse ἤδη *jam albas:* qvasi diceret, corporalis messis anteqvam fiat, 4. menses ab hoc tempore adhuc sunt expectandi, sed Spiritualis mea messis jam præsens est, respiciens ad fidem Samaritanorum adventantium vers. 39.

At inqvit Helvig. esse parabolicam locutionem probant verba immediatè seqventia: attollite oculos vestros & videte regiones, qvoniam albæ sunt jam ad messem.

Resp. Hæc seqventia verba esse parabolica, vel potius allegorica conceditur, sed inde non seqvitur: priora, de qvibus disputatur, mox esse talia, hoc est, allegorica. Illa sunt extra dubium propria, & agunt de messe corporea, & qvidem post 4. mensium decursum futurâ. Conversio autem, & fides hominum Christi erat messis spiritualis ἀλληγορικὴ & jam præsens.

Obj. 1. Iohannes videtur omnia Paschata expressè numerare voluisse, aliàs c. 6. non opus fuisset ad textum supplendum, versum 4. interserere. At hic c 5. v. 1. Paschatis expressam mentionem non fecit. Resp. Omne videtur solvitur per non videtur. 2. Aliqvando placuit Johanni expresse nominare; At non semper. 3. Sufficit vel ex antecedentibus, vel ex conseqventibus, vel aliis textus circumstantiis Pascha aliqvod probari posse, ut hic de Paschate secundo se res habet: non verò necessum est, ut semper expressè nominetur.

Obj. 2. Ioh. 4. v. 3. dicitur à primo Paschatis festo reliqvisse Judæam & abiisse in Galilæam, & v. 45. honorificè exceptus ob recentem memoriam eorum, qvæ ἐν τῇ ἑορτῇ id est, in festo Paschatos, ob articulum emphaticum, Hierosolymis fecisse eum viderant, unde aliud festum intercessisse vero non est simile. Resp. 1. Schopæ dissolutæ! Qvæ est conseqventia? Honorificè à Galilæis fuit exceptus. Ergo brevi antè in festo Paschatos miracula patrantem videre. Nulla. Qvis enim tantorum miraculorum ultra dimidium annum non posset recordari?

Resp. 2 Festum illud c. 4. v. 45. necessario fuisse Pascha ex textu minimè demonstrari potest. Nihil enim apparet, qvo præcisè ad primum Pascha restringatur. Potuit igitur aliud fuisse festum, ad qvod Christus in Judæa adhuc subsistens, & Galilæi ex suis locis convenire potuerunt. Nec enim seqvitur, ipsi ἑο τῆ articulus est præfixus. Ergo notat Pascham. Nam Joh. c. 7. v. 8. & 14. occurrit ἑορτὴ cum articulo, nec tamen intelligitur festum Paschatos, sed Tabernaculorum, ut videre est ex versu 2.

Obj. 3. Miraculum sanati & vivificati filii reguli Joh. 4. v. 54. vocatur secundum Christi ex Judæa in Galilæam redeuntis. At si integer annus intercessisset, plura sine dubio edita fuissent. Resp. 1. Dicitur miraculum hoc secundum non ἁπλῶς sed κατά τι, respectu primi illius Johan. 2. Id enim primum factum est, cum primâ vice post tentationem & acceptum à Johanne testimonium in Galilæam transiisset. Hoc jam secundum itidem in Canâ factum est, cum secundâ vice è Judæâ in Galilæam transiret. Resp, 2. Integrum intercessisse annum nunqvam probabitur. Unde enim ostendes miraculum hoc secundum Pascha proximè antecessisse? Contra ex versu 35. & seq. colligitur ultra 3. menses adhuc secundũ Pascha abfuisse, qvod & evincunt acta Christi, qvæ ab hoc tempore usq; ad Pascha evenêre. Unde demonstrabis festum, in qvo Galilæi miracula facientem viderant, fuisse Paschatos, non verò σκηνοπηγίας?

III. Qvi 5. Paschata statuunt. 1. opinantur unum se adhuc Pascha probare posse ex Matth. c 12. v. 1. & seq. Ubi dicitur, Christum cum discipulis suis in Sabbato ivisse per segetes, discipulos verò esurientes cæpisse vellere spicas & comedere, propter qvod à Pharisæis reprehenduntur. Lucas verò c. 6. v. 1. & seq. ajunt, tempus accuratius describit. Dicit enim id accidisse in σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ, Scaliger per Sabbatum δευτεροπρώτων intelligit, Sabbatum sive feriam septimam, qvæ prima occurrit post secundum diem Paschatos. Præceperat enim Deus, ut à secundo azymorum die, numerarentur 7. Sabbata usq; ad alterum magnum festum, Hellenistis dictum πεντηκοστῇ, Lev c. 23. v. 15. Sabbatum igitur δευτερόπρωτον idem est ac σάββατον ἀπὸ τῆς δευτέρας ἡμέρας πρῶτον. Hac ratione diceretur alterum Sabbatum ἀπὸ τῆς δευτέρας ἡμέρας δεύτερον, breviùs δευτερο-

προδεύτερον, & ſic conſeqventer. Continent igitur verba Matth. & Lucæ περίφερον inſtantis meſſis. Meſſis enim non erat niſi feſto Paſchatos & Pentecoſtes. Pentecoſte autem uno tantū die celebrabatur. Sabbatum ergo δευτερόπρωτον non niſi Paſcha innuit. Reſp. Explicationem hanc σαββάτου δευτεροπρώτου Scaligerianam omnium, qvæ à doctis afferuntur eſſe ſimpliciſſimam & optimam, adeoq; Paſcha inſinuari libentiſſimè largior. At hoc ipſo nondum evictum eſt, eſſe id diſtinctum à qvatuor illis, qvæ à nobis probata ſunt. Qvin imò aſſerimus, non niſi ſecundum eſſe, qvod ſuprà ex Johanne c. 5. oſtenſum, prout hoc jam antè demonſtrarunt D. Chemnitius, Baronius, Torniellus, & alii multi. Colligitur autem id ex hiſtoriâ cibationis 5000. virorum, qvæ tertium Paſcha antecedit, uti liqvet ex Joh. 6.

Regerit Cl. Lang. p. 423. & 373. Idem illud dici poſſe de feſto Joh. 5. v. 1. Poſſe enim illud eſſe feſtum Encæniorum, qvod 25. Casleu celebrabatur, cujus ſolennitati ipſemet Chriſtus Joh. 10. v. 22. interfuiſſe dicatur. Adeoq; non niſi 3. Paſchata ex Johanne certò demonſtrari.

Reſp. Meſſis prima vel hordeacea, qvam Salvator dicit adhuc abeſſe 4. menſibus, cœpit 16. Niſan anni P. J. 4744. Si igitur retrò numeraveris, initium 4. illorum menſium, qvo Dn. Jeſus hæc elocutus eſt, incidit in 16. Casleu. At inter 16 Casleu, & 25. ejusdem ſaltem 8 interſunt dies, qvod tempus nimis eſt breve & minimè ſufficiens Domini itineribus, factis & moræ hinc inde in Galilæâ tractæ. Nam elocutus verba, de qvibus controvertitur Joh. 4. v. 35. urbem Sichar ingreditur, ibiq; manet biduum; deinde in Galilæam tendit, inq; oppidulis hinc indè Evangelium prædicat, & multa ſigna facit, anteqvam ex Galileâ in Judæam, & Hieroſolymam ad feſtum illud Joh. c. 5. 1. regrederetur. Feſtum ergo hoc nullo modo eſſe poteſt feſtum Encæniorum, 25. Casleu qvod celebrari ſolebat.

2. Alii 5. Paſcha eruere conantur ex Lucâ c. 9. v. 51. collato cum c. 10. v. 2. & 38 Nam c. 9. 51. Hieroſolymam verſus dicitur profectus tempore aſſumptionis ſuæ, qvo feſtum Paſchatos circumſcribi vix dubitari poteſt. Hoc ulterius comprobatur c. 10. v. 2. Ubi meſſis fit mentio; at Salvatorem ſemper è re præſenti occaſionem

onem docendi hausisse est in confesso: cum autem Paschatis tempore instabat messis, festum illud intelligendum esse, ultro seqvitur. Qvod vero Hierosolymam venerit, liqvet ex v 38. ubi dicitur ingressus domum Marthæ, qvæ in vico Bethania propè Solymam habitabat. Joh. c 11. v. 28. Resp. I. Verbis illis ex Luc. 9. v. 51. probari non posse Pascha aliqvod, proximè vel elapsum vel instans, nedum peculiare & distinctum ab iis, qvæ nos statuimus. Etenim illa στήριξις τοῦ προσώπου ad proficiscendum Hierosolymam facta est longè post Pascha tertium non multò ante festum tabernaculorum ultimum vel qvartum Pascha antecedens. Resp. II. Probationis loco qvæ afferuntur admodum sunt infirma. Nam 1. qvod attinet, ubi dicitur profectus tempore assumptionis suæ, qvo Paschatos festum describatur; nego præsenti in textu id haberi. Non inqvam ita dicitur: tempore assumptionis Christum profectum Hierosolymam; sed ἐγένετο ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας, τῆς ἀναλήψεως αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξε τοῦ πορεύεσθαι εἰς Ἱερουσαλήμ. Factum est, dum complerentur dies assumptionis ejus, & ipse faciem suam obfirmavit ire Hierosolymam. Qvibus innuitur, tempus ministerii, qvod assumptioni prædeterminatum erat vel antecedere debebat, paulatim fuisse completum, vel ad finem tetendisse, ac propterea Salvatorem ulterius noluisse Judæâ & Hierosolymis abstinere; sed obfirmasse faciem, atq; contemptis omnibus hostium sibi insidiantium machinamentis, omninò statuisse in Judæam & Hierosolymam redire. Nec 2. ex c 10. v. 2. qvod citatur, firmius est. Nam licet ex præsenti re occasionem qvandoq; & sæpè qvidem docendi sumpsisse concedamus, multa tamen dixisse etiam absq; ejusmodi extrinsecus oblata occasione negari neqvit. Neq; etiam 3. alicujus est roboris. Non enim seqvitur: In itinere suo Dn venit in vicum Hierosolymis proximum in qvo habitabat Martha & Maria. Ergo necessariò venit Hierosolymam, & qvidem ad festum Paschatos ibi celebrandum.

Ob, 3. Christum passum anno 19. Tyberii, qvi incidit in annum P. J. 4745. & baptizatum, ministeriumqve suum exorsum anno, ut S. Sacra affirmat (inqvit Calvis.) 15. Tiberii, qvi cæpit anno P. J. 4741. Ergo ipso ministerio verbi fungente, 5. Paschata celebrata sunt, & per conseqvens ministerium administravit non 3. sed 4. integros annos, & ali-

& aliqvot menses ex anno quinto. Resp. Christum passum & mortuum anno 19. Tiberii conceditur, sed eum à Johanne 15. ejusdem Tiberii baptizatum negatur.

Regeris: hoc tamen dicere Lucam.

Resp. Lucas asserit Iohannem cœpisse docere & baptizare anno 15. Tiberii, quod verò eodem anno & Salvator baptizatus sit, nullibi in Scripturis S. affirmatur.

Obj. 4. Si Christus natus 30. annos baptizatus est, & juxta veram ætatis Christi numerationem, anno 35. crucifixus, sequitur omninò explevisse eum in ministerio non 3. sed 4. solidos annos.

Resp. Compleverat Dn. Jesus 30. annos, & menses 9. præterpropter, cum baptizaretur. Cum igitur 31. annus nondum esset completus, hæc nostra sententia Evangelistæ Lucæ non est adversa. Nec enim dicit Christum, qvando baptizabatur, fuisse 30. annorum, sed ὡσεὶ qvasi vel circiter 30. annorum.

Regeris: Hac ratione S. Lucas dixisset, fuisse Dominum 31. annorum. Trigesimo primo enim anno ætas Christi tum fuisset proximior, qvam trigesimo.

Respon. Lucam hic notatione 30. anni respexisse ad 30. annum, qvem complevisse oportebat Sacerdotes, cum ad officium publicè in Tabernaculo & templo administrandum admitterentur. Num. c. 4.

IV. Dn. Hainlinus, 6. Paschata statuit idq; ita confirmare conatur: Si Christus mortuus est mense Aprili anni P. J. 4747. ut supra probatum: & ad ministerium inauguratus & baptizatus est circa autumnũ anni P. J. 4741. oportet docuerit annis 5. & mensibus ferè 6. & si natus est anno P. J. 4707 circa finem & baptizatus anno P. I. 4741. circa autumnum, fieri aliter non potest, qvin habuerit, cum ad baptismũ accederet, annos 33. & $\frac{3}{4}$.

Resp. Nititur discursus falsis hypothesibus. Neq; enim Dn. Jesus anno P. J. 4707. natus, nec anno P. J. 4741. baptizatus, nec etiam anno P. J. 4747. cruci est affixus, ut suis qvibusq; locis ostendimus. Ergo nec 5. annis & 6. mensibus Salvator docuit.

Qværitur 14.

An Christus die divinitùs constituto agnum Paschalem mactarit & comederit?

Resp.

Resp. qvidam ex veteribus Græcis opinati sunt, Salvatorem ultimum agnum Paschalem non comedisse legitimo tempore, sed diem anticipasse, referunte Cl. Langio l. 2. c. 6. At verò Græcos hosce gravissimè fuisse hallucinatos ex Scripturis S. facile potest demonstrari.

Nam 1. Evangelistæ testantur, discipulos à Christo missos debito & legitimo tempore Pascha præparasse, debito qvoq; tempore Christum venisse & cum discipulis idem manducasse. Matth. v. 17. Marc. 14. v. 12. Luc. 22. v. 7.

2. Num. 19. v. 13. Deus comminatur animam ejus, qvi mundus, aut itinere non erit, & tamen Pascha celebrare omiserit, è populo suo eradicatum iri, eò qvod oblationem Jehovæ non obtulerit stato tempore. Christum autem hanc legem violasse, nullo modo est probabile. Et si violasset, absq; dubio hoc Judas Pontificibus & Pharisæis &c. indicasset, qvi in accusatione Christi, id non prætermisissent, cum aliàs falsos testes subornarent, & vana qvæq; contra ipsum anxiè conqvirerent.

3. Matth. 5. v. 16. asseverat Servator, se venisse, non ut dissolveret Legem & Prophetas, sed ut impleret. Ergo.

Qværitur 15.

An Dn. Jesus eodem, qvo Judæi, tempore Pascha mactarit & comederit?

Affirmant id ex Pontificiis Alphonsus Tostatus & Cardinalis Baronius, ex Reformatis H. Brugthonus & Cloppenbergius, & ex nostratibus D. Casp. Brochm. p. m. Alii negant, qvibus adstipulor eorumq; sententiam ita confirmo.

I. Si Iudæi & Christus eodem tempore Pascha mactassent & comedissent, seqveretur, Servatorem in magno festivitatis Paschalis die, à Judæis ad Pilatum fuisse ductum, accusatum, condemnatum & in crucem actum &c. Posterius vero non est consonum. Ergo nec prius. Major est certa. Si enim Christus die 14 Nisan inter duas vesperas juxta Legem divinam, agnum Paschalem per discipulos mactavit, eundem vesperà seqventi comedit, noctu verò captus & examinatus fuit, mane etiam diei elucescentis ad Pilatum deductus &c. utiq; id ipsum evenit 15. Nisan, atq; adeò die magno & sancto. Nam 15 dies fuit sanctus, qvo nullum opus faciendum erat, excepto cibo & victu,

ctu, qvem parare cuiq; licebat. Assumptio itidem negari non potest. Qvi enim pontifices, Pharisæi & Seniores &c. qvi tam rigidi etiam in minimis, Legis custodes videri volebant, in re tam manifestâ Legem tam graviter & protervè violassent?

II. Johannes c. 19. v. 14. expresse dicit, diem, in qvo Salvator à Pilato fuit condemnatus, & post aliqvot horas in cruce mortuus, fuisse parasceven Paschatos. Eo autem die agnus Paschalis inter duas vesperas erat mactandus & præparandus, ut vesperi seqventi comedi posset. At Christum præcedenti die discipulos misisse, ac per eos agnum Paschalem 14. die. Nisan mactavisse, & mox seqventi vesperâ manducasse, ex Evangelicâ historiâ patet. Diverso igitur tempore Christum & Judæos Pascha mactasse, & manducass , manifestum est.

Excipitur: Παρασκευὴν τοῦ Πάσχα non esse diem esum agni Paschalis proximè præcedentem. Parasceve enim significat præparationem, atq; idcircò designatur dies, in qvo præparantur, qvæ ad vitam seqventi die sustentandam necessaria erant. Ejusmodi autem præparatione ciborum non erat opus ante primum azymorum diem, siqvidem eo ipso concessum à Deo erat, qvæ ad victum spectabant, parare. Notari autem hac locutione παρασκευῆς τοῦ Πάσχα diem, qvi Sabbatum (hebdomadis scil.) proximè præcessit. Ita enim Marcum explicare c. 15. v. 42.

Resp. 1. Παρασκευὴν τοῦ Πάσχα esse diem esum agni Paschalis ac primum azymorum diem proximè antecedentem probat. 1. Ipsa φράσις. Si enim est παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, non erit magnus & sanctus dies Paschalis primus scil. azymorum. Parasceve enim Paschatos nihil aliud est qvam dies festum Paschatos proximè antecedens, in qvo parabantur, qvæ ad Pascha erant necessaria. 2. Idem demonstrant Judæorum in die Parasceves peracta opera, qvibus juxta legem divinam die primo azymorum incumbere non poterant, confer 1. argumentum supra positum.

Resp. 2. Probatio addita est nihili. Qvæ enim est conseqventia? παρασκευὴ in genere notat præparationem. Ergo designatur sola præparatio ciborum & victus. Nulla. Contrà ipsa substrata materia & textus circumstantiæ ostendunt potius indicari præparationem eorum, qvæ ad celebrationem festi Paschalis reqvirebantur.

Hinc

Hinc expreſsè dicitur παρασκευὴ τῦ, non σαββάτυ, ſed πάσχα.

Reſp, 3. Qvod autem aſſeritur fuiſſe παρασκευὴν Sabbati, id dextrè intellectum nobis non adverſatur. Dicimus enim tum Pontificibus & Phariſæis & reliqvis Iudæis, qvi eorum placita ſeqvebantur, diem primum azymorum (proprie ſic dictum,) qvi à veſperâ paraſceven hanc ſæpius dictam proximè ſeqvente, initium ducebat, incidiſſe in ipſum Sabbatum hebdomadis, adeoq; paraſceven Paſchatos fuiſſe paraſceven ſabbati vel προσάββατον uti Marcus loqvitur.

III. Qvia ſeqventi die mane Sacerdotes &c. nolunt in Pilati prætorium introire, ne polluerentur, atq; idcircò Paſcha vel agnum Paſchalem comedere non poſſent. Ioh 18 v. 28.

Excipitur. 1. Non tantum epulum agni Paſchalis vocari; τὸ πάσχα; ſed etiam manducationem τῦ πάσχα extendi ad ſacrificia, quæ 7. diebus azymorum offerebantur: veluti planiſſimum è locis Deut. 16. v. 2. & ſeq. 2. Paral. 30. v. 15. 21. &c 35. v. 5. 17. Act. 12. v. 34. nec licet ulli, niſi mundo ad horum participationem accedere. 2. Paral. 30. & Num. 9 v. 1. & ſeq.

Reſp. I. Vox פֶּסַח quæ tranſitum ſignificat, ἐτυμολογίαν ſi ſpectes, in Scripturâ S. ſignat. 1. agnum Paſchalem. Deut. 16. v. 6. Num 9. v. 1. & ſeq. 2. notat vox פסח feſtum illud, quod Iſraelitæ in memoriam tranſitus Angeli, & ſui ex Ægypto egreſſus celebrabant. Deut. 10. v. 2. 3. deſignat totum illud tempus 7. dierum, quibus azyma comederunt. Act. 12. v. 3 4. Quod verò uſurpetur etiam in Sacris S. pro ſacrificiis aliis, quæ præter agnum Paſcalem immolabantur, ſeptem iſtis diebus, id demonſtrari nequit.

Reſp. II. Loca citata non probant aſſertum. Nam Actor c. 12. v. 3. 4. vox πάσχα non notat ſacrificium, ſed ipſum feſtum τῶ ἀζύμων & indicatur Herodem in animo habuiſſe feſto paſchatis impleto, & elapſo, Petrum judicio ſiſtere, & è medio tollere. 2. Chron. 35. nihil reperitur adverſam partem quod juvet. Nam verſ. 17. וַיַּעֲשׂוּ --- אֶת הַפֶּסַח contradiſtingvitur ipſi feſto azymorum & prætereà פסח ibi tempus non ſacrificium ſignificat. Verſ. 5. nequidem fit mentio Paſchatis, verſ. autem 6. extra dubium ſignificatur mactatio agni Paſchalis, ut ex collatione verſ. 1. apparet. Eodem modo ſe res habet 2. Paral. c. 30. v. 15. Nihil enim ibi apparet etiam dili-

diligenter textum ponderanti, quod evincat, præter agnum Paſchalem etiam alia ſacrificia voce פסח deſignari. Reſtat unicus locus Deuter. c. 16. v. 2. qvi contraſentientibus favere videtur. Verum enimverò mentis ſi oculis præjudicio non excæcatis, verba Moſis fueris intuitus, deprehendes ea adverſam ſententiam neqvaqvam probare. Verſu namq; primo jubet Deus, ut obſervent חֹדֶשׁ הָאָבִיב menſem novarum frugum, qvo Deus ex Ægypto Iſraelitas eduxit, ut faciant, vel celebrent Jehovæ Deo ſuo פֶּסַח feſtum Paſchatis, in memoriam miraculoſæ ex Ægypto eductionis. Seqventi verſu ſecundo docetur, qvid ſacrificandum in ejusmodi feſto, & qvo loco. Verba ita ſonant וְזָבַחְתָּ פֶּסַח לַיהוָה אֱלֹהֶיךָ צֹאן וּבָקָר Et ſacrificabis Paſcha Jehovæ Deo tuo, oves & boves. Jubentur hîc Iſraelitæ ſacrificare Jehovæ Deo trinuno primò agnum Paſchalem, dictum פֶּסַח in memoriam illius tranſitus Domini Exod. 12. v. 11. 12. dein etiam præter agnum præfatum jubentur mactare & offerre alia ſacrificia oves puta & boves. Confer Num. 28. v. 19. & id qvidem non qvovis in loco, ſed in eo ſaltem, qvem Dominus ſit electurus. Et hæc genuina eſt loci Moſaici explicatio, qvam ipſa verba exhibent, nec qvicqvam hîc occurrit inſoliti, vel contorti.

Excipit 2. Cloppenb. Chagiam 14. diei (hoc eſt qvæ cum agno Paſchali mactabantur & menſæ imponebantur unà cum agno Paſchali comedenda) hic intelligi, qvod una nocte & duobus diebus comederetur. Probat hoc ex Deut 16. 2.

Reſp. 1. Nunqvam probabitur Chagiam in Sacris Paſcha appellari. 2. Reſiduum agni Paſchalis, & qvæ prætereà menſæ inferebantur, igne fuiſſe abſumpta mox eadem nocte, patet ex Lege divinâ. Exod. 12. v. 10. c. 23. v. 18. Num. 9. v. 12. Deut. 16. v. 4. Et ita, qvamdiu agnos Paſchales manducarunt, uſu fuit obſervatum, ut teſtatur Joſephus, qvi non ſolum fuit Judæus, ſed & Sacerdos, & rem ipſam oculis ſuis ita fieri vidit, & agnos Paſchales mactavit & comedit.. vid l. 3. Antiq. c. 10. 3. Probatio eſt nauci. Nam 1. locum Deut. 16. v. 2. hoc non probare, ex ante datâ ejus explicatione manifeſtum eſt. 2. Si Moſes laudato loco ageret de Chagia, eſſet ejus uſus præcepti, non verò permiſſionis, qvod tamen omnes fatentur & docent Judæi.

Obj. 1. Nullam ſufficientem cauſam dari poſſe, cur Judæi diverſo à Chriſto tempore Paſcha celebrarent. Ergo.

Reſp. Varii varias diverſitatis hujus afferunt cauſas, de qvibus prolixè Cl. Lang. l. 2. c. 6. Verum cum hæc res ſit intricatior, & qvænam ex iis verior cauſa, adhuc ſub Judice lis ſit nos ea mittimus & in argumento objecto conſeqventiam negamus. Multa ſiqvidem in rerum naturâ occurrunt, qvæ eſſe nullâ ratione negari poſſit, etiamſi vera & ſufficiens cauſa nos fugiat. Ita & hîc ſe res habet. Chriſtum enim alio die atq; Pontifices, & qvi eos ſeqvebantur, Paſcha celebraſſe, certi ſumus, & prægnantes rationes ante adduximus, qvamvis ſufficientem cauſam hujus diverſitatis vix allegare qveamus.

Obj. 2. D. B. Qvia aliàs diſcipuli non inveniſſent omnia parata qvæ ad mactandum epulum Paſchale è legis præſcripto reqvirebantur Matth. 26. v. 17. & ſeq. Nam inter alia juſſerat Dominus Exod. c. 12. v. 3. & ſeq. ut agnus Paſchalis, ſacro epulo ſerviturus, è promiſcuo grege ſumptus, domum adduceretur decimo die menſis primi, aſſervandus in diem decimum qvartum, & tum demum ritibus à Deo præſcriptis comedendus.

Reſp. Qvosdam Judæorum eodem cum Chriſto die agnum Paſchalem comediſſe; alios verò, qvos inter fuere ἀρχιερεῖς & ſeniores populi Matth. c. 27. v. 1. Joh. 18. v, 28. die ſeqventi. Poſterius ex noſtris ſuprà allatis fundamentis certum eſt Prius verò dextrè ſatis colligitur ex Luc. 22. v. 7. ubi dicitur: veniſſe diem azymorum, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα in qvâ oportebat mactari Paſcha; & ex Marco c. 14. v. 12. Ubi ita habetur, primo die azymorum, ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον, qvando Paſcha immolabant. Syrus hæc ita effert; primo die azymorum, in qvo immolant Judæi Paſcha; atq; adeò diſertè noſtram ſententiam exprimit. His præfatis dico, diſcipulos, ut oppoſitio vult, vix omnia inveniſſe parata, nimirum ſi ſolus Chriſtus cum diſcipulis Paſcha hoc tunc temporis celebraſſet. At verò cum & multi Judæorum, ut ex dictis patet, unà cum eo die eodem agnum Paſchalem mactarint & comederint, dubium nullum eſt, qvin pro his agni juſto tempore à grege ſeparati ſint, atq; ita diſcipuli omnia parata invenire potuerint.

Obj. 3. D B. Qvia Lex præcipit, ut unum idemq; ſit initium azymorum, & eſus agni Paſchalis. Exod. 12. v. 18. Levit. 23. v 5. Num.

Num. 28. v. 16. Christum vero celebrasse Pascha primo die azymorum, disertè testatur Mat. c. 26. v. 17. & seq. Marc. c 14. v. 12. & Lucas. c. 22. v. 17.

Resp. Unum idemq; initium azymorum, & esus agni Paschalis fuisse, & Christum primo azymorum die agnum Paschalem manducasse, conceditur, sed inde seqvi, Judæos omnes eodem tempore idem Pascha comedisse, negatur.

Qvæstio 16.

De Sacrificiorum & muneris cessatione?

Danielis c. 9. v. 27. dicitur Messias sacrificia & munus cessare fecisse, qværitur ergò, qvando & qvomodo Messias id præstiterit? Resp. Non est hic una eademq; eruditorum sententia. I. M. Helvigius eam Sacrificiorum abolitionem factam dicit, cum Johannes in deserto Judææ ad mandatum Dei baptizare cæperit & clamare, resipiscite, appropinqvavit regnum cœlorum. Matth. c. 3. v. 1. & 2. Mar c. 1. v. 4. Luc 3. v 2. 3. 4. cum etiam mox discipulis suis & non multò post Sacerdotibus & Levitis, qvisnam esset, qværentibus, se Messiam esse negaret Jesu autem Nazareno egregium testimonium daret Joh. 1. v. 15. & seq. Tum verè cessavit Sacrificium Leviticum & munus. Resp. 1. Si ita, qvomodo Messias multis fœdus dimidiâ septimanâ cessationem Sacrificiorum & Muneris antegrediente, confirmasse dici potest? Confirmatio enim fœderis inaugurationem ad publicum docendi munus non antecedit, sed seqvitur. Expresse enim Angelus dicit: ab exitu verbi &c. ad Messiam Principem sunt septimanæ 7. & 62. hoc est, 69. Residua igitur est 70. & ultima, in cujus medio Sacrificium & munus cessavit. Respon. 2. Baptista aliqvantulum temporis antè ita cæpit prædicare, qvam CHRISTUS publicum docendi munus exorsus est. Qvi ergo Sacrificia ille abolevisset? Neqve tum, cum Johannes CHRISTO honorificum testimonium dare, Sacrificia cessare facta dici qveunt. Nam testimonio illo saltem indicatur, Jesum Nazarenum esse agnum Dei, qvi tollit peccata mundi eumq; jam venisse, ut legem implendo Sacrificia cessare faciat, suo nimirum tempore. Qvamvis enim mox in ipsâ Christi circumcisione, ubi, ut ait pia antiqvitas, primitias sangvinis Patri suo obtulit, sangvinis effusio, in sacrificiis præfigurata, etiam peracta dici potest, non tamen, nisi Christi passione & morte in crucis ligno, Sacrificia propriè

loqvendo abolita vel cessare facta fuere. Tum enim omne suum complementum Sacrificia nacta sunt. Tum mactatus est agnus ille Dei, qvi tollit peccata mundi Joh. 1. Tum peracta est effusio sangvinis (sine qvâ non est remissio peccatorum Heb. 9. v. 22.) non hircorum & taurorum Heb. 9. v. 12. sed θεανθρώπου: Deus namq; proprio sangvine Ecclesiam redemit. Act. 20. v. 28. Tum deniq; igne iræ divinæ, cujus ratione Deus est ignis consumens Deut 4. v. 24. afflatus & crematus est.

Obj. 1. dictum Matth. 11. v. 12. 13. A diebus Johannis Baptistæ usq; nunc regno cœlorum vis affertur & violenti rapiunt illud. Nam omnes Prophetæ & ipsa Lex usq; ad Johannem prophetarunt. Resp. Allegatum testimonium probandæ adversæ partis sententiæ est inconveniens. Qvippe vers. 12. indicatur: à tempore, qvo Johannes prædicare cæpit, magnum fieri hominum concursum ad Evangelium recipiendum & ingrediendum Christi regnum, instar militum violento impetu urbem irruentium & occupantium. Qvid hæc ad Sacrificia, eorumq; cessationem? Nec versus 13. probat, qvod debet. Mens enim ejus est: Omnes Prophetas, qvi ante Johannem vixerunt, & Legem adventum Messiæ futuri prædixisse, & præfigurasse; sed Johannem Baptistam testari ipsum Christum jamjam venisse, imò digitis præsentem monstrare. Qvî inde evinces eo tempore Sacrificia cessare facta? Certè Lex & Prophetæ non duntaxat Messiæ adventum prædixerunt, sed etiam ipsum pro mundi peccatis passurum & moriturum. Hoc verò qvia tum nondum erat factum, seqvitur tunc temporis Prophetas & Legem non omnimodè impleta fuisse, ac eapropter Sacrificia nondum fuisse abolita. Testatur hoc ipse Salvator Luc. 18. v. 31. Ubi dicit: nunc omnia implebuntur, qvæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim &c.

Obj. 2. Idem probare verba Christi ad Baptistam: Sic decet nos implere omnem justitiam. Matth. 3. v. 15. Qvo nihil aliud innuere voluit, qvam homines jam lavacro Baptismi Ecclesiæ Dei inseri, ac insimul vetus circumcisionis fœdus unà cum omnibus typis & Sacrificiis Mosaïcis finem habere ac desiisse.

Resp. πᾶσα δικαιοσύνη hic designat omne qvod Deus instituerat & observare mandarat. Inter qvæ, qvia & Baptismus erat, decebat

bat Messiam, utpote qvi ad implendam omnem Dei Legem & instituta, in mundum venerat, etiam ipsum Baptismatis Sacramentum suscipere. Et hoc prædictis verbis Salvator Baptistæ significare voluit. Hisce ita se habentibus, per se liqvet, inde non demonstrari, jam tum omnes typos & Sacrificia complementum & finem sortia fuisse. Licet enim Christi ceu Mediatoris erat, omnem implere justitiam, nondum tamen, cum baptizaretur, eam implevisse, dici potest. Qvandoqvidem, ut ex antè dictis apparet, multa adhuc implenda erant.

II. D. L. in præfat. in Dani. & Biblia Vinariensia, cum statuant, Christum non in medio septimanæ ultimæ, sed mox post 62. illas septimanas passum & mortuum, ideò etiam hanc cessationem factam volunt in Concilio illo primo Act. 15. v. 2. qvod triennio ferè post resurrectionem Christi Hierosolymis celebratum dicunt. Resp. 1. Jam antè qvæstione primâ, articulo secundo membri secundi, de fine 70. hebdomadum, ostensum est, Christum excisum non statim post 62. septimanas, sed in medio ultimæ septuagesimæ videlicet. Resp. 2. Neq; etiam in septimo illo ab ascensione Christi anno qvicqvā occurrit, in qvo commodè finis roborati fœderis collocari potest. Qvare, id, qvod de Sacrificiorum cessatione triennio post Christi ascensionem facta affertur, minus rectè se habet. Resp. 3. Concilium illud non mox elapsis tribus à resurrectione Christi annis, sed multò, pluribus Hierosolymæ habitum invictè probari potest. Nam ad Gal. c 2. v. 1 legitur: post 14. annos Paulum ad Concilium illud Hierosolymam ascendisse. Annos hos 14 qvidam, ut Beza, Calvisius numerant à Pauli conversione Act 9. Alii ut Interpretes Belgici à dilapso triennio, qvod Paulus post conversionem in Arabiā exegit. Gal. 1. v. 17. & 18. Si jam assensum præbebis Calvisio, 14. annos ad minimum à Christi resurrectione ad Concilium Hierosolymis celebratum effluxisse videbis; Sin verò Interpretibus Belgicis assurrexeris, 17. annos elapsos deprehendes.

III. Junius in notis ad Dan. c. 9. v. 27. Opinatur cessasse Sacrificia 5. anno ineunte ultimæ hebdomadis, qvo cæpta est Hierosolymorum obsidio per Vespasianum, Nerone adhuc superstite institui. Et ad verba: abolebit &c. ita commentantur: nimirum piis qvidem

unicâ oblatione ſui ipſius per Spiritum æternum factâ, qvâ conſecravit in perpetuum eos, qvi ſanctificantur. Heb. 10. v. 14. impiis verò atq; hypocritis oppugnantibus gratiam Evangelii, abolebit ex facto, qvia premente urbis obſidione, deſtituerentur commoditatibus ſacrificiorum. Reſp. 1. Grato animo acceptamus, qvod fatetur piis morte & paſſione Chriſti Sacrificia abolita. Qvod verò putat Danielem citato loco non de hac, ſed poſteriori illâ violentiâ Sacrificiorum abolitione agere, in eo hallucinatur. Septuaginta enim hebdomades, in qvarum ultimâ & 5. anno hæc Sacrificiorum ceſſatio facta à Junio dicitur, dudum ultra 30. annos antè finem ſuum ſortitæ erant, ut qvæſtione primâ demonſtratum eſt. Reſp. 2 Præterea vero non eſt conſentaneum, Hieroſolymam anno ante excidium tertio, Nerone adhuc ſuperſtite per Veſpaſianum obſideri cæptam. Nam 70. demum anno Chriſto nato (juxta Æram vulgarem) non ſolum mortuo Nerone, ſed & occiſis Galbâ, Otthone & Vitellio ac Veſpaſiano Cæſare jam conſtituto, Titus hujus filius Hieroſolymam obſidione cingere cœpit 14. April. & 8. Septembris occupavit. Reſp. 3. Itidem verum non eſt, impiis tertio ante excidium anno Sacrificia abolita fuiſſe. Nam Sacrificia adhuc oblata ſunt non ſolum proximè antè Urbis obſidionem Joſeph. l. de bell. 5. c. 1. ſed etiam, cum à Tito jam obſeſſa opugnaretur. Joſeph. l. 5 c. 11. Egeſip. l. 5. c. 5. Die 17. תמוז vel menſis qvarti demum juge Sacrificium ceſſavit idq; ob penuriam Sacerdotum Joſeph. l. 6. c. 8. Egeſ. l. 5. c. 31.

IV. Interpretes Belgici, Wilhelmus Langius, M. Johannes Vorſtius & alii ſtatuunt Chriſtum paſſione & morte ſuâ ceſſare feciſſe Sacrificium & Munus. Et hæc ſententia eſt optima. Tunc enim Chriſtus παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ θεῷ, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. Eph. 5. v. 2. Chriſtus enim ſuâ paſſione & morte vera eſt θυσία & προσφορὰ pro peccatis mundi Joh 1. v. 29. 1. Pet. 1. 19. qvâ conſummavit in perpetuum, qvi ſanctificantur. Ebr. 10. v. 14. qvam etiam Sacrificia Levitica præfigurarunt ejusq; umbræ fuerunt. Exhibito igitur antitypo, exſpirat meritò typus, præſenteq; Sole, evaneſcunt umbræ Col. 2. v. 17. Licet autem adhuc poſt mortem & aſcenſionem Chriſti in templo Hieroſolymitano, & qvidem 30. amplius annis, ad exid-

excidium usq; urbis & templi, hostiæ immolatæ sint, ut ex antedictis manifestum est, tamen morte Christi omnis earum sublata est necessitas, sublatus fructus.

Qværitur 17.

Qvid intelligendum per τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως. Matth. 24. v. 15. Mar. 13, 14?

Variant & hic Scripturæ S. Interpretes I. Qvidam notari opinantur idolum Antiochi Epiphanis, Jupiter Olympius appellitatum, qvo Sanctum Sanctorum profanavit. Joseph. l. 12. Antiq. c. 7. & 1. Maccab. c. 1. v. 57. Resp. 1. Neq; Josephus neq; author lib. 1. Maccab. locis citatis ejusmodi idoli meminerunt. E qvidem 1. Maccab. 1. v. 57. ita legitur: exstruxerunt abominationem desolationis super altare. Verum illam abominationem non fuisse statuam Iovis Olympii, sed aram abominandam veteri altari impositam, ex v. 62. apparet. Idem patet ex Iosepho, qvi dicto loco inqvit, Antiochum in templo exstruxisse altare in qvo suillam obtulit, Iudæosqve ut idem facerent coegit. De idolo Iovis Olympii nihil ibi invenitur. Resp. 2. Etiamsi reverà idolum tale in Sancto sanctorum fuisset positum, ad id tamen Christum non respexisse, vel inde certum est, qvod non de abominatione præterita, qvalis tum erat illa Antiochi, sed de adhuc futurâ & proxime Hierosolymorum occupationem & destructionem antegrediente agat.

II. Alii explicant de aqvila aureâ, qvam Herodes Magnus in gratiam Cæsaris Augusti super portam templi collocavit. Ioseph. l. 1. de bello c. 21. & l. 17. Antiq. c. 8. Resp. Christus non loqvitur de abominatione desolationis præteritâ, sed adhuc futurâ, & qvam proximè Hierosolymorum obsessio & expugnatio & destructio esset insecutura. Id autum de aqvilâ Herodis aureâ dici non potest. Nam illa dudum ante Christi de abominatione illa desolationis habitam concionem portæ templi & affixa & dejecta fuit. Brevi enim antè mortẽ Herodis, cum Christus puerulus in Ægypto exularet, adolescentes Iudæi à duobus Pharisæis Iudâ & Matthiâ eorum præceptoribus instigati, aqvilam illam detraxerunt & securibus confregerunt. Ioseph.

III. Hie-

III. Hieron. ſuper 24. c Matth. Eraſmus in annotat. in Matth. c. 24. intelligunt de eqveſtri ſtatuâ Adriani, qvæ in loco, ubi qvondam Sanctum Sanctorum, longo tempore ſtetit. Reſp. τὸ βδέλυγμα ἐρημώσεως Matth 24. &c. fuit ſignum urbis excidium antecedens, Statua autem Hadriani dudum poſt Hieroſolymam deſtructam, ultra nimirum 60. annos, inibi fuit locata.

IV. D. L. in præf. in c. 12. Dan. Bren. homil. in c. 21. Luc. Oſiander in Bibl. de ſtatuâ Caji Caligulæ interpretatur, qvam Petronius Vitellii ſucceſſor & Syriæ Præſes de mandato Cæſaris Caligulæ in templo Hieroſolymitano poſuerit. Ioſeph. l. 18. Antiq. c. 11. & l. 2. de bell. c. 17. Reſp. 1. Statuam illam templo non fuiſſe illatam. Petronius qvidem, ut Cajo Cæſari obſecundaret, magno coacto exercitu venit, in templo vel vi, ſi Iudæi refragarentur poſiturus. At verò, cum multa Iudæorum millia hanc templi profanationem deprecarentur, totis 40. diebus, ſeqve libentius morituros profiterentur, ac agri culturam & ſationem omitterent, Petronius populi conſtantiâ motus negotium differt, & ad Cæſarem cum ſummo vitæ ſuæ periculo, interceſſorias pro Iudæis ſcribit. Interim Agrippa Rex, Cajo perqvam charus, Romæ, ne ſtatua illa in templo collocaretur, eundem orat & exorat. Legatur Ioſeph. allegatis locis, inprimis l. 18. Antiq. c 11. & mira & jucunda invenies. Reſp. 2. Qvamvis in templum ſtatua illa fuiſſet illata, non tamen eſſet abominatio, qva de loqvitur Salvator, cum triginta ferè annos ante Solymorum deſtructionem eveniſſet.

V. D. Geſnerus in Daniel. exponit de ſtatua Tiberii, qvam Pilatus poſt reſurrectionem Chriſti in Sanctum Sanctorum collocavit, idqve probat ex Euſeb. l. 8. demonſtr. Evang. Hieron. in c. 24. Matth. Theod. ſuper Daniel. Eandem ſententiam amplectitur D. Licent. Michael. Wendeler. in Tractat. de 70. hebd. p. 60.

Reſp. 1. Obſtat huic opinioni. 1. Lucæ Evangeliſtæ authoritas, qvi non niſi de exercitu Romano explicat. 2. Textus cohærentia. Ex ea namq; patet, Chriſtum diſcipulis ſuis indicare voluiſſe ſignum infallibile urbis & templi non tantum certò & irreparabiliter, ſed & celeriter devaſtandj & excindendi. Hoc ſignum ubi viſuri eſſent, abſq; omni morâ, qvâ fieri poterat maximâ celeritate ſe in fugam dare debebant,

bebant, ut etiam cum suppellectilis totius jacturâ, vitæ modò consulant. confer Matth. 24. v. 16. 17. Id autem statuæ Tiberii applicati neqvit, inter cujus in templo positionem, & templi excidium & devastationem anni 36. præterpropter intercesserunt.

Resp. 2. Iosephus qvidem l. 2. de bello Iudaico c. 14. & lib. 18. Antiqvi. c. 4. refert Pilatum militaria vexilla, qvibus imago Cæsaris inerat in urbem Hierosolymorum noctu intulisse, qvod verò in Sacrarium vel Sanctum Sanctorum illata sint, de eo nil habet. Addit etiam alios Procuratores Iudææ, qvando copias Romanas in urbem ducerent, alia signa in vexillis habuisse, verum Pilatum primum noctu ejusmodi imaginem in contemptum Legis Judaicæ importanda curasse, & in urbe erexisse. Egesippus l. 2. c. 3. refert Pilatum etiam id egisse, ut imagines illas in templum importaret; verum paulò post Judæorum precibus & constantiâ flexum, ex urbe reportandas Cæsaream curasse, ut habet Joseph. l. 18. c. 4.

VI. Augustinus, Chrysost. Jun. & Trem. Interpr. Belgici. M. Vorstius & alii intelligunt exercitum Romanum. Resp. Hanc sententiam esse omnium simplicissimam & verissimam. Roboratur 1. authoritate Lucæ errare nescii. 2. textus cohærentiâ, ut suprà in refutatione 5. opinionis ostendi.

Obj. 1. D. Gesn. Christum abominationem illam de signo aliqvo futuræ, non verò instantis vastationis interpretari.

Resp. Contrarium liqvet ex textu. Vult enim Salvator, ut visa abominatione illâ, mox fugiant ad montana &c. v. 16. 17. Matth. 24. qvibus hortatur eos ad celerrimam fugam arripiendam, nè calamitatibus & excidio involvantur. Tantum igitur abest, ut abominatio hæc sit signum vastationis longè demum, post 40. fermè annorum decursum, futuræ, ut potius sit indicium mox instantis & ingruentis.

Obji 2. Abominatio illa stare debuit in templo & qvidem apud Cherubim, qvod de exercitu Romano dici non potest. Tholdius.

Resp. de templo & Cherubim nullibi, neq; apud Danielem, neqve Matthæum, vel Marcum, vel Lucam, qvicqvam habetur. Eàdem igitur facilitate rejicitur, qvâ affertur.

Instas ex Tholdio. Fieri tamen Matth. 24. expreſsè mentionem loci ſancti, per qvem intelligitur Sactum Sanctorum, uti ex Dan. c. 9. v. 29. patet, ubi aſſeritur, qvod abominatio hæc ſit ſtatura juxta alas duorum Cherubim.

Reſp. 1. Per locum ſanctum Matth. 24. neceſſariò intelligendum eſſe Sanctum Sanctorum eſt inconſeqvens, cum urbs Hieroſolymorum ſancta Eſa. 48. v. 2. Dan. 9. v. 24. Matth. 4. v. 5. Actor. 6.13. imo tota Judæa אַדְמַת הַקֹּדֶשׁ terra ſanctitatis vel ſancta dicatur Zacha. 2. v. 12. 2. Nec ex Daniele hoc probari poteſt, ſi fontem potius, qvam rivulos qvarundam verſionum conſectari velis. Confer ἐξήγησιν verſus 27. c. 9. Dan. in qvæſt. 1.

FINIS LIBRI PRIMI.



CHRO-

CHRONOLOGIÆ SACRÆ.
LIBER SECUNDUS.
SUPPEDITANS

HIstorias vel res sacras divinis Scripturis comprehensas, certo temporis articulo, qvantum ex Sacris literis haberi potest, alligatas.

DEus optimus maximus benevolentiam & benignitatem juxta æternum sapientiæ suæ decretum cum aliis communicaturus, ex incomprehensibili luce prodiit, & verbo virtutis suæ universum hoc, Cœlum & terram, & omnes res, qvæ in eis continentur ex nihilo sex dierum spatio condidit. Cæperunt tum omnia finita tam visibilia, qvam invisibilia, ipsumq; adeò tempus, qvo nihil in his est antiqvius. Hinc vetustissimus divinus Scriptor Moses ita historiam suam auspicatur: In principio creavit Deus cœlum & terram. Principium hoc fuit primus primæ hebdomadis dies, feria prima, vel, ut jam appellamus, dies Dominicus vel Solis, ac incidit in æqvinoctium vernum, extititq; primus dies Nisan, hoc est, primi Mensis.

Primo hoc die Deus creavit ex nihilo rudem & indigestam cœli & terræ molem, produxit lucem, eamq; à tenebris discretam vocavit diem & tenebras noctem. Gen. 1. v. 1. & seq.

Feriâ secundâ, vel die Lunæ fecit רָקִיעַ expansum & divisit aqvas superiores ab inferioribus v. 6. 7. 8.

Feriâ tertiâ, die Martis, ex aqvis divino jussu terra emersit, & omnis generis plantas, arbores, herbas, & earum semina protulit v. 9. & seq.

Feriâ qvartâ, die Mercurii, רקיע השמים expansum cœlorum Sole, Luna, planetis, & astris exornavit v. 14. & seq.

Feriâ qvintâ, die Jovis, aqvatilia & volatilia produxit v. 20. & seq.

Feriâ sextâ, die Veneris, animalia & reptilia terræ forma-

ta sunt. Adam etiam & Eva ad imaginem Dei creati sunt, omnes se multiplicare jussi c. 1, v. 24. ad finem & c. 2, v. 1. & seq.

Feriâ septimâ, die Saturni vel Sabbati, Deus ab opere creationis qvievit, eumq; diem Sabbatum constituit & sanctificavit, qvieti & sancto usui dedicavit. c. 2. v. 2. 3.

Protoplasti Adam & Eva à diabolo seducti à Deo deciscunt gravissimumq; peccatum edendo de arbore vetitâ comittunt, ac eapropter concreatâ justitia & integritate spoliati, peccatoq; corrupti possessione paradisi, hoc est, uberrimi & amænissimi horti, ab ipso Deo plantati, depelluntur, & ad labores & dolores per omnem vitam exantlandos condemnantur, postqvam contra desperationem promissione de semine mulieris caput serpentis contrituro erant erecti c. 3.

Seqvitur in historiâ Mosaicâ natalis Cain & Abelis, amborumq; factum, sacrificium puta, & dein nefandum fratricidium. Cum enim Cain primogenitus & agricola de fructibus terræ Deo offerret, & Abel pastor ovium de primogenitis sui gregis & de adipe eorum, id est, iisq; pinguissimis & optimis, Deus ad Abelē ejusq; munus respiciebat, hoc est, acceptum oratumq; habebat, ad Canum vero & munus ejus nō respiciebat Causam cur ita factum, edisserit author epistolæ ad Ebræos c. 11. v. 4. fuisse fidem, per qvam majoris pretii sacrificiū Abel Deo obtulit, qvam Cain &c. Hoc malè habuit Cainum, & posteà in agro fratrem Abelem trucidavit. Ita primus homo post miserrimum Adami lapsum genitus, proh dolor, primus extitit homicida, & conseqventer diaboli mancipium & titio infernalis. Gen. 4. Qvando hæc, & qvæ prætereà de ipso narrantur, qvod genuerit, & deniq; civitatem ædificaverit, contigêre, Moses non exprimit, nec ullus divinus Scriptor, tempus ergo & annus annotari neqvit.

Anno Mundi 130. nascitur Seth, vixit 912. annos, & decessit anno Mundi 1042. post obitum patris Adami 112. c. 5.

Anno Mundi 235. Enos nascitur, nepos Adami, anno ætatis Sethi patris 105. vixit 905. annos & mortuus est anno M. 1140. Hujus tempore cæptum est invocari nomen Jehovæ, hoc est, institutus fuit publicus conventus ad audiendam divinam de Deo doctrinam, qvod anteà factum in familiis privatim: atq; ita publicè facta est piorum à Cainitis secessio, qvi vocati sunt filii hominis, pii verò filii Dei. Gen. 6.

Anno

Anno Mundi 325. natus est Cainan vel Kenan anno ætatis Enos 90. vixit 910. annos & obiit anno M. 1235.

Anno Mundi 395. natus est Mahaleel, ætatis Cainan 70. Enos 160. Sethi 265. Adami 395. vixit annos 895. & è vita migravit anno M. 1290.

Anno Mundi 460. nascitur Jared anno ætatis Mahaleel 65. Cainan 135. Enos 225. Sethi 330. Adami 460. vivit 962. annos & moritur anno M. 1422.

Anno Mundi 622. nascitur Henoch, anno ætatis Jared. 162. &c. vixit 365. annos & occubuit anno M. 987.

Anno Mundi 687. nascitur Mathusalem, anno ætatis Enochi. 65. Jared. 227. Mahaleel 292. &c. vixit annos 969. & abiit è terris anno M. 1656. breviante diluvium.

Anno Mundi 874. natus est Lamech, anno ætatis Mathusalem 187. Henochi 257. &c. vixit annos 777. & mortuus est anno M. 1651.

Anno Mundi 930. Adam, primus homo, & humani generis parens, moritur secundum sententiam à Deo latam: morte morieris, & in pulverem reverteris c. 2. & 3.

Anno Mundi 987. Henoch cum integrè & piè coram Deo vixisset, vivus translatus est ad æternæ vitæ gaudia anno ætatis suæ 365. Sethi. 857. Enos. 752. &c.

Anno Mundi 1042. Seth in vivis esse desiit, cum vixisset annos 912. anno ætatis Enos 807. &c.

Anno Mundi 1056. Noach, alter humani generis parens, nascitur, anno ætatis Lamechi 182. Mathusalem 369. &c. anno post mortem Adami 126. & post translationem Enochi 70. vixit 950. annos, & obiit anno M. 2006. Gen. 9. v. 19.

Anno Mundi 1140. moritur Enos, anno ætatis 905. Cainan 815. &c.

Anno Mundi 1235. moritur Cainan, anno ætatis 910. Mahaleelis 840. Jared 775. &c.

Anno Mundi 1290. moritur Mahaleel natus 895. annos.

Anno Mundi 1422. moritur Jared natus 962. annos.

Anno Mundi 1636. ante Christum natum 2468. Deus dicit, Spiritum suum non disceptaturum in perpetuum cum hominibus impiis, sed dare se ipsis spatium 120. annorum, qvibus exactis, nisi interim veram egerint pœnitentiam, certò certius debitas peccatorum pœnas sint luituri. Gen. c. 6. v. 1. 2. 3. Qvia verò 120. hi anni ab aliis aliter explicantur, placet de iis paululum differere. Qværitur igitur: *Qvomodo verba: & erunt dies eorum 12. anni* Gen. 6. v. 3. *sint intelligenda?* Resp. I. Nonnulli ex Judæis & Christianis, qvos inter est Clarissimus G. H. Vorstius, autumant, prædictis verbis, præscribi hominibus vitæ terminum, qvod in posterum ultra 120 annos vitam non sint producturi. II. Alii longè rectius interpretantur de spatio, qvod Deus hominibus tunc impiè viventibus ad seriam conversionem concesserit. Nam 1. aliàs eventus comminationi huic fuisset contrarius. Siqvidem multos etiam post diluvium multò longiorem vitam egisse, ex c. 11. Geneseos & aliis Sacræ Scripturæ locis notius est, qvam ut pluribus ostendatur. Nec 2. verba Hebræa diversum sentientibus sed nobis potius favent. Habent autem ita: לֹא־יָדוֹן רוּחִי בָאָדָם לְעֹלָם בְּשַׁגָּם הוּא בָשָׂר וְהָיוּ יָמָיו מֵאָה וְעֶשְׂרִים שָׁנָה׃

Latinè forsan ita sonabunt: Non disceptabit Spiritus meus contra homines hos *(in homine hoc)* in perpetuum; cum etiam ipsi *(scil. filii Dei)* caro sint: sed erunt dies eorum centum & viginti anni. Hoc est, non perpetuo *(citra commeritæ pœnæ inflictionem)* Spiritus meus Sanctus pugnabit contra pessimos hosce & duræ cervicis homines *(per verbum sanctorum Patriarcharum,)* sed erunt dies eorum 120. anni, qvibus disceptatio Spiritus mei continuabitur, & ultrà qvos impiam vitam non prorogabunt. Elapsis enim iis, ni interim disceptatione Spiritus mei emendati iter vitæ melioris ingredientur, debitas pœnas sustinebunt. Hîc oppositio, qvæ est inter annos 120. & עלם, nostram sententiam egregiè firmat, adversam autem evertit.

Anno Mundi 1558. ætatis Lamechi 684. Methusalem 871. Noachi Patris 502. nascitur filius Sem.

Cum homines qvotidiè in pejus ruerent, nec ulla seriæ resipiscentiæ spes esset, Deus justus Judex tandem comminatur, se homines è terrâ unà cum animantibus in sicco viventibus, universali diluvio deleturum. Qvod verò Noachus, vir justus & integer in ætatibus

bus suis, gratiam invenisset, Deus misericors ei injungit, ut arcam sive navigium ædificet, in qvo cum filiis, uxore, & filiorum uxoribus &c. tempore adventantis & durantis diluvii servetur: qvi Deo obedientiam præstitit, & arcæ extructionem exorsus est, prædicationeq; καθ᾽ ἐκκλησίαν impios ad meliorem frugem invitat, atq; ob id præco justitiæ dicitur, 2. Petri c. 2. v. 5. Qvo tempore vel anno præcisè hoc ipsum factum sit, incertum est. Bucholzerus & Calvisius hæc omnia videntur anno Mundi conditi 1536. deputare. Verum hoc ita esse non posse facilè probatur. Qvo tempore enim Deus arcæ ædificandæ Noacho mandatum dat, eodem mox subjungit, ipsum Noachum cum filiis, uxore, & filiorum uxoribus arcam illam ingressurum, inq; eâ servatum iri. Gen. 6. v. 7. & seq. At anno 1536. Japhet, Sem, & Ham nondum erant in rerum naturâ, sed Japhet natu maximus demum anno Mundi 1556. natus est, ut ex ante dictis patet.

Anno Mundi 1651. moritur Lamech anno ætatis suæ 777. Mathusalemi 964. Noachi 595. Sem. 93.

Anno Mundi 1656. Mathusalem obit anno ætatis suæ 969. brevi ante ingruens diluvium.

Qværitur hîc: *An Patriarcharum antediluvianorum anni fuerint menstrui & qvidem 36. dierum?* Clarissimus vir Guilielmus Henricus Vorstius in observationibus ad Chronologiam Rab. Ganz. pag. 198. refert, olim inter Christianos Interpretes repertos, qvi ita senserint. Hujus etiam sententiæ fuisse, putat Augustinus l. 15. de Civitate Dei. c. 13. illum, qvi corrupit numeros in LXX. editione. Fuisse antiqvitus annos menstruos (propriè dictos. De iis enim, qvi hîc 36. dierum fuisse dicuntur, non loqvor) qvibusdam populis, Ægyptiis puta, usitatos, prodit Plinius l. 7. c. 44. & Plutarchus in vitâ Numæ: Hic tamen annos menstruos & qvidem 36. dierum obtinêre non posse, 1. invictè probatur ex ætate Mahaleelis Gen. 5. v 15. & Enochi v. 21. Hi duo Patriarchæ à Mose dicuntur genuisse nati 65. annos. Qvod si igitur 65 hi anni fuerint anni menstrui 36. dierum, utiq; conficient dies 2340. Fac inde annos Solares dierum 365. (6. horas, qvæ qvarto qvovis anno diem constituunt, jam studio omitto) & habebis annos 6. dies 150. Tot igitur saltem Mahaleel & Enochus fuissent annorum & dierum, cum generassent, qvod ἄτοπον,

2. Hac

2. Hac ratione Methuſalem, qvi tamen omnium hominum maximè longævus ſtatuitur, mortuus fuiſſet natu ſaltem 95. annos & dies 209. Cùm tamen poſt diluvium multi, imò etiam hoc noſtro ſeculo, ubi natura plurimùm infirmata eſt, dentur, qvi eam ætatem (95. annos) exſuperant.

3. Gen. c. 11. v. 24. refertur Nahorem Abrami avum fuiſſe annorum 29, cum genuerit Theracum. Anni hi 29. (ſi menſtrui) faciunt Solares 2. & dies 314. Nahor itaq; genuiſſet puerulus 2. annorum & dierum 314. Abſurdum abſurdiſſimum! Si dixeris, ipſos loqvi de annis Patriarcharum, qvi ante diluvium vixerunt, non verò de iis, qvi poſt diluvium genuiſſe dicuntur Gen c. 11. Reſp. Ergò oſtendendum calculum poſt diluvium fuiſſe mutatum. At in Moſe nec vola, nec veſtigium illius mutationis apparet.

4. Accedit, qvod in ſexcenteſimo Noachi anno, qvo diluvium cæpit menſe 2. menſes usq; ad decimum numerentur, & in undecimo 17. dies Gen. c. 7. & 8. Falſum ergo eſt annos Patriarcharum ante diluvium degentium fuiſſe vel menſis unius, vel etiam menſium 4. vel 6. vel 8. &c. Et hæc de qvantitate annorum Patriarcharum antediluvianorum hìc breviter dicta ſunto, cum ſupra l. 1. p. 2. id, uti fieri potuiſſet & forsàn debuiſſet, factum non ſit.

Eodem hoc anno (1656.) menſe ſecundo dicto אִיָּר die 10. accepit Noachus mandatum, ut unà cum filiis &c. arcam ingrederetur, & ſecum aſſumeret animalium immundorum ſingula paria, & mundorum ſeptena paria c. 7. v. 1. & ſeq.

Eodem menſe die 17. venit diluvium & ruere cæperunt largiſſimi imbres diebus 40. ut aqvarum altitudo 15. cubitis ſuperaret omnes montes & interirent omnia animalia, qvæ in ſicco vixerunt cap. 7. v. 17. & ſeq.

Die 17. menſis ſeptimi תִּשְׁרִי dicti, aqvæ, poſtqvam 150. diebus, ex qvo primum deciderunt, prævaluerant ſuper terrâ, decreſcere cæperunt, & arca altiſſimo monti Ararath impacta reqvievit. c. 7. v. 24. & c. 8. v. 1. & ſeq.

Die 1. menſis 10. vel שְׁבָט montium cacumina apparuerunt c. 8. v. 5.

Deinde poſt 40. dies Noachus feneſtram aperuit, & corvum explo-

ploratorem emisit, qvi non fuit reversus v 6.7. Postea elapsis 7. diebus (colligitur id inqviunt rectissimè Junius & Interpretes Belgici, ex versu 10) columbam emisit, qvæ cum non inveniret qvietis locum plantæ pedis sui, reversa est ad Noachum in arcam v. 8.

Iterum post 7. dies aliam emisit columbam, qvæ reversa vespertino tempore frondem oleæ virentis lætum revirescentis terræ nuncium in arcam retulit v. 10. 11.

Post alios 7. dies tertiò emisit columbam, qvæ reversa non est vers. 12.

Anno Mundi 1657. die primo primi mensis anno Noachi 601. siccatis è superficie terræ aqvis, removit Noachus operculum arcæ, viditq; terram exiccatam v. 13. Sed nihilominus adhuc 56. dies Dei mandatum de exitu expectavit. Insigne obedientiæ & pietatis in Deum documentum! Ut mandante Deo Arcam est ingressus, ita non nisi eodem mandante egredi voluit.

Die 27. mensis secundi Noachus à Deo jussus tandem unà cum uxore, filiis & filiabus, & omnibus animantibus ex arca remeat, Deoq; σωτήρια immolat & promissionem de non amplius terrâ ejusmodi universali diluvio perdendâ accipit. c. 8 v. 15. & seq.

Deus de novo benedixit Noacho & filiis ejus c. 9. v. 1. certum cibi genus præscribit v. 3. 4. 5. humani sangvinis effusionem prohibet v. 6 ac fœdere diluvii metum adimit v. 8. & seq.

Anno Mundi 1658. nascitur Arphaxad biennio post cataclysmum anno ætatis Semi 100. Noachi 602. vixit annos 438. & obiit anno Mundi 2096. Gen c. 11. v. 10. 12, 13.

Anno Mundi 1693. Salah nascitur ætatis Arphaxadi 35. Semi 135. Noachi 637. vixit annos 433. & decessit anno Mundi 2126.

Anno Mundi 1723 Heber. natus est anno ætatis Salah 30. Arphaxadi 65 Semi 165. Noachi 667. vixit omnium patrum, qvi post diluvium nati sunt, diutissimè, videlicet annos 464. Gen. 11. v. 16. 17. & defunctus est anno M. 2187.

Ultimis Eberi annis admodum probabile est, imperium sibi rapuisse Nimrodum. Moses id ita effert: הוּא הֵחֵל לִהְיוֹת גִּבֹּר בָּאָרֶץ הוּא־הָיָה גִבֹּר־צַיִד לִפְנֵי יְהוָה Iste cæpit esse potens in terra. Iste fuit potens venatione coram Jehovà. Gen. cap. 10.

v. 8. 9. Ut venatores astu & vi feras capiunt, & pro lubitu interficiunt: Ita Nimrod instar venatoris homines astutiâ & violentiâ circumvenit, sibi subjecit, inq; eos, ut lubuit, tyrannidem exercuit. Ejusmodi venator potens fuit coram Deo, non tantum reverà citra δόκησιν, sed & apertè & protervè impudenterq;, abjectâ omni non solum hominum, sed etiam Numinis divini reverentiâ. Forsan & initiò sub venationis prætextu robustissimos ac audacissimos qvosq; juvenes collegit, eosq; venationibus ita exercuit, ut ad bellicas expeditiones essent promptissimi. Eleganter Xenophon l. 1. κύρου παιδείας p. mihi 3, ἀληθεστάτη δοκεῖ αὕτη ἡ μελέτη τῶν πρὸς τὸν πόλεμον εἶναι verissima videtur (venatio scil.) meditatio rerum bellicarum, ut vertit Steph. & l. 8. p. 122. At bellicæ exercitationis gratia eos ad venationem educebat, qvibus hæc (militaria) exercenda existimabat: *hanc exercitationem rerum bellicarum esse optimam ratus.* His igitur Juvenibus imperium invasit, paternum regimen in dominatum regnumq; vertit: unde etiam נמרד Nimrod, hoc est, rebellis appellatus fuit, cum ante vel Beli vel Nini, nomen haberet.

Brevi ante nativitatem Pelegi civitatem & turrim illam cujus fastigium in cœlum assurgere debebat, extruere cœperunt, qvod tamen fastuosissimum machinamentum Jehova eventu frustratus est, confundendo eorum lingvam & sermonem, eosq; dispergendo in superficiem universæ terræ c. 11. v. 1, & seq. Inde enim Peleg (פלג notat rivum, qvasi divisum vel divergium fontis, à פָּלַג divisit) nomen accepit, qvod suo scilicet tempore, hoc est, qvo natus est, terra fuerit divisa & incolæ hinc indè dispersi Gen. 10. v. 25.

Anno Mundi 1757. Peleg nascitur anno ætatis Eberi 34. Salah 64. Arphaxad 99. Sem 199. Noachi 701. vixit annos 239. v. 18. 19. & mortuus est anno M. 1996.

Anno Mundi 1787. nascitur Regu, anno ætatis Peleg. 30. Eberi 64. Salah. 94. Arphaxad. 129. Sem: 229. Noachi 731. vixit annos 239. c. 11. v. 20. & 21. & obiit anno M. 2026.

Anno Mundi 1819. Serug nascitur, anno ætatis Regu. 32. Peleg 62 Eberi. 96. Salah. 126. Arphaxad 161. Sem. 261. Noachi 763. vixit annos 232. c. 11. v. 22. 23. & mortuus est anno M. 2058.

Anno

Anno Mundi 1849. Nachor avus Abrami nascitur anno ætatis Serug. 30. Regu 62. Peleg 92 Eberi. 126. Salah. 156. Arphaxad. 191. Sem. 291. Noachi. 793. vixit annos 148. cap 11. verſ. 24. 25. Obiit anno M. 1997.

Anno Mundi 1878. Thare Pater Abrami naſcitur anno ætatis Nachoris. 29. Regu. 91. Peleg. 121. Eber. 155. Salah. 185. Arphaxad. 220. Sem. 320. Noachi 822. vixit 205. annos & mortuus eſt anno M. 2083.

Anno Mundi 1996. moritur Peleg. natus 239. annos.

Anno Mundi 1997. Nachor natus 148 annos moritur.

Anno Mundi 2006. Noachus moritur, poſtqvam vixerat 905. annos.

Anno Mundi 2008. naſcitur Abraham in Ur Chaldæorum, anno ætatis Thare 130, & vixit annos 175. & moritur anno M. 2183.

Anno Mundi 2018. naſcitur Sarai conjux Abrahami Gen. 17.

Anno Mundi 2078. ante Chriſtum natum 1926. Thare, poſtqvam filius ejus Abram à Deo illinc egrediendi mandatum & primò promiſſionem de Semine Chriſto, in qvo omnes gentes benedicendæ eſſent, accepiſſet, ex Ur Chaldæorum aſſumpto ſecum Abramo filio, Lotho nepote, & Sarai uxore Abrami, proficiſcitur, & in Haran Meſopotamiæ urbe conſidet. Gen. 11. v. 31. & c. 12. v 1. 2. 3.

Anno Mundi 2083. moritur Thare in Haran natus annos 205. Gen 11. v 32. & Abram inde, divini mandati in Ur accepti memor, diſcedit cum uxore & fratris Haranis filio Lotho, & contendit in Canaan. c. 12. v. 4. & ſeq.

Exiſtente autem fame in Canaan, deſcendit Abraham in Ægyptum. Cum autem propè eſſet, ut ingrederetur Ægyptum, ex infirmitate humanâ cæpit metuere vitæ ſuæ ob uxoris venuſtatem, ac idcircò ab ipſâ petiit, ut ſe ſororem Abrahæ diceret. Ingreſſo autem Abramo Ægyptum, principes videntes, mulierem illam pulchram eſſe valdè, laudarunt eam apud Pharaonem. Qvi accerſitâ eâ, & in gynæcæum translatâ, Abramo benefecit, ac tandem cum à Deo plagâ magnâ affectus in thalamum aſſumere non poſſet, Abramo inviolatam reſtituit. c. 12. v. 10. ad fin. Regreſſus verò Abraham ex Ægypto

in Canaan, audit paulò post esse contentiones inter pastores suos & Lothi propter pascua. Qvare amantissimus concordiæ & pacis Lothum ita compellat: Viri fratres sumus, non sit dissidium inter nos &c. Separa te, qvæso à me: qvod si sinistram versus discesseris, dextram petam; sin autem dextram, petam ego sinistram. Fit igitur disjunctio & Loth habitat Sodomis & Abraham juxta qvercetum Mamre. Gen. 13.

Aliqvantò post evenit bellum illud, in qvo unà cum Sodomitis Loth capitur & abducitur. Qvod audiens Abraham 318. viros ex domesticis suis instruit armis, hostesqve, assumptis confederatis Aner, Eschol & Mamre, perseqvitur & ingentes eorum copias cædit, & omnē prædam & Sodomitas & inter eos & Lothum cum suis reducit. Redeunti ex prælio occurrit Melchizedek, panem & vinum ei offert, & ceu Sacerdos Altissimi benedicit, & ab Abramo decimâ prædæ, hostibus ablatæ, parte donatur &c. c. 14.

Apparet Deus Abramo, filium ei promittit denuò & seminis multiplicationem, promissionem etiam de terræ Canaan possessione repetit, & externo symbolo confirmat c. 15.

Anno Mundi 2094. Ismael filius Abrami jam 86. annos nati ex ancillâ Ægyptiacâ Hagar nascitur. Vixit 137. annos & decedit anno M. 2231.

Anno Mundi 2107. Abramo iterum Jehova apparet, & circumcisionem instituit anno ætatis Abrami 99. Ismaelis verò 13. post acceptam primitus de Semine benedicto promissionem anno 29. Gen. 17.

Eodem hoc anno Jehova æternus Dei filius, duobus comitatus Angelis, Abrahamo juxta qvercetum Mamre habitanti, & ad ostium tentorii sui sedenti apparet, ac conviva excipitur, filiumq; ei, ex Sarâ intra annum nasciturum, promittit, & Sodomorum interitum aperit. cap 18.

Educitur Loth è Sodomis à duobus Angelis. Sodoma mox & Gomorrha & vicinæ urbes pluvia sulphuris & ignis cælitus demissâ delentur. Uxor Lothi cum contra divinum interdictum retrospexisset in statuam salis vertitur.

Lothus cum filiabus, tristitiâ, vino, somnoq; obnubilatus, ince-

stum

ſtum committit, ex qvibus naſcuntur Moab & Ammon, unde Moabitæ & Ammonitæ. Gen. c 19.

Abrahamus ad urben Gerar Regis Abimelechi migrat, Saramqve dicit ſuam eſſe ſororem. Rex Saram ſibi adduci jubet, ſed à Deo plagâ affectus, & verbis in ſomnio objurgatus, inviolatam marito cum ampliſſimis donis reſtituit: cujus etiam precibus cum ſuis ſanitatem recuperat. c. 20.

Anno Mundi 2108. ante C. N, 1896. Iſaac naſcitur ex Sara, patre Abrahamo habente annos 100. Vixit 180 annos & deceſſit anno M. 2288. Gen 21.

Anno Mundi 2112. Iſmael Iſaacum irridet, eiq; σαρκαστικῶς inſultat, ac propterea ejus Mater Hagar cum ipſo inſtinctu Saræ, & Dei juſſu dimittitur, ac in deſerto Berſebâ errat, cui tamen Angelus fontem monſtrat, eamq; conſolatur.

Abimelech Rex Gerar cum Picol principe militiæ Abrahamum inviſit, & cum eo fœdus fecit. Gen, 21.

Abrahamum Deus tentat, hoc eſt, ſingularem ejus erga ſe fidem & amorem illuſtri documento omnibus ſpectandum & imitandum proponit, Jubet enim, ut Abrahamus Iſaacum, filium ſuum unicum, eumq; longè chariſſimum in monte Moria immolet. Ita ſane validiſſimo ariete Abrahami fides percutitur, cum jugulare jubetur illum ipſum, in qvo Semen vocabatur, hoc eſt, qvi legitimus hæres erat, & ad qvem divinæ promiſſiones toties factæ unicè ſpectabant. Sed Abrahamus omnem στοργὴν paternumq; affectum fide ſuperans, omnem etiam diffidentiam ſpe vincens; divinum hoc mandatum executurus ad præfatum montem pergit, aram extruit, filium ligatum ei imponit, apprehenſoq; cultro jamjam filii jugulam petiturus ab Angelo fœderis, filio Dei, impeditur, ac arietem in vepribus hærentem conſpicatus, eum mactat, & loco filii Iſaaci in holocauſtum Deo offert. Obedientiam hanc egregiam & plane ſtupendam ampliſſimo Deus exornat encomio, atq; promiſſionem de ſeminis augmento, robore & victoriâ, ac deniq; de benedictione ex Semine Chriſto in omnes gentes redundatura, jurejurando per ſemetipſum jurato confirmat. Primum hoc Dei eſt juramentum, Sacrarum literarum monumentis commendatum qvod apparet, Jurat autem Deus, non ut dictis ſuis ceu dubi-

dubiis fidem conciliet, sed ut nobis hæsitantibus consulat & medeatur, nostramq; infirmitatem firmiore consolatione sublevet, erigat & sustentet; ut, si non nuda promissio, certè sufficiat juramentum.

Quæritur hic à Chronologis: qvot Isaac fuerit annorum, cum ligatus aræ imponeretur mactandus? Variæ hic sunt opiniones. 1. Nonnulli autumant Isaacum fuisse tum 37 annorum. Ad hoc respondet Aben-Esra ad Gen. 22. v. 4. Si hæc sint verba traditionis, tum recipimus: sed per rationem non est hoc congruum. 2. Alii referunt, eum fuisse filium 5. annorum. Sed nec hoc qvadrat, inqvit Aben-Esra, cum portaverit ligna holocausti. 3. Sunt, qvi putant eum fuisse 26. annorum, ut Rabbi David Gantz in Chronol. 4. Josephus l. 1. c. 14. ἀρχαιολ. ei attribuit 25. annos. 5. Aben-Esra citato loco ait, rationi vicinius esse, ut fuerit circiter 13. annorum, atq; coegerit ipsum pater illius, neq; cum beneplacito ejus ligaverit illum. Et hunc seqvitur Abraham Bucholzerus. 6. Alstedius in thesauro Chronologico p. 109. anno 14 ætatis Isaaci hoc factum conjicit. 7. Calvisius p. 174. anno ejus 15. ascribit Abrahami hoc attentatum. Si conjecturæ & hariolationi hic standum, Calvisium à vero forrassis omnium minimè dicerem discedere. Sed fruatur suo qvisqve sensu & judicio. Certum namq; annum præcisè nemo definiet; cum Sacra Scriptura nihil hic subsidii nobis suppeditet.

Anno Mundi 2145. Sara moritur ætatis suæ 127 Abrahami 137. Isaaci 37. & sepelitur in Hebron c 23.

Anno Mundi 2148. ante natum Christum 1936. Abrahamus filio Isaaco de uxore prospecturus, seniorem suum servum juramento obstrictum, ad eam in terra cognationis suæ qværendam ablegat: qvi in Mesopotamiam profectus Rebeccam Isaaci consanguineam spectatæ pietatis & pulchritudinis virginem, Deo singulariter rem dirigente, ipsi sponsam obtinet, eamq; ex Haran in Palæstinam adductam Isaacus 40. annos natus uxorem ducit Gen. 24.

Non possum qvin hic benevolo lectori deridendum propinem anile somnium ipsius Rabbi Salom Jarchi de ætate virginis Rebeccæ, cum Isaacus 40. annorum sponsus eam vinculo conjugali sibi sociaret. Putat is eam tunc fuisse puellulam 3. annorum, idq; probare satagit ex Gen. 22. v. 20. Qvia cum reversus esset Abraham (è monte Mo-

Moria) illi nunciabatur Rebeccam natam esse, atq; Isaac tum erat 37. annorum, qvo temporis articulo Sarah obiit. A nato enim Isaaco ad mortem Saræ sunt 37. anni; qvia nonagenaria peperit Isaacum, cum objerit 127. annos nata. Anno autem Isaaci 37. natam esse Rebeccam. Resp. 1 Supponitur falsa hypothesis, Isaacum, cum immolari deberet, fuisse 37. annorum, qvod nunqvam probari poterit. 2. Nec ulla est consequentia In Genesi mox post tentatam Isaaci immolationem recensetur, Saram obiisse. Ergo Saræ mors incidit in tempus, qvo Isaac erat immolandus. 3. Deniq; commentum hoc egregiè refutant acta Rebeccæ, de qvibus prolixè agitur c. 24. qvæ ejusmodi teneræ ætati neqvaqvam convenire qveunt.

Anno Mundi 2158. moritur Sem anno ætatis 600. Eberi 435. Isaaci 50.

Anno Mundi 2168. nascuntur Esau & Jacobus ætatis Isaaci 60 &c. c. 25. v. 26.

Anno Mundi 2183. ante C N. 1821. moritur Abraham anno ætatis 175. Ismaelis 89 Isaaci 75. Esau & Jacobi 15. Gen. c. 25. v. 7. 8.

Anno Mundi 2187. moritur Eberus anno ætatis 464.

Anno Mundi 2203. Isaacus fame compulsus in Ægyptum cogitat proficisci, sed à Deo monitus Gerari subsistit: Ubi, etiamsi de promissionibus patri Abrahamo factis confirmatus esset, metu tamen uxorem Rebeccam dicit esse sororem: qvo nomine qvidem Abimelech Rex ipsum objurgat posteà, mox tamen publico edicto securitatem ipsi præstat. Cum vero singulari Dei benedictione cresceret & ditaretur valdè, patitur Philisthæorum invidiam, & deniq; à Rege jussus discedit, puteos paternos refodit, contentionumq; pastorum Philisthinorum de fontibus, pertæsus locum non semel mutat, ac tandem in Bersebah veniens à Deo apparente consolatur, cui gratias agit publicâ nominis divini invocatione & prædicatione. Rex Abimelech cum Achuzato amico suo & Picol principe militiæ suæ cum ipso fœdus paciscitur c. 26.

Anno Mundi 2208. Esau qvadragenarius ducit duas uxores gentiles Judith & Basmath contra voluntatem parentum Gen. 26. v. 34. 35.

Anno Mundi 2231. moritur Ismael natus 137. annos.

Anno

Anno Mundi 2245 Jacobus aſtu matris à patre Iſaaco benedictionem ſurripit, & Deo approbante, obtinet. Cum autem propterea Eſavus totus in fermento jaceret, ac Jacobi vitæ inſidiaretur c. 27. Jacobus in Meſopotamiam à parentibus ablegatur, & in itinere ſomnians ſcalam & Angelos deſcendentes & aſcendentes videt c. 28. idq; natus 77. annos. [Colliguntur hi anni hunc in modum: Cum Jacobus coram Pharaone ſe eſſe annorum 130. profiteretur, Joſephus erat 39 annorum. Igitur natus eſt Joſeph, cum pater annos 91. haberet Annus autem 91. fuit 14. ſervitutis Jacobi apud Labanum, qvando cum hoc de mercede paciſcebatur. Gen. 30. v. 25. & ſeq. De me jam annos 14. de 91. & habes 77. annum.)

Dein in domum Labani recipitur, & Rachelis amore accenſus pro eâ ſeptennii ſervitutem ſpondet.

• Notetur hic commentum Rabbi Salomonis Iarchi, qvem ſeqvitur R. D. Gand Dicit Jacobum accepiſſe benedictionem natum jam 63 annos ac mox latitaſſe in domo Eberi 14 annos, iisq; elapſis demum in Meſopotamiam profectum. Raſchi (hoc eſt, Rabbi Salomo Jarchi) id ita conatur probare ad Gen. 28. v 9. *Diſcimus, inqvit, Jacobum iſto tempore fuiſſe filium 63. annorum. Iſmael enim filius erat 74. annorum, cum naſceretur Jacob Iſmael autem erat 14. annis major natu Iſaaco. Atqvi Iſaac erat 60. annorum, cum gigneret illos. En ſunt 74 anni. Fuerunt autem anni ejus 137. qvia dicitur,* iſti anni ſunt vitæ Iſmaelis, centum triginta ſeptem anni. *Itaq; Jacob, cum mortuus erat Iſmael, fuit filius 63. annorum Hinc diſcimus illum abſconditum in domo Eberi 14. annis. Poſtmodum verò profectus eſt in Charran; nondum enim commorabatur in ædibus Labani ante nativitatem Joſephi niſi 14 annis, qvia dicitur. Viginti iſtis annis ſervii tibi in domo tua qvatuordecim annis pro duabus filiabus tuis, & ſex annis pro grege tuo Promeritus autem eſt gregem, cum natus eſſet Joſeph, prout dicitur:* Et factum eſt, cum peperiſſet Rachel Joſephum, &c. *Scriptum quoq; eſt:* Ioſeph erat filius triginta annorum, *cum ſcil. imperaret. Inde autem uſq; ad deſcenſum Jacobi in Ægyptum ſunt 9. anni, ſeptem ubertatis & duo famis. Dixit autem Jacob Pharaoni:* Dies annorum peregrinationis meæ 130. anni. *Subduc jam & ſupputa, 14. annos, ante nativitatem Joſephi; novem qvibus imperavit, donec advenit (in Ægyptum) Jacob. En 53. annos. Cum autem deſcenderet à patre ſuo*

erat

erat filius 63. annorum, unde 116. anni. Dicit autem, 13. anni; *deficiunt itaq; 14. anni Hinc discis, qvod, postqvam acceperat benedictiones, occultatus sit in domo Eberi 14. annis.* Hactenus Raschi.

Resp. 1. In discursu hoc Rabbinico præsupponi Jacobum fuisse 63. annorum, cum benedictionem à patre Isaaco acciperet, id qvod non concedimus. Ex institutâ enim Raschi supputatione saltem conficitur, Jacobum fuisse 63. annorum, cum moreretur Ismael, qvod verum esse largimur: neqvaqvam verò inde seqvitur, tot eum fuisse natum annos, cum benedictionem conseqveretur. Probandum prius solidè benedictionem sæpius dictam eodem evenisse tempore, qvo Ismael è vitâ migravit, qvod hactenus neq; à Raschi, neq; à Ganz. factum apparet.

Resp. 2. Fabulam hanc ipsa Sacra historia refutat. Ea enim refert, Jacobum mox, acceptâ benedictione & auditis Esavi insidiis, à parentibus in Mesopotamiam ablegatum, mox etiam iter fuisse ingressum. Confer Gen. 27. v. 41. & seq. & c. 28. v. 1. & seq. Inter benedictionem Iacobi igitur & in Mesopotamiam ablegationem 14. anni non intercesserunt.

Obj. Gen. 28. v. 9. dici: Esavum post surreptam à Jacobo benedictionem ad Ismaelem abiisse ejusq; filiam duxisse uxorem.

Resp. 1. Cum Ismael dudum esset vitâ defunctus, seqvitur hinc ibi voce Ismaelis intelligi ejus familiam. In Scripturâ qvippe nihil tritius est, qvam ut nomina propria pro Gentilibus usurpentur.

Resp. 2. Nec possunt Judæi hoc urgere. Dicitur enim hic, Esavum abiisse ad Ismaelem ejusq; filiam duxisse, non cum Jacobus acceptâ benedictione in Eberi ædibus delitescere cœpisset, ut ipsi fabulantur; sed cum in Mesopotamiam jam abiisset.

Anno Mundi 2252. Jacobus fraude soceri Labani pro Rachele, qvam 7. annorum servitute meruerat, Leam accipit, &, ut Rachele potiatur, alterum septennii servitium promittit. c. 29.

Anno Mundi 2253. Ruben primogenitus ex Leâ nascitur vers. 32. cap. 29.

Anno Mundi 2254. Ex eadem Simeon v. 33.

Anno Mundi 2255. ex eadem Levi. v. 34.

Anno Mundi 2256. ex eadem & Juda vers. 35. Eodem anno na-

no nascitur etiam ex ancillâ Rachelis ipse Dan. cap. 30. vers. 5. 6.

Anno Mundi 2257. ex eadem ancillâ Bilhâ dicta nascitur Naphthali v. 7. 8.

Anno mundi 2258. ex ancillâ Leæ Silpâ nascitur Gad. v. 10. 11.

Anno mundi 2259 ex eadem Silpha Asser v. 12. 13. Eodem anno ex Râchele Josephus nascitur v. 22. 23. 24.

Anno mundi 2260. ex Leâ Isaschar nascitur v. 17. 18.

Anno mundi 2261. ex eadem Sebulon v. 19. 20.

Anno mundi 2262. ex eadem Dina filia v. 21.

Anno mundi 2265. Jacobus, cum serviisset socero suo Labano 20. annos, clanculum ex Mesopotamiâ in Chanaan cum suis discedit, eum perseqvitur Laban, & in monte Gilead assecutum, ne lædat in somnio divinitus monetur c. 31. Labano in Mesopotamiam regrediente, Jacobus iter continuat, & visis Angelis, nuncios ad fratrem Esavum mittit, eumq; de suo reditu certiorem facit. Postqvam verò audierat Esavum obviam sibi cum 400. viris venire, timore maximo perculsus Dei auxilium implorat, & fratri munera præmittit. Exin luctatur cum filio Dei & victoriam adeptus Israel. vocatur Gen. 32.

Esau Jacobo benignè excepto, munera ejus precibus victus accipit, & se cum suis itineris comitem Jacobo offert, eoq; prudenter & placidè id abnuente, discedit. Jacob verò pergit & propè Sichem empto agro considet, altariq; extructo, Deo gratias agit. c. 33.

Anno mundi 2275. putant Dinam Jacobi filiam in urbem Sichem digressam, à filio principis raptam, & domi ipsius vitiatam: qvod flagitium fratres puellæ, fraudulenter & severè admodum ulciscuntur: qvamobrem graviter à patre reprehenduntur c. 34.

Jacobus Dei mandato Bethlehemnm tendit, lustratâ familiâ: Ubi votum persolvit, & nutricem deinde matris Deboram defunctam sepelit. Jacobo Deus apparet & priores benedictiones confirmat. Inde (qvod eodem anno factum existimatur) eo proficiscente, moritur Rahel ex Beniaminis partu. Paulò post Ruben patris concubinam, novercam suam, Bilham stuprat: tandem Jacobus ad Isaacum pervenit cap. 35.

Anno

Anno Mundi 2276. Josephus à fratribus Midianitis venditur, & ab hisce in Ægyptum deducitur c. 37.

Anno Mundi 2282. existimatur (qvamvis alii duobus annis antrorsum promoveant) Pharez cum fratre Seracho esse natus ex incestu concubitu Judæ cum Thamar c. 38.

Anno Mundi 2286. Josephus ab herâ de stupro sollicitatus, cum non assentiretur, calumniis oneratur, & in carcerem compingitur c. 39.

Anno Mundi 2287. Josephus in carcere somnia aulicorum pincernæ & pistoris interpretatur Gen. 40.

Anno Mundi 2288. moritur Isaacus, cum vixisset 180. annos, Jacobus verò 120. Josephus 29. annos c. 35. v. 28. 29.

Anno Mundi 2289. Josephus ex carcere retractus Pharaoni somnia exponit, & Regis pater, Ægyptiq; servator appellatur, byssoq; & aureo torqve ornatus, secundum à Rege locum accipit, natus 30. annos Gen. 41.

Anno Mundi 2290. septem fertilitatis anni à Josepho prædicti incipiunt, qvibus ille annonæ plurimum congregat & reponit. c. 41. v. 48. & seq.

Nascuntur Josepho duo filii Manasses primogenitus & posteà Ephraim. c. 41. v. 50 51. 52.

Anno Mundi 2297. seqvuntur anni sterilitatis & inopiæ c. 41. v. 53. & seq.

Mittit Jacobus 11. filios in Ægyptum, ut frumentum coemant. Josephus eos mox agnoscit, ceu exploratores objurgat, & triduo custodiæ includit: deindè reliqvis domum regredi permissis, Simeonem ligat, & obsidis loco in vinculis detinet, donec minimum fratrem adducant. Dimissi, unà cum frumento illius pretium saccis ipsorum, Josephi mandato impositum, imprudentes domum referunt, & patri, qvæ contigerunt enarrant &c c. 42.

Jacobus fame coactus filios, adjuncto Beniamine, instructos priore pecuniâ, & duplici alterâ, muneribusq; ad Josephum pro annonâ remittit. A qvo humaniter, restituto obside, lauto conviviò excipiuntur & donantur muneribus c. 43. Josephus poculum sacco,

Beniaminis clam fratribus abditum, ut sublatum furto ab abeuntibus repetit, eosq; mirè exercet. c. 44.

Tandem se eis patefacit, ac curribus & commeatu muneribusq; instructos ad patrem familiamqve totam celeriter adducendam dimittit. c. 45.

Anno mundi 2298. ante C. N. 1706. Jacobus cum universâ familiâ in Ægyptum descendit, & honorificè à Josepho excipitur c 46.

Josephus, suorum adventu significato, patrem & aliqvot fratres coram Pharaone sistit: qvi sermone cum illo habito, terram Goschenis ceu optimum locum eis concedit: ubi qvietè à Josepho sustentantur. c. 47. v. 1. ad 13.

Ægyptii omnes, exceptis præsidibus, tanta laborant penuria, ut agros, jumenta ac deniq; libertatem vendant, & à sedibus suis abducti se Regis agros culturos certis conditionibus polliceantur. cap. 47. vers. 13. ad 13.

Anno mundi 2315. Jacobus morti vicinus Josephum juramento obstringit ut ipsum in Cananæâ penes parentes sepeliat. c. 47. v. 29. 30. 31.

Ægrotus verò nepotes è Josepho cooptat in filios eosq; pari ratione ut suos filios divinæ promissionis hæredes constituit: eis benedicit, & minorem divino instinctu majori præponit. c. 48. Deinde omnibus convocatis filiis, Spiritus Sancti impulsu qvorundam flagitia castigat, singulis eventura prædicit, ac eis benedicit: Deniq; ultimam de sepulturâ voluntatem suam repetit, & placidè mortem cum vitâ commutat, natus 147. annos c. 49.

Josephus aromatibus conditum parentis corpus permissu Regis magnificè in Canaan deportat, & majorum tumulis infert. c. 50. v. 1. ad 14. Fratres etiam, de commisso in se facinore sollicitos, benignè consolatur, eisq; necessaria omnia promittit v. 15. ad 22.

Anno mundi 2369. ante C. N. 1635. Josephus postqvam viderat ex se abnepotes, & de ossibus suis ex Ægypto in Canaan deportandis præceperat, vitâ excessit natus 110. annos & corpus ejus aromatibus conditum in arcâ qvadam repositum fuit. c. 50. v. 22. ad fin.

Anno mundi 2392. moritur Levi in Ægypto natus 137. annos Exod. 6. v. 16.

Anno

Anno mundi 5415. D. David Chytræus p. m. non malè conjicit (certò enim sciri res neqvit, Scripturâ S. annum & tempus non annotante) cæpisse servitutem Israelitarum in Ægypto. Exortus enim novus Rex, qvi Josephum non noverat, sibi ab Israelitis, numero & viribus auctis, metués, paulatim eos vel deleturus, vel imminuturus, durissimâ eos pressit servitute, maximisq; oneribus afflixit. His verò eò magis augescentibus, & in multitudinem erumpentibus obstetricibus Ægyptiacis præcepit, ut masculos Israelitarum recens natos enecarent: &, cum nec hoc modo qvicqvam efficeret, ad vim & inauditam crudelitatem conversus, omni suo populo id mandati dedit, ut cunctos Ebræorum masculos, ex eo tempore nascituros, in rivum ipsum projicerent. Exod. c. 1.

Anno mundi 2425. ante N. C. 1579. nascitur Aaron Exod. c. 7. v. 7. paulò post immane illud de suffocandis infantibus edictum, vixit 123. annos, & mortuus est anno M. 2548. Num 20. v. ultim.

Circa hæc tempora contigisse putant cladem illam tribus Ephraimi de qvà 1. Chron. c. 7. v. 20.

Verba ita habent: וַהֲרָגוּם אַנְשֵׁי גַת הַנּוֹלָדִים בָּאָרֶץ כִּי יָרְדוּ לָקַחַת אֶת מִקְנֵיהֶם. Qvidam ita vertunt: Et occiderunt eos viri Gath, indigenæ illius terræ, qvia (eò qvod) descenderant (scil. Ephraimitæ) ad accipiendum jumenta eorum. Autumant filios Ephraimi exercitum duxisse ad occupandam Palæstinam, sed interfectos fuisse in Gath: & horsum referunt etiam Psalm. 78. v. 9. Sed Franciscus Junius rectius ultimam horum verborum partem reddit: qvum (כִּי enim sæpissimè est adverbium temporis & per, qvum, cum, qvando, explicatur) descendissent (scil. viri Gath) ad accipiendum &c. censetq; Gatthæos in Ægyptum venisse populaturos, & inibi Ephrami filios interfectos fuisse. Erant enim, inqvit Junius, crebra cum Ægyptiis bella, qvorum causâ Israelitæ in Ægypto à Pelisthæis sibi metuebant: huc spectat consilium Dei, de qvo Exod. 13. v. 17. Huc usq; Junius. Sententiam hanc Junianam etiam probat vox יָרְדוּ descenderunt, qvæ hic occurrit. Ex Ægypto enim in Palæstinam proficiscentes, Scripturæ Sacræ stylo non dicuntur descendere, sed ascendere. Contra ex Palæstinâ in Ægyptum יָרְדוּ descendunt, non עָלוּ ascendunt. Confer. Gen. c. 12. v. 10. c. 13. v. 1. c. 26. v. 2. c. 37. v. 25.

c. 39. v. 1. c. 42. v. 2. 3. c. 43. v. 4. 5. 14. 18. c. 44. v. 17. 24. 26. 33. 34. c. 45. v. 9. 25. c. 46. v. 3. 4. 29. & passim.

Anno Mundi 2428. Moses nascitur Exod. 2. & infans trimestris in ripâ Nili â Regis filiâ repertus, in domo regiâ delicatè nutritur, & in omni sapientia Ægyptiorum eruditur. Act. cap. 7. v. 20. 21. 22. vixit annos 120. & obiit anno M. 2548.

Anno Mundi 2452. Josua nascitur, vixit annos 110. Josu. c. 24. v. 29. & moritur anno M. 2565.

Anno Mundi 2468. Moses Ægyptium trucidat, & ex Ægypto in Midiam fugit, ibiqve Zipporam in uxorem ducit, & 40. annos ibi commoratur. Exod. c. 2. Act. 7. v. 23 & seq.

Anno Mundi 2470. Caleb filius Jephunne nascitur. Nam anno 2510. emittitur à Mose natus 40. annos Joh. 14.

Anno Mundi 2508. *ante C. N.* 1496. Moses pascens soceri oves in deserto, videt rubum ardentem, qvi tamen igni non consumitur, & dum proprius accedit, voce Dei è flammâ loqventis ad munus Israelitas ex Ægyptiacâ servitute educendi vocatur. Instruitur illustribus miraculis, qvibus divinam vocationem confirmet: ac Pharaonem totumq; Ægyptum decem plagis affligit. Exod. 3. & seq. Act 7. v. 30. & seq. Plagas has memoriæ causâ his versiculis expresserunt.

Prima rubens unda, ranarum plaga secunda,
Inde culex tristis, post musca nocentior istis,
Quinta pecus stravit: vesicas sexta creavit.
Post seqvitur grando: post bruchus dente nefando
Nona tegit Solem: primam necat ultima prolem.

Anno Mundi 2509. *ante* C. N. 1495. mense 1. die 14. primum Pascha in Ægypto celebratur, & 15. die Moses populum Israeliticum educit. Exod. 12. & 13. Perseqvitur eos Pharao, & in rubro mari submergitur c. 14. Moses Deum cantico celebrat, idem faciunt Mirjam & fœminæ adhibitis tympanis. c 15.

Posteà, relicto mari, per tridui iter, aqvæ penuriâ laborantes, tandem ad Mara perveniunt, & murmurant. Moses verò, injecto in aqvas ligno, dulces eas reddit &c. cap. 15. vers. 22. & seq. Deinceps venerunt Elima. c. 16. v. 1.

Mense

Menſe 2. die 15. perveniunt in deſertum Sin, & ob victus penuriam iterum murmerant. Deus verò coturnices in caſtra mittit, & Manna cælitus demittit, qvo cibi genere 40. annis in deſerto aluntur cap. 16.

Pergunt ex deſerto Sin in Raphidim, & tertiò murmurantes ſitis impatientiâ, ex petrâ aqvam conſeqvuntur, & duce Joſuâ, & Moſe precante, Amalekitas vincunt. c. 17.

Jethro generum inviſit, beneficium Dei gratulatur, & prudenti ac ſalutari dato conſilio, domum regreditur c. 18.

Menſe 3. die 1. veniunt in deſertum Sinai. Moſes aſcendit in montem Sinai, & deſcendit & populo verba Jehovæ proponit, ejusqve reſponſum Deo refert. Veniente autem tertio die, Deus ſummâ cum majeſtate in montem deſcendit c. 19. & promulgat decalogum. c. 20. ut & alias leges ſpectantes partim. 1. ad conſervanda corporis bona. c. 21. partim 2. ad contractus, commercia & maleficia cap. 22. partim 3. ad magiſtratum, privatos, feſta primaria & primitias frugum c. 23.

Moſes à Deo juſſus, poſtqvam fœdus ſcripturâ & ſacrificio confirmarat, in montem aſcendit cum Aarone, Nadab, & Abihu, & 70. ſenioribus, qvi Deum Iſraelis aſpexerunt. c. 24. v. 1. ad 12.

Moſes ad Deum in montem evocatur, & ibidem 40. dies & noctes manet. c. 24 v. 12. ad fin. Inibi Deus ipſi exponit, qvæ concernebant partim. 1. tabernaculi extructionem c. 25. 26. 27. partim 2. miniſterium & Sacerdotes, puta eorundem electionem, veſtimenta. c, 28. conſecrationem & inveſtituram c. 29 officium c. 30. partim 3. artifices Belzaleelem & Ahaliabum, qvibus adjungitur repetitio mandati de ſanctificando Sabbato, & tabularum legis traditio c. 31.

Populus Moſe tardante, idololatriam aurei vituli inſtituit &c. c. 32. & 33.

Moſes denuò à Deo juſſus montem conſcendit, ubi Deus ſe ei manifeſtat &c. varias leges tradit, & exactis 40. diebus, & tabulis inſcriptâ Lege, Moſes deſcendit ſplendente cute faciei ejus c. 34.

Populo mandata Dei proponit, & artifices Belzalielem & Ahaliabum conſtituit. c. 35. Artifices illi, & qvi ſe eis adjunxerunt, opus aggrediuntur, populus largius affert atqve opus eſt, & artifices ſtrenuè labori incumbunt. c. 36. & c. 37. c. 38. c. 39. & perficiunt c. 39. v. 32.

Moſi

blaſphemantibus nomen Domini, de pœna interficientis proximum aut jumentum ejus, aut damno afficientis eundem c. 24.

Qværitur hîc: An lampades in tentorio conventus etiam interdiu accenſæ luxerint?

Reſp. I. Nonnulli id affirmant, & pro roborandâ hac ſententiâ afferunt. 1. hæc Sacræ Scripturæ teſtimonia. Exod. 27. v. 20. & 21. Levit. 24. v. 3. In qvibus aſſeri opinantur, & veſpere & manè lucernas accenſas fuiſſe. Verum in fonte non legitur בָּעֶרֶב וּבַבֹּקֶר abends vnd morgens vel morgens vnd abends/ ſed מֵעֶרֶב עַד—בֹּקֶר qvod Vulgata, ut de aliis purioribus verſionibus nihil dicam, rectè expreſſit: à veſpere uſq; in mane. 2. Citant & qvidem meliori ſucceſſu, c. 30. verſ. 7. Exodi: Ubi dicitur: mane, qvando ſuffitum adolendum, בְּהֵיטִיבוֹ אֶת—הַנֵּרֹת Vulgata: mane, qvando componet lucernas. Lutherus: Wenn er die Lampe zurichtet. Vinarienſes ita παραφράζουσι, auffs new mit Oele füllet/ comple ex c. 27. v. 21. ut lampades accenſæ in tentorio luceant. Tremellius & Junius: cum aptaverit lucernas. Interpretes Belgici optimè ἔμφασιν verbi היטיב videntur exprimere, cum reddunt: Als hy de Lampen wel ſal thoegericht hebben. Explicant hoc contraſentientes de lampadum veſperi incenſarum extinctione ex 1. Samuel. 3. verſ. 3. Verum, an hæc explicatio ἔμφασιν locutionis Hebrææ exhauriat, non immeritò dubitatur. 3. Urgent vocem תָּמִיד 4. Ajunt, ſi die non luxerint lampades, qvomodo Sacerdotes in tenebris ſuo potuerunt officio fungi?

II. Alii, qvos inter Junius, Interpretes Belgici, & qvi eos ſeqvuntur, negant, lampades manè accenſas fuiſſe, & pro firmandâ hac ſuâ ſententiâ adducunt hæc teſtimonia, Exod. 30. v. 8. Levit. 24 v. 3. & 1. Sam 3. v. 3. 2. Chron. 13. v. 11. Ex his conſtare putant, à veſpere ad mane duntaxat accenſas manſiſſe. Ut hæ duæ ſententiæ concilientur (neutra enim ſimpliciter & abſolutè eſt vera) notetur ex Joſepho Judæo (qvi ſacerdos fuit, & ſæpiſſimè hæc ita fieri vidit, adeoq; optimè de his teſtari poteſt. Nec enim ullo modo eſt credibile, eum hic vel erraſſe, vel ſtudio falſa pro veris venditaſſe) l. 3. Antiq. c. 9. Ubi prodit, lampades tres manè fuiſſe accenſas, & coram Domino interdiu luxiſſe, omnes verò (7. ſcil.) noctu. Nec evertunt hæc à Junio laudata Scripturæ Sacræ loca, ut apparebit accuratè ea ponderanti.

Oo Dici-

Dicitur namq; in iis vesperi lucernas fuisse accensas, qvod verò manè nulla facta sit lucernarum accensio, id non additur. Unius igitur inclusio non est alterius exclusio. Accedit, qvod locus Exod. 30. v. 7. omninò evincere videtur, manè non omnes lampades fuisse extinctas, sed aliqvas, infuso novo oleo, ad interdiu lucendum compositas fuisse. Sed gaudeat, cui hæc non placent, suo sensu, suo judicio.)

Progreditur Moses promulgare leges, agitq; de anno Sabbatico & Jubilæo &c. c. 25.

Prohibet idololatriam, obedientibus promittit benedictionem, & denunciat inobedientibus pœnam, resipiscentibus facit spem veniæ c. 26. Deniq; c. 27. & ultimo subjunguntur leges de rebus votivis &c. Gesta sunt hæc, qvæ in Levitico continentur, spatio unius mensis ab initio anni secundi post exitum ex Ægypto.

Anno Mundi 2510. ante Ch. natum 1494. mense 1. die 14. celebratur Pascha secundum in deserto Sinai. Num. c. 9. v. 1. & seq.

Mense 2. die 1. Moses à Deo jussus Israelitas numerat, & singulis tribubus certos duces præficit. Num. c. 1. Traditur castrorum metatio & situs c. 2. Filii Aaronis recensentur, destinatur tribus Levi ministerio, & Aaroni subjicitur, accipitur loco primo genitorum Israelis reliqvarum tribuum, & numeratur, numerantur etiam primogeniti Israelis, & summa permutatur cum Levitis, residuum redimitur c. 3. Ministeria Sacerdotum & Levitarum in motione castrorum & faciendis itineribus explicantur, c. 4. Promulgantur leges de leprosorum & immundorum extra castra exclusione, peccati in proximum confessione & expiatione, Zelotypiæ judicio, & sacrificio c 5. De votis Nazaræorum: de tergemina benedictione populo impertiendâ c. 6.

Afferuntur munera ad dedicationem altaris à Principibus, idq; spatio 12. dierum, juxta numerum tribuum c. 7.

Explicatur candelabri situs, Levitarum mundatio & consecratio & ætas idonea c 8.

Mense 2. die 14. celebratur Pascha secundum ab iis, qvi mense primo erant immundi c. 9. v. 6. ad v. 15. Repetitur, qvod c. 40. Exod. dictum de nube tentorium operiente, & additur, qvod id ipsum operuerit interdiu, ut nubes, noctu verò specie ignis, & qvod exstiterit profectionis & castra metationis index. c. 9. v. 15. ad finem.

Tubæ

Tubæ argenteæ parari jubentur, earumqve usus indicatur c. 10. vers. 1. ad 11.

Mense 2. die 20. nubeculâ moniti ex deserto Sinai Israelitæ proficiscuntur ordine & modo à Deo præscripto in desertum Paran, comite Hobabo c. 10. v. 11. ad 29. Subjungitur formula precationis in profectionibus & castrorum metationibus adhibitâ v. 35. & 36. Surge Domine &c.

Populo adversus Jehovam murmurante, extrema castra absumuntur immisso à Deo igni, qvi tamen orante Mose resedit c. 11. v. 1. 2. 3. Turba rursus carnis edendæ desiderio & fastidio Man qviritans, Deum provocat, & Mosen ita turbat, ut excusationem à munere petat. Qvare Deus ei mandat, ut 70. ex Senioribus colligat, qvi ei sint adjumento, populo verò promittit carnem in integrum mensem. Moses dubitat, sed à Deo confirmatus populo Dei verba exponit, 70. Seniores congregat, qvi incipiunt prophetare, etiam Eldad & Medad, qvi in castris remanserant &c. Coturnices in castra vento adducuntur, qvibus ad nauseam usq; vescuntur, ac multi ex iis magna plaga percutiuntur, unde locus nomen sepulchrorum concupiscentiæ accepit. c. 11. v. 4. ad fin. Aaron & Mirjam contra Mosen murmurant & hæc elephantiasi percutitur, sed Mose intercedente, postqvam 7. dies erat seclusa, in cætum liberata leprâ recipitur c. 12.

Exploratores jussu Dei in promissam terram mittuntur circa vindemiam, qvi post 40. dies reversi, ita urbium munitionem & incolarum numerum & robur exaggerant, neqvicqvam Calebo renitente, ut populus spem occupandæ terræ deponeret c. 13. Plorat itaq; totâ nocte, & deinde contra Mosen & Aaronem murmurant, ac ducem constituere & in Ægyptum redire moliuntur. Moses & Aaron in faciem procidunt, & Josua & Caleb, populum à rebellione dehortantes, vitæ periculum adeunt. Jehova igitur se exhibet, & subitum exitium minatus, deprecatione Mosis flectitur, ita tamen ut, eis ab ingressu promissæ terræ exclusis, mortem in deserto obeundam decernat. Jubet itaq; ut in desertum retrocedant. Cum verò illi pertinaciter contra Dei mandatum Palæstinam versus progredi conarentur, ab hostibus cæduntur & fugantur. c. 14.

Præscribuntur leges de cibariis & libaminibus addendis sacrificio agni, arietis, juvenci, sivè ab indigenâ sive advenâ; de primitiis; de

ſacrificiis pro errore, de occidendis iis, qvi malitiosè legem violaſſent. Vir in Sabbato ligna colligens occiditur. De fimbriis memorialibus in orâ veſtis faciendis. c. 15.

Core Datan & Abiram rebellant contra Moſen & Aaronem, ſed Deo puniente malè pereunt: Datan qvidem & Abiram cum omnibus ſuis terræ hiatu; Core verò & totus cætus ipſius igni à Jehovâ egreſſo. Populus ex hoc clade murmurans plaga percutitur, & ab Aarone expiatur c. 16.

Virga Aaronis unicâ nocte floret, & amygdala producit, in ſignum confirmati Sacerdotii c. 17.

Aaroni & Levitis miniſterium commendatur. Aaronis pars victus & reditus. Levitis dicimæ in victum dantur. Ex qvibus tamen ipſis decimas Deo levare tenentur c. 18.

Deus præſcribit rationem conficiendæ aqvæ, ab immunditia purgantis, nimirum vaccæ ruffæ in Sacrificium combuſtæ cinerem aqvæ injiciendo &c. c. 19.

Anno Mundi 2548. Exitus 40. Menſe 1. Iſraelitæ veniunt in Sin, ubi moritur Mirjam ſoror Moſis & Aaronis Prophetiſſa in Cadeſch, & ibidem ſepelitur c. 20.

Populus ob aqvarum penuriam cum Moſe contendit. Mandat Deus, ut præſente populo ipſe Moſes & Aaron petram alloqvantur, & aqvam eliciant. Cum verò ex diffidentiâ mandatum non integrè exſeqverentur, à promiſsâ terrâ excluduntur. Per Edomæos petunt tranſitum, eo denegatoq; ad montem Horeb divertuntur.

Ibi menſe 5. die 1. Aaron natus annos 123. moritur & à populo Iſraelitico 30. diebus lugetur. Cananæus Rex Arad anathemate percutitur, Iſraelitæ circumeuntes terram Edom, murmurant, & à ſerpentibus ignitis affliguntur, à qvibus intuitu ænei ſerpentis, à Moſe de mandato Dei erecti, liberantur. Poſt certas profectiones aqvis divinitus datis, cantico Deum celebrant. Deinde Sichonem Regem Amoræorum tranſitum Iſraeli negantem cædunt & poſteà Hog Regem Baſchanis c. 21. Deut. 2. v. 3.

Seqvitur hiſtoria Bileami c. 22 & 23. & 24.

Sortantur Iſraelitæ cum filiabus Midianitarum, & exercent idololatriam, ac propterea graviter puniuntur. Pinehas Simri, concumbentem cum Cotzbi Midianiticâ, haſtâ transfigit, eoq; avertit excan-

deſcen-

defcentiam Jehovæ qvi poft edicit, ut Ifraelitæ Midianias percutiant c. 25

Mofes cum Eleazaro, omnibus mortuis, qvi fuprà c. 1. fuerant numerati, jubetur iterum Ifraelitas recenfere, & diftribuendæ illius terræ promiffæ mandatum accipit c. 26.

Filiabus Tzelophchadi hæreditas patris fui datur. Mofes jubetur promiffam terram ex montanis Abarim contueri, & deinceps mori. Jofua dux populi conftituitur c. 27. Deut. c. 31.

Defcribuntur facrificia jugia, Sabbati, Neomeniæ, Pafchatis, diei primitiarum c. 28.

Item fefti tubarum, Jejuniorum fcil. expiationis, Tabernaculorum. c. 29.

De votis eorum, qvæ refcindi non poffunt, nimirum qvi funt fui juris, ut viri, viduæ, repudiatæ; & qvæ refcindi poffunt, fcil. virginis, Uxoris familiæ. c. 30.

Ifraelitæ vindictam fumunt de Midianitis, qvos cædunt unà cum Bileamo, fpolia diftribuuntur, & duces è fpoliis Deo offerunt c. 31.

Tribus Ruben, Gad & dimidia Menafche à Mofe petunt terram cis Jordanem, ac tandem obtinent hac conditione, ut exercitum Ifraelitarum armati antecedant &c. c 32.

Enarrantur Ifraelitarum metationes c. 33. Limites terræ Canaan, & divifores conftituuntur c. 34.

Oppida Levitis, & afyla homicidis affignantur c. 35. occafione hæreditatis filiarum Tzelophchadi lex fertur, ut filia hæres intra paternum tribum nubat, ne ea hæreditas de tribu in tribum demigret cap. 36.

Menfe 11. die 1. Mofes populo Deuteronomium prælegit à c. 1. ad 31. pofteà fe ad mortem præparat c. 31. 32. 33.

Moritur Mofes natus annos 120. fepelitur ab ipfo Deo & à toto populo Ifraelitico lugetur 30. diebus c 34.

Anno Mundi 2549. *Exitus* 41. menfe 1. Jofua emittit exploratores Jerichuntem. Jof. c. 2, qvibus reverfis, Jofua cum populo Shittimis profectus, ad Jordanem pervenit, & ibi pernoctat &c. c. 3.

Menfe 1. die 10. Ifraelitas per Jordanem traducit, idq; tempore meffis, cum Jordanis pleno alveo flueret c. 3. & c. 4. v. 19. ac erigunt monumentum miraculofi illius tranfitus, tum in Jordane, tum extra cap. 4.

Intermissus circumcisionis usus, Gilgale instauratur c. 5. Putat Calvisius hoc factum fuisse post celebratum Pascha, præmitti autem, ut ratio reddatur nominis Gilgal. Videtur ipsi favere, qvod triduum saltem inter transitum Iordanis, & Pascha intercesserit, cum plus temporis ad recipiendam sanitatem circumcisis videatur opus fuisse, & dolor è circumcisione tertio die fuerit maximus, Gen. 34. v. 5. At verò cum hac ratione incircumcisi agnum Paschalem comedissent, contra expressum Dei interdictum. Exod. 12. v. 44. & 48. rectius seqvimur ordinem narrationis, qvem ipse Josua observavit.

Mense eodem die 14. Pascha comedunt, & seqventi die Manna cessat. Jos. c. 5.

Deletur hoc anno Jericho & Hai, vincuntur etiam hoc eodem anno, ut existimatur, Reges. 5. de qvibus c. 10. Seqventibus annis, debellantur reliqvi Reges eorumq; civitates expugnantur c. 11. 12.

Anno Mundi 2554. *Exitus* 46. Josua cæpit terram Canaan Israelitis sorte distribuere. Probatur hoc ex Josua. c. 14. Ubi narratur, Calebum dixisse ad Josuam, se, cum unà cum aliis exploratum promissam terram mitteretur, fuisse natum annos 40. effluxisse autem ab eo tempore annos 45. & se jam esse 85. annorum. Emissus verò fuit Caleb explorator anno 2. exitus Israelitarum ex Ægypto, ut liqvet ex Num. c. 13.

Anno Mundi 2555. *Exitus* 47. cæperunt Israelitæ circa autumnum vel mensem septimum dictum תִּשְׁרִי agros terræ Canaan colere.

Anno Mundi 2561. *Exitus* 53. circa autumnum *primus Sabbaticus* initium cepit.

Anno Mundi 2562. *Exitus* 54. moritur Iosua natus 110. annos cum paulò ante mortem ad populum gravissimam de Dei beneficiis orationem habuisset. Ios. 24.

Anno Mundi 2563. *Exitus* 55. Seniores communi consilio rempublicam administrant annos 9.

Anno Mundi 2572. *Exitus* 64. Senioribus defunctis, per triennium Gubernatore populus Israeliticus destituitur.

Ad hoc triennium optimè refertur historia de Idolo Michæ, & expeditione tribus Dan. Iud. c. 17. & 18. Item bellum Beniamiticum. c. 19. 20. & 21. Utrumq; enim dicitur, eo tempore factum qvo

non

non fuit Rex vel Gubernator in Israele c. 18 v. 1. & c. 19. v. 1. & 21. v. 25. qvod intervallo illi trium annorum post mortem Seniorum egregiè convenit. Bucholzerus & Calvisius bellum hoc ad tempora Ehudis referunt, & hic qvidem ad annum 19. Ehudis. At si gestum fuisset bellum hoc tempore Ehudis, qvî Scriptura diceret, eo tempore non fuisse Judicem vel Gubernatorem?

Anno Mundi 2575. *Exitus* 67. incipit prima Israelitarum servitus 8. annorum sub Chusane Risathaim c. 3. v. 8. Jud.

Anno Mundi 2583. *Exitus* 75. Athniel à Deo excitatus Regem Mesopotamiæ bello agreditur, vincit, & Israelitas à servitute liberat. Qviescit ab hac liberatione terra Israelitica 40. annis.

Anno Mundi 2603. *Exitus* 95. Cæpit 7. Sabbaticus & conseqventer anno seqventi *primus Jubilæus*.

Anno Mundi 2605. *Exitus* 97. Israelitæ post obitum Athnielis in pristina peccata relapsi, servire coguntur Egloni Moabitarum Regi 18. annos c. 3. v. 12.

Anno Mundi 2623. *Exitus* 115. Ehud filius Geræ ex tribu Benjamin, Eglone ferro transverberato, & pòst 10. millibus fortissimorum virorum Moabitarum cæsis, Israelitas à servitute in libertatem asserit, & qviescit terra 80. annis c. 3. v. 15. &c.

Aliqvot annos ante servitutem sub Jabin Samgar filius Anoth pedo pastorali 600. Philisthæos prædatores trucidat, & sic Israelem vindicat c. 3.

Anno Mundi 2683. *Exitus* 175. Jabin Cananæorum Rex duce Sisserâ, & 900. curribus ferratis Israelitas, qvi Ehude mortuo de novo gravissimè peccarant, violenter oppressit, & sibi servire coegit 20. annis. c. 4. v. 1. & 2.

Anno Mundi 2702. *Exitus* 194. cæpit *Jubilæus tertius*.

Anno Mundi 2703. *Exitus* 195. Baruk è tribu Sebulon & Debora Prophetissa Israelem â servitute Jabinis liberant. c. 4. v. 4. Canit Debora Deo ἐπινίκιον, & qviescit terra 40. annos c. 5.

Anno Mundi 2736. *Exitus* 228. Israelitæ, denuo peccatis & idololatriæ dediti, à Deo traduntur in manus Midianitarum & ab iis affliguntur 7. annis c. 6. v. 1. & seq.

Anno Mundi 2743. *Exitus* 235. Gideon è tribu Manasse à Deo contra Midionitas Dux constitutus, assumptis 300. militibus, clangore tu-

barum

barum & lampadum fulgore hostibus terrorem injicit ut discurrentes ac voci ferantes fugam arriperent. Sed Jehova obvertit unius gladium in alterum, ut se mutuis vulneribus conficerent. Reges duos etiam Israelitæ undiq; exciti persequuntur, & ferè prorsus internecioni dant. Qviescit terra 40. annis, dum Gideon vivit c. 7. & c. 8.

Anno Mundi 2751. Exitus 243. cæpit *Jubilæus quartus.*

Anno Mundi 2783. Exitus 275. Abimelech nothus Gideonis ex concubinâ Sichemensi, mortuo patre Gideone, interficit 70. fratres, excepto Jothamo, qvi fugâ elabebatur, & à Sichemitis constituitur dux, & postqvam tyrannicè 3. annis regnarat, fragmento lapidis molaris, à muliere dejecto, necatur c. 9.

Anno Mundi 1786. Exitus 278. Thola filius Pua è tribu Isachar Israelem Iudicat & tuetur 23. annis c. 10. v. 1. 2.

Abraham, Bucholzerus historiam Ruth refert ad tempora Tholæ, qvibus probabile est etiam accidisse. D Chythræus, Calvisius & Alstedius putant rediisse Naemi ex terra Moabiticâ anno 30. Ehudis, qvi est annus M. 2652. Exitus 144. Verum cum David natus sit anno M. 2915. Exitus 407. seqvitur à nato Obed ad natum Davidem fluxisse annos 262. Hos si distribueris ipsi Obed & Isai, uterq; genuisset natus 131. annos qvod verosimile non est. Iudæi referunt ad tempora Ebzan, qvem opinantur fuisse ipsum Boazum. Confer Chronologiam R. David Ganz. & Vorstii ad eam observationes p. 219. Iosephus verò alligat ad tempora Eli post mortem Simsonis. Ast si legitimè historia Simsonis & Eli ordinetur, & ita supputatio instituatur, apparet minus annorum, atq; oportet, ipsi Obed & Isai relinqvi. Inprimis Iosephi opinio locum habere non potest. Simson enim & Eli eodem ferè tempore obierunt, & 11. anno Samuelis, qvi mox Eli defuncto successit, David patre Isai natus est.

Anno Mundi 2800. Exitus 292. cæpit *Jubilæus qvintus.*

Anno Mundi 2809. Exitus 302. Iair Manassæus mortuo Tholæ succedit & præest 22. annis Iud. c. 10. v. 3. 4. 5.

Anno Mundi 2831, Exitus 323. Deus idololatriam puniens in manus Philisthinorum & Ammonitarum tradit, à qvibus crudeliter tractantur annis 18. c. 10. v. 7. & seq. Ultimis hujus servitutis annis nascitur Simson c. 13.

Anno Mundi 2849. Exitus 341. Iaphtha Gilhadites spurius à fratribus

tribus fuerat expulſus. Cum verò robore valeret, & crebris expeditionibus prædatoriis militare ſibi nomen comparaſſet, à Gilhaditis expetitur Dux contra Ammonitas, qvos ingenti prælio vincit, & 20. expugnatis urbibus inſignem victoriam domum reportat, qvam tamen temerario voto maculat. c. 11. Ephraemitas levi de causâ excidium interminantes maximâ clade afficit, c. 12.

Anno Mundi 2855. *Exitus* 347. Ebzan Bethlehemites mortuo Jeptha ſuccedit & Judicis & Servatoris munere fungitur 7. annis c. 12. verſ 8. 9. 10.

Anno Mundi 2862. *Exitus* 354. Elon ex tribu Zebulon defuncto Ebzani ſuccedit & præeſt 10. annis. c. 12. v. 11. 12.

Hoc eodem anno Eli ſummus Sacerdos officium hoc ſuum orditur. 1. Sam. 4. v. 18.

Anno Mundi 2872. *Egreſſus* 364. Abdon, 40. filiorum & 30. nepotum pater, Iſraelem 8. annis judicat. Jud. 12. v. 13.

Anno Mundi 2880. *Egreſſus* 372. Eli, defuncto Abdone, anno 16. pontificatus ſui Reipublicæ judaicæ curam ſuſcipit & magiſtratum gerit 24½. annis.

Anno Mundi 2885. *Egreſſus* 377. Iſraelitæ, cum iterum à Deo defeciſſent, & majorum ſuorum peccata novis ſceleribus cumulaſſent, in manus Philiſthinorum traduntur, eorumqve dominio 40. annis ſubſunt.

Hoc ipſo anno cæpit Simſon emittere & Iſraeliticum populum vindicare. Jud. 13. v. 25. & c. 14. & ſeq.

Anno Mundi 2898 *Exitus* 390. *Jobilaus ſeptimus* cæpit.

Anno Mundi 2904. *Exitus* 396: Philiſthæi Simſonis robur & animi magnitudinem verentes, dolo ipſum aggrediuntur, & demum 20. anno, ex qvo is populum Iſraeliticum contra Philiſthinos vindicarat, comâ & ſimul miraculoſi roboris coronâ privatum vivum capiunt, oculis orbatum, & in carcere duobus chalybeis catenis vinctum molere cogunt. Qvo facto terram Iſraeliticam ingrediuntur, ac tributum, qvod Iſraelitæ, Simſone ipſis terrori exiſtente, non ſolverant, vi & armis exigunt. Iſraelitæ dedecus rati illis hoſtibus tributum pendere, qvibus unus Simſon terrorem incuſſerat, obviam eis in bellum prodeunt, ſed 4000. amiſſis in caſtra refugiunt. Cum autem aſſumptâ arcâ Domini in prælium redirent, denuò profligantur, ac 30000. pedi-

peditibus amissis, etiam ipsa capitur arca. Qvod ubi nunciatur Eli, is resupinus è sellâ cadens, fractis cervicibus, expirat annos natus 98. postqvam officio suo defunctus erat 80. annis 1. Sam, 4. Succedit ei Samuel Propheta. Facta sunt hæc in תִּשְׁרִי vel 7. mense.

Qværitur hic: qvot annos Samuel & Saul regnarint?

Resp. I. Ex concione Apostoli Pauli, in Synagogâ Antiochiæ Pisidiæ habitâ, patet, eis junctim tribuendos esse 40. annos Actor. 13. v. 21. Licet enim citato mox loco solius Saulis nomen expressè positum sit; omnes tamen Interpretes, hoc 40 annorum spatio annos, qvibus Samuel populo præfuit, includi, fatentur.

II. Rabbi David Kimchi eis 13. assignat annos, videlicet Samuel 11. & Sauli. 2. Probat id 1. ex Kabala. 2. ex ipsâ ratione. Heli enim obiit isto die, qvo capta est arca; fuit verò arca in agro Philisthæorum 7. mensibus, & translata est in Beth-Schemes, atq; ex Beth-Schemes in Kiriat-Jearim, & fuit ibi 20. annis, usqve dum inde eam transtulit David, cum regnasset in Hebron 7. annis. His 7. ablatis de 20. supersunt 13. videlicet 11. Samuelis & 2. Saulis. Rab D. Ganz. pag. 22. In anno 871. & Guil. Voist. in observationibus ad præfatam Chronol. p. 216. 217.

Resp. 1. Sententiam hanc Kimchi veram non esse. Probat id 1. suprà adducta ex Act. 13. v. 21. Pauli assertio. 2. Kimchianæ supputationis vanitas. Ea enim Scripturis neqvaqvam est congrua, nec sibi constat. Non enim mox à fine 7. annorum in Hebron peractorum, arca Hierosolymam est transportata, sed aliqvantum temporis (biennium plus minus) post; prout acta Davidis Regis, qvæ inter Hierosolymorum expugnationem & arcæ adductionem evenere, demonstrant. Accedit, qvod ultrà 7. annos, sex etiam menses David in Hebron habitaverat. Collectis his, habebimus non 20. sed $22\frac{1}{2}$. annos. Resp. 2. Probationem Kimchianam esse nihili. Nam 1. Kabalam Judæorum inane nugamentum meritò reputamus. 2. annorum illorum 20. qvorum mentio injicitur, 1. Sam. 7. v. 2. finis non attingit tempora Davidis; sed incidit in tempus, qvo Samuel Philisthæos cecidit & eorum dominatui 40. annorum finem imposuit. Ita enim habent verba: וַיְהִי מִיּוֹם שֶׁבֶת הָאָרוֹן בְּקִרְיַת יְעָרִים וַיִּרְבּוּ

וַיִּרְבּוּ הַיָּמִים וַיִּהְיוּ עֶשְׂרִים שָׁנָה וַיִּנָּהוּ כָּל־בֵּית יִשְׂרָאֵל אַחֲרֵי יְהוָה׃
Latinè ita forsan sonabunt: *Et fuit ex die residere arca* (id est ex qvo residere & habitare arca cæpit) *in Kiriat-Jearim, ut multiplicarentur dies, essentq; 20. anni: & lamentata est omnis domus Israel post Jehovam.* Vides hic finem 20. annorum connecti cum tempore, qvo populum lamentantem (ob graves oppressiones, qvas à Philisthinis patiebantur) Samuel ad seriam pœnitentiam revocavit, & mox Philisthæos percussit &c. Nihil verò hic occurrit, unde evincatur, omne tempus, qvo arca in Kiriat-Jearim mansit, saltem 20. annorum fuisse.

III. Alii Judæi, qvos inter Rabbi Isaac Abarbinel, autòr libri Juchasin, statuunt, Samuelem & Saulem regnasse 20. annos; sed cum probationem nullam adesse videam, & falsitas opinionis ex suprà dictis manifesta sit, ulteriori hic refutatione supersedeo.

Anno Mundi 2905. Exitus 397. redit arca Domini in אייר tempore messis triticeæ, cum fuisset 7. mensibus in regione Philisthinorum. c. 6. v. 12. & seq & residet in Kiriat-Jearim annis 50. in domo Abinadab, qvæ erat in colle. 1. Sam. 7. v. 2. usq; ad tempora Davidis.

Anno Mundi 2925. Exitus 417. ineunte (postqvam resederat arca in Kiriat-Jearim 20. annis 1. Sam. 7. v. 2.) Samuel totum Israelem Mitzpam congregat, ad seriam pœnitentiam & verum Dei cultum revocat, ac adjutore Deo Philisthæos ad præliandum appropinqvantes cædit, urbesqve, qvas ceperant recipit, atq; ita eorundem dominatui 40. annorum in Israelitas finem imponit. c. 7.

Anno M. 2935. Exit. 427. Sam. ætate provectior filios constituerat Judices. Cum autem illi degenerantes munera captarent, ac judicia perverterent. Nahas etiam Rex Ammonitarum Israelitis bellum inferret, ipsi Regem petunt c. 8. ac tandem conseqvuntur Saulem Beniamitam filium Kis, elegantis formæ, proceræ & magnificæ staturæ virum c. 9. & 10. Saul Rex jam designatus Ammonitas Jabes in Gilead obsidentes, collectis copiis magnis invadit, insigniq; potitus victoriâ, secundò à toto Israele Rex Gilgale constituitur c. 11.

Samuel regno vel Judicis officio se abdicat, & prolixa oratione innocentiam ac justitiam suam universo populo contestatus, à Deo pluviam & tonitrua tempore messis integritatis suæ testimonium precibus impetrat &c. c. 12.

Ionathan filius Saulis Regis præsidium Philisthæorum propè Gibeam percutit: qva propter Philisthæi ingentibus copiis in Michmasco ex adverso Gibeæ castra locant. Saul Israelitas ad regni tutamen excit & Gilgale non expectato Samuele sacrificat. Qvamobrem graviter à Samuele increpatur. Cum autem Israelitæ metu perculsi diffugerent, Gibeam cum paucis inermibus petit, cujus adversam regionem hostes tribus agminibus depopulantur c. 13. Ionathan cum solo armigero hostes fundit & Saul fusos perseqvitur &c. Sic regnum obtinens de omnibus inimicis, Moabitis puta, Ammonitis, Edomitis, Tzobæis, Philisthæis, qvi Israelitis circumqvaq; prædatoriis incursionibus molesti erant, ultionem sumit, per pari referendo. c. 14.

Anno Mundi 2938. *Egressus* 429. Saul AmaleKitas cum omnibus bonis suis bello prorsus excindere à Deo jussus, intempestivâ utitur clementia erga Regem Agagum, & erga optimos gregum & armentorum &c. Qvare ut voci divinæ inobediens à Deo rejicitur c. 15.

Qværi hic potest non inutiliter: *Qvomodo versus 1. c. 13. lib. 1. Samuelis sit intelligendus?* Resp. Varii variè interpretantur. Missis, qvorum vanitas in propatulo est, afferam opiniones, qvæ vero videntur proximiores. [Plures cui libet videre, adeat Cornelium à Lapide in Commentar. in 1. Samuel. c. 13.) I. Rabbi Levi, referente & approbante Guil. Henr. Vorstio, מָלַךְ dicit vertendum hic in plusqvamperfecto, regnaverat, ex more lingvæ Hebrææ. Hoc forsan imitati nonnulli, ita reddunt: Saul regnaverat unum annum, & cum duos annos regnavisset super Israelem &c. Resp. Præterita apud Ebræos sæpè reddenda per plusqvamperfectum largior; sed hic idem obtinere, haud concedo. Nam 1. hac ratione inanis βαττολογία Spiritui Sancto, lingvæ & vocis artifici, attribuitur. Qvid enim esset: annum regnaverat, & cum duos regnasset annos &c? Si enim biennium regnasset, cum eligeret sibi illos ter mille virorum, utiq; extra omne dubium est & sua sponte cuivis patet, etiam anteà unum cum regnasse annum. Prius itaq; versus hujus incisum frustrà imò πολυλόγως positum fuisset, qvod absit, 2. Nec duæ illæ conjunctiones: &. cum: in fonte apparent. Unicum hic visitur ו, qvod sæpissimè significat, &, qvandoq; etiam rectè vertitur, cum. At uno eodemq; loco utramqve habere significationem vix videtur statui posse.

II. D.

II. D. Osiander ita Vulgatam corrigit: Unum annum regnaverat, & altero (jam) anno regnabat in Israel Et elegit &c. Interpretes Belgici; Was een jaer in syne regeeringe geweest/ ende het tweede Jaer regeerde hy over Israel: Do verkoos &c. In notis. Hebr. twe Jaeren. Dat is het tweede Jaer. Siet Jud. cap. 14. op. vers. 17.

Resp. 1. Hebræi significaturi tempus, qvo Rex hic vel ille regnavit vel regnare cæpit, vel qviddam egit, semper nomini temporis (שְׁנַת, יָמִים &c.) qvandoqve & numerali, ב præfigunt, temporis verò tractum vel qvamdiu regno præfuerit, vel qvicqvam egerit, indicaturi, ב omittunt, ut plurimum etiam numerale ante temporis nomen ponunt. Cum igitur hic in secundo versu ב non conspiciatur, numerale etiam nomini temporis videlicet שְׁתֵּי præpositum sit, pateat hinc, ita ut prædicti autores voluerunt, verba textus verti non posse. Resp. 2. Exemplum ex Judic. 14 v. 17 allegatum Interpretes Belgicos perparum juvat. Nam & ibi locutio שִׁבְעַת הַיָּמִים notat tempus, qvam diu flevit coram Simsone nova nupta, & ænigmatis explicationem expetierit, ut rectissimè Vinarienses & Junius interpretantur. Ubi verò author hujus capitis 14. significare vult temporis articulum vel diem, qvo aliqvid factum sit, adhibet ב. Confer & pondera versum 15. & 17. Ita & eodem modo eadem locutio usurpatur. 1. Reg. 16. v. 15. Regnavit Simri שִׁבְעַת יָמִים septem diebus. & c. 20. v. 29. Et castra habebant hi ex adverso illorum שִׁבְעַת יָמִים septem diebus: fuit vero בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי in die septimo &c.

III. Si verba textus Hebræi diligenter pensaveris, videbis ita & non aliter esse vertenda: Annum *primum* agebat (*filius anni erat*) Saul in regno suo (duobus autem annis regnavit super Israelem) Et eligebat &c. Perqvamparum vel omninò nihil ab hac explicatione abeunt Tremellius & Junius: Agens primum annum Saul in regno suo (duobus autem annis regnavit super Israelem) Elegit &c. Ita si reddantur textus verba omnia benè se habent, nec solidi qvicqvam objectari potest.

Obj. 1. Actor. 13. v. 21. Sauli 40. annos assignari. Verum igitur esse non posse, ipsum 2. saltem annos regnum administrasse.

Resp. 1. Author Seder Olam putat, Saulem in universum saltem

biennium regnasse. Sed rectè se ei opponunt R. Levi ben Gerson & R. Esai. asserentes fieri non posse, ut omnia facta Saulis biennii spatio evenerint. Et huic etiam assertio Pauli Actor. 13. v. 21. directè adversatur. Rectius ergo 2. respondetur ex notis Junii, duobus annis Saulem regnasse scil. legitimè, nondum planè à [illegible] rejectum & Spiritu ejus destitutum, de qvo c. 16. v. 14. Rejectus enim tum demum fuit, cum in expeditione contra Hamalekitas, Deo non obtemperaret c. 15. & c. 16. v. 1. & Spiritu destitutus, qvum David unctus fuit. c. 16. vers. 14. 15.

Obj. 2. c. 14. v. 48. lib. 1. Sam. narratur Saulem belligerasse circumqvaq; contra hostes suos, contra Moabitas, contra Ammonitas, contra Edomitas, contra Reges Tzobæ, contra Philisthæos. Tot autem expeditiones unius anni curriculo (secundo scil.) expediri neqviverunt.

Resp. 1. Nihil ex textu afferri potest, quo evincatur, primum regni annum fuisse completum, qvando Saul expeditiones has inceperit. Certe φράζεως: בֶּן־שָׁנָה: non adversante, statui potest primo adhuc anno, Philistæos devictos fuisse, & brevi post expeditiones illas fuisse cæptatas.

Resp. 2. Nec etiam necessum est bennium illud, qvod Sauli attribuitur, ita præcisè numeratum fuisse, ut non unus vel alter mensis ex anno seqventi ad illud spectet, juxta Synechdochen in Scripturis usitatissimam.

Resp. 3. Neq; verba illa versus 48. c. 14. videntur designare peculiares expeditiones, qvibus, collecto magno exercitu, populis illis bellum intulit; sed potius hostiles irruptiones, in qvibus profligatis Philisthæis, Moabitas, Ammonitas, Edomitas, Syros &c. qvi circumqvaq; populum Israeliticum carpere solebant, fuit ultus & cladem regessit.

Resp. 4. Accedit, qvod nulla est necessitas statuendi, hæc omnia ante illatum Amalekitis bellum, peracta fuisse. Notum qvippe est, non rarò in narrationibus Sacræ S. ὑστερολογίαν occurrere, qvæ & hoc in capite negari neqvit.

David filiorum Isai natu minimus in Bethlehem à Samuele divino jussu ungitur in Regem Israelis loco Saulis rejecti, cum ante cum leo-

leonibus & ursis lusisset tanqvam cum hædis & agnis c. 17. v. 34. 35. 36. & Syr. 47. v. 3. Pauló post vocatur ad Saulem á malo Spiritu inqvietatum, qvem citharam manu pulsans recreat c. 16. v. 14. & seq.

Anno Mundi 2938. *Exitus* 430. David cum bellum à Philisthæis ingrueret, ad parentem & ad greges ovium redit: Indè à patre ad castra missus immanem Goliathum Israelitis insultantem fundâ vibratâ sternit eiq; suo ipsius gladio caput amputat c. 17.

In diebus Saulis Rubenitæ Hagaræos bello invadunt prælioqve victos extirpant, eorumqve tentoria & facultates occupant, tenentqve usq; dum Israelitæ per Thiglath-Pilleser abducerentur. 1. Chron. c. 6. v. 10. 19. & seq.

Jonathan & David fœdus fraternæ dilectionis & fidei ineunt, & Saul Davidem assumit, nec patitur eum ad ædes paternas redire. Cum verò populus eum laudū encomio eveheret & in belli gloriâ ipsi Sauli præferret, Saul odio & invidiâ accensus illius vitæ insidiatur, tum fraude & dolis tum aperta vi & armis. Brevi qvippe pôst hastâ Davidem fidibus canentem lymphaticus petit, sed ille ictum declinat. Constituit eum posteà Chiliarchum, ut procedens ante populum à Philisthinis interficiatur. Cum verò ille fortiter ageret contra hostes, ac propterea in omnium oculis ferretur. Saul majori odio & invidiâ ardens, ei promittit primogenitam filiam Merob, & ad hortatur, ut strenue bellum Domini gerat, fallens tamen promissa Adrieli eam collocat. Pôst Davidi alteram filiam Mical se daturum pollicetur, si loco dotis afferat centum præputia Philisthæorum, his acqviescens David hostes cædit, 200. præputia Regi exhibens regiâ uxore potitur, suamq; gloriam & invidiam Saulis auget c. 18.

Saul aperte odium in Davidem professus jubet eum occidi. Jonathan Davidem de hoc certiorem factum hortatur, ut se abscondat, & pauló pôst eum patri suo reconciliat & ad eundem reducit. Verum Saul brevi ad ingenium suum redit. Cum enim David magnâ plagâ Philisthæos percussisset, vicissim eum pulsantem citharam conatur missâ hastâ parieti affigere. Qvod autem David se eripuisset, mittit satellites, qvi domum ejus observantes manè eum morte afficiant. Micol eum, indicato periculo, per fenestram dimittit, & missos speculatores decipit. David interim elapsus ad Samuelem venit, & ab eo Najothum ad Choros Prophetarum ducitur. Qværit eum

Saul

Saul in Rama per ſervos tertiò miſſos, & tandem ipſe eos inſecutus, ut antè miniſtri more Prophetico agere cæpit. cap. 19. Intereà David ad Jonathanem fugiens de injuria conqveritur, qvà compertà Jonathan ei conſtituit locum tempus & rationem, qvibus eum de patris animo certiorem faciat, juramento veri amici officium perpetuum ei promittit, & ab eo reſtipulatur. Abſcondit ſe David in agro. Jonathan in epulo novilunii virulentum patris in Davidem animum expertus, Davidi initi fœderis juratam fidem præſtat monitionibus ſymbolicis: deindè non ſine multis lacrymis eum in pace demittit cap. 20

David inermis Noben ad Achimelech Sacerdotem ſe confert, & ab eo, deficiente communi pane, ſacros propoſitionis panes, & dein gladium Goliathi impetrat. Indè Gathum fugit, & ad Regem Achis abductus, metu ſe inſanum ſimulat, qvi indignatus, inſanum per ſuos expellit c. 21. Pſal. 34. v. 1. Proripit ſe inde David in ſpeluncam Odullam, ubi ad ipſum veniunt parentes & cognati, tum alii anguſtia & exactione preſſi, & amari animâ, ut exiſteret exercitus 400. qvaſi virorum. Exin Mizpam ad Moabitarum Regem cum ſuis profectus, benignè excipitur; verum à Propheta Gath admonitus, in Judæam reverſus, in ſylvâ Cheret ſubſiſtit. Intereà dum oberrat David, Saul de rebus in Nobe geſtis certior factus per Doegum, Sacerdotes Nobæos accerſens, omnesq; (85. viros,) nullâ admiſsà excuſatione, morti adjudicat, traditq; per eundem Doegum, ſatellitibus regiis id recuſantibus, præterea totam urbem Sacerdotum, tam homines, qvam beſtias acie gladii peſſimus tyrannus percutit. Solus Abjathar cum amiculo ad Davidem elabitur c. 22. Ex hoc tempore tentorium conventus Gibeonem translatum exiſtimatur, David Philiſthæos edoctus in Judæam irrupiſſe & horrea Kegilæ diripere, Deo conſulto prius, atq; iterum illuc tendit, hoſteq; profligato & ſpoliato, Kegilam liberat & ibi commoratur. Saul Kegilam obſeſſurus populum congregat, ſed David à Deo per pectorale monitus cum 600 ſuis viris evadit, & ſe continet in deſerto Ziph Jonathan ad David progreſſus eum confirmat & fœdus renovat. Ziphæis autem nefariè eum prodentibus, David in deſertum Maon deſcendit. Ubi Saul & milites ejus Davidem cingunt jam jam comprehenſuri, ſed nuncio de Philiſthæorum irruptione territus, miſſo Davide, abit c. 23.

David

David se recipit in urbem Engedin, Saul à Philisthæis reversus, ter mille selectis militibus qværere nititur Davidem etiam in rupibus editissimis. In speluncâ David latens alam pallii Saulis, ad exonerandum alvum eandem ingressi, abscindit, ac è speluncâ egressum subseqvitur, inclamat, abscissam alam publicè monstrat, suam innocentiam, Regis crudelitatem demonstrat, additâ divinæ vindictæ denunciatione. Saul oratione Davidis motus lachrymatur, & de fide & innocentiâ Davidis testatur, eoq; adjurato de non delendâ posteritate suâ, abit c. 24.

Moritur Samuel & à toto Israele plangitur & sepelitur. David vero inconstanti Sauli non planè fidens, in desertum Pharan longius secedit, & cum pastoribus Nabalis aliqvandiu conversatus, tandem Nabalem oves tondentem de donario per ministros compellat, qvibus contumeliosè dimissis & reversis, tantæ injuriæ ultor Nabalem & totam ejus familiam internecioni daturus, in viam se dat, & Abigailæ occurrit, qvæ pulcherrimo sermone & munere eum placat, & reversa, marito postero manè, qvando crapulam jam edormierat, periculum explicat, qvo audito Nabal exhorruit, & decimo post die à Deo percussus animam efflavit. Abigailem viduam David pòst uxorem ducit c. 25.

David in desertum Ziph redierat, Ziphæi id secundò Sauli produnt. Qvare hic iterum cum selectis 3. millibus virorum illuc confluit. David noctu castra Saulis, cum suis alto somno oppressi, ingressus, hastam Regis & ampullam aqvæ à cervicali aufert, post castra inclamat, Abnerum excubiarum neglectarum insimulat, cum Rege de injuriâ sibi illatâ expostulat, qvi se peccasse fatetur, nec ultrà se ei malefacturum promittit, David ablata restituit, Deoq; commendatâ re, in pace discedit c. 26.

Anno Mundi 2943. *Egressus* 435. David diuturnæ persecutionis tædio, sinistriq; exitus metu, ex humanâ infirmitate, exorto, cum suis omnibus ad Philisthinos abit, & ad Achin Regem Gatthæum, acceptâ sine dubio prius fide publicâ, divertitur, & apud eum donatus oppido Ziklag commoratur annum & 4 menses. Undè in veteres populi sui hostes sæpè irrumpens, hominibus interfectis, opimam prædam reportat, fingens apud Regem, se è Judæâ abduxisse c. 27.

Anno Mundi 2944 *Exitus* 436. Philistini bellum Regi Saul illaturi,

ri, magno cum exercitu terram Iſraelitarum ingrediuntur, & David ſuis cum viris Achin Dominum ſuum comitatur. Saul id ubi intellexit, magno percellitur metu, &, cum Deus qværenti non reſponderet, pythoniſſam conſulit, & ex perſonato Samuele audit, ſe poſtridie victum iri &c. c. 28.

Duces Philiſthæorum in exercitu Davidem conſpicati, Achin Ducem Gatthæum increpant, &, ut Davidem domum dimittat, compellunt c. 29. Reverſus David cum ſuis, videt oppidum Ziklag ſpoliatum & igni combuſtum. Cognoſcens verò Amalekitas id feciſſe, perſeqvitur eos, iisq; cæſis omnem prædam recuperat &c. c. 30.

Interim Philiſthini cum Iſraelitis conflig nt, eosq; magnâ clade afficiunt: cadit probus Jonathan & fratres. Saul, ne hoſtibus de ſe triumphum & ſpectaculum præberet, ſibimet ipſi violentas affert manus, & inter cadavera poſtridiè inventus ſpoliatur, caput verò & arma ejus deportantur in terram Philiſthæorum circumqvaq; victoriaqve, celebratur. Eo facto arma in æde Aſtaroth in trophæum ſuſpenduntur: caput in æde Dagonis affigitur, corpus verò, ut & filiorum, muro Betſchanis: Venientes autem Jabeſcitæ noctu abrepta corpora Jabeſchi exurunt & oſſa ſepeliunt c. 31.

Anno Mundi 2945. *Egreſſus* 437. ante Chriſtum natum 1059. David poſtqvam mortem Saulis & Jonathanis plorarat, inſigniq; Epicedio honorarat 2. Samuelis c. 1. oraculo Dei monitus Hebronem proficiſcitur, & à tribu Judâ in Regem eligitur, natus annos 30. 2. Sam. 2.

Abner Isboſethum filium Saulis Machanaim traductum Regem Iſraelis conſtituit, & Davidem bello invadit, ſed fuſus cum ſuis à Joabo Duce Davidis, Aſahelem fratrem Joabi ſeqventem haſtâ transfigit 2. Sam. 2.

Anno Mundi 2947 *Exitus* 439. Abner ab Isboſetho increpitus deficit ad Davidem. Sed paulò poſt à Joabo fraude interficitur c. 3. Isboſeth cum toto Iſraele, morte Abneris auditâ, conſternatur & brevi poſt à latronibus dormiens in cubiculo trucidatur, qvi caput ejus ad Davidem portantes, ac præmium exſpectantes capitali ſupplicio afficiuntur c. 4.

David ab univerſo Iſraele Recipitur & Rex inungitur. *Jubilæus octavus* ſuprà dicto anno incipit.

Anno Mundi 2952. *Exitus* 444. David cum 7. annos & 4. menſes

ses Hebrone sedisset, Hierosolymam expugnat, eamqve collocatâ ibi regiâ regniq; sede, novis ædificiis exornat & firmat c. 5.

Philisthæi audientes Davidem à toto Israele constitutum Regem, bello eum aggrediuntur, verum ab ipso profligantur, &, cum iterum belli aleam tentarent, eandem adversam experiuntur fortunam c. 5. v. 17. & seq.

Anno Mundi 2955. *Exitus* 447. Arcam Domini David singulari pompâ ex urbe Kiriath jearim Hierosolymam adducit. Qvod verò Uza subitâ morte periret, David eo casu territus arcam in domo Obed-edom deponit, & hinc post 3. menses in arcem Sionis transfert. c. 6. & 1. Chron. c. 16.

Rabbi Levi ben Gerson & Don Isaac Abarbinel nugantur Pinchasum filium Eleazaris adhuc functum Sacerdotio tempore Davidis, idq; probare conantur ex 1. Chron. 9. v. 20. Imò ne qvid figmentorum desit, ajunt cum aliis Rabbinis ex Thalmude eum fuisse Eliam Thesbitem. Vide si libet Ganz p. 25. & Vorst. in Observ. p. 220.

Resp. 1. Hoc neqvaqvam ita esse. Nam 1. tempore Davidis pontificatum gessit Abjathar ex stirpe Ithamar, & post ipsum tempore Salomonis Zadok ex lineâ Eleazaris. Primitus Sacerdotium summum erat penes familiam Eleazaris & semper filius patri defuncto succedebat. Sic Eleazare mortuo, Pineas successit, hoc defuncto, ejus filius Abisue, post hunc Pontifex fuit filius Buqvis, & huic surrogatus est Ozis. Dein Sacerdotium pervenit ad Eli, qvi fuit ex semine Ithamari, inq; ejus familiâ permansit usq; ad tempora Salomonis, qvi remoto Abjathare, transtulit ad Zadokum ex familiâ Eleazaris. 2. Annorum computatio etiam vel maximè eis adversatur. Clarissimus vir Guilielmus Henricus Vorstius arbitratur Pinchasum fuisse fermè ejusdem ætatis cum Josuâ: ponam ego saltem fuisse 40. annorum. Confer. Exod. 6. v. 24. Qvod si igitur tempora Davidis attigisset, utiq; 400. & amplius annos vixisset; sin verò fuisset, ut ipsi nugantur Judæi, Elias Thesbita, vitam hisce in terris egisset 594. & qvod excurrit, annos, qvod nullo modo verosimile est.

Resp 2. Locum, qvem ex 1. Chron. 9. (in Germanicâ versione Luth. est c. 10.) v. 20. adducunt, eorum opinioni nihil videbis favere, verba textus si acccuratè fueris intuitus. Nam ibi occurrit vox לְפָנִים qvæ significat, antè, olim, Ruth. 4. v 7. 1. Sam. 9. v. 9. Josu.

14. v. 15. Eâ igitur innuitur, Pinchasum Sacerdotum & Levitarum olim suo tempore, dum vivebat, fuisse principem, non verò tempore Davidis.

Anno Mundi 2957. *Exitus* 449. David Jehovæ templum ædificare mente agitat, idq; Nathani aperit, qvi qvidem primò illud approbat, paulò post tamen à Deo jussus Davidi refert, Domino hoc ipsum non placere, sed filium ipsi nasciturum, qvi consilium hoc fideliter sit exsecuturus 2. Sam. c. 7. 1. Chron. 18.

Philistinos David percutit, eosqve deprimit, & aufert eis potentissimam urbem Gath, dictum Metechamma. 2. Sam. 8. 1. Chron. 19.

Vicit & Moabitas, Tzobæos, Damascenos, Edomitas, reddit eos tributarios, & opima spolia domum reportat. c. 8.

David memor fœderis sui cum Jonathane, de ejus posteris qværit, & repertum Mephibosethum regiæ mensæ adhibet, agros etiam avi Saulis ei restituit, & servo ejus Zibæ injungit, ut agros & villas eas curet, & proventus Mephibosetho exhibeat c. 9.

Anno Mundi 2962. *Exitus* 454 Mortuo Nahascho Ammonitarum Rege, David ad filium ejus Hanon legatos mittit consolatum. Cum verò id Hanon à proceribus & consiliariis suis seductus malam in partem interpretaretur & legatos Davidis magnâ ignominiâ afficeret, ac bellum contra Davidem, accepto à Syris auxilio, pararet, Joab & Abisai Davidis Duces eos agrediuntur & vincunt c. 10. Syri bellum reparant, majoresq; copias colligunt. Qvapropter David ipse congregato toto Israele contra eos proficiscitur, & ita cædit, ut pacem petere, & servitutem pacisci cogerentur cap. 10. vers. 15. & seq. 1. Chron. 20.

Anno Mundi 2963. *Exitus* 455. David Rex Joabum militiæ ducem ineunte hoc anno contra Moabitas mittit, ut eos perderet. Ipse verò Hierosolymis manens cum Bathsebâ adulterium committit, Uriam hujus maritum hostium gladio occidit, & uxorem ejus sibi matrimonio jungit, ex eâq; filiolum suscipit. c. 11. Dei nomine à Propheta Nathane reprehensus peccatum agnoscit, pænitentiam agit, pro infante, qvem moriturum audierat, Deum precibus & jejunio sollicitat, & cum nihilominus obiisset se divinæ voluntati subjicit c. 12.

Proficiscitur contra Ammonitas ipse David accersitus à Joabo, & Rab-

& Rabbam expugnat, populumqve (non tamen omnem, ut ex c. 17. v. 17. colligitur) graviſſimis ſuppliciis excindit. c. 12.

Anno Mundi 2965. *Exitus* 457. Naſcitur ex Bathſebâ Davidi filiolus Salomon, & Nathani Prophetæ traditur informandus c. 12. verſ. 24. 25.

Anno Mundi 2966. *Exitus* 458, ante C. N. 1038. Thamar filia Davidis & ſoror Abſolonis uterina, venuſtiſſima puella, ab Ammone fratre vi comprimitur, & poſt ignominiosè ex ædibus Ammonis expellitur c. 13.

Anno Mundi 2968. *Exitus* 460. Abſolon fratres omnes ad convivium, cum tonderet oves, invitat, & Ammonem lætum vino per ſervos obtruncat, & fugâ elapſus apud avum maternum Regem Geſur triennium exulat. c. 13. v. 23. & ſeq:

Anno Mundi 2971. *Exitus* 463. Abſolon interceſſione mulieris Thekohææ à Joabo adornatæ, à patre Davide operâ Joabi revocatur, nec tamen biennio in conſpectum patris venire audet c. 14.

Anno Mundi 2976. *Exitus* 468. Abſolon poſtqvam jam antè ſibi paraverat currus & eqvos & ſatellites, & malis artibus ſubditorum animos paulatim ad ſe allexerat, tandem poſt 40. annos, ex qvo ſcilicet David, primò in Regem à Samuele unctus fuerat (alii aliter explicant:) Chebronem abit, ibiq; à ſeditioſis receptus contra parentem conſpirat. David eo comperto, Hieroſolymis fugit c. 15. Davidem Ziba donis & herum ſuum Mephiboſethum traducendo ſeducit: Simei eundem maledictis inceſſit & lapidibus petit: Abſolon verò Hieroſolymam ingreſſus, ex conſilio Achitophelis 10. patris concubinas ſtupravit. c. 16. Huſai conſilium Achitophelis ſuo conſilio diſſipat, ac Davidem certiorem facit: Achitophel domum reverſus ſe ſuſpendit: Abſolon Davidem perſeqvitur & Iordanem tranſit: David verò Machanaim intrat, & ab amicis commeatu juvatur c. 17. Dein exercitum inſtructum Abſoloni obviam mittit, qvi cum copiis ſuis fuſus in ſylvam fugit, & cæſarie qvercui ſuſpenſus hæret, & à Joabo tribus haſtilibus trajicitur, ab armigeris ejus interficitur, & in foſſam projectus ingenti lapidum acervo obruitur. David verò hæc audiens valdè triſtatur c. 18. Reducitur David in regnum c. 19. & Seba, novam qvi excitarat rebellionem, in oppido Abele decollatur c. 20.

Anno Mundi 2977. *Egreſſus* 469. Fames triennis Iſraelitas affligit c. 21. v. 1.

David cum Philisthinis pugnat, & defessus à gigante Jesbi invaditur, sed Abisai auxilio veniens hostem occidit. Pugnatur adhuc ter cum Philisthæis, & singulis vicibus singuli gigantes occumbunt c. 21. v. 15. & seq.

David hostibus liberatus canit Deo carmen εὐχαριστικὸν c. 22.

Anno Mundi 2980. *Exitus* 472. David à Deo edoctus, ob factam cædem Gibeonitarum à Saule contra fidem majoribus juratam, famem illam immissam fuisse, Gibeonitis petentibus in piaculum 7. ex posteris Saulis suspendendos tradit. Ritzpa cilicio tegit corpora suspensorum, donec caderet pluvia, indicium placati Dei &c. Qvâ pietate motus & ipse David ossa Saulis & Jonathanis à civibus Jabeschi Gilhadis accepta, una cum ossibus suspensorum in sepulchro Cis patris Saulis sepelit c. 21. v. 1. & seq.

Eodem hoc anno David populum jubet numerari: qvâ re offensus Deus, trium ei pœnarum optione datâ, triduanam pestem, qvam elegerat David, immittere cæpit, qvâ 70000. hominum extincta sunt, pluraq; deleta fuissent, nî David iratum Deum precibus & oblatis sacrificiis super altari, in areâ Aravnæ ex præscripto Dei exstructo, placasset. 2. Sam. 24. 1. Chron. 22.

Evenisse hoc præfato anno colligitur ex oblatâ septennis famis electione, v. 13. hujus c. 24. collato cum v. 12. c. 22. 1. Chron. ubi saltem trium annorum fit mentio. Eruditi autem apparentem hanc contradictionem optimè tollunt dicendo, indicari 2. Sam. 24. annos tres famis propter Gibeonitas, jam fuisse elapsos, præsentem verò, qvo hæc Davidi dicebantur, fuisse qvartum, qvo Deus qvidem datâ pluviâ se reconciliatum testatus fuerat, sed novo hoc peccato offensum denuò proponere alterum triennium 1. Chron. 21. v. 12. Hoc si superioribus annis jungitur, septennium efficitur. David hac occasione cognoscens locum, qvem Deus ædificando templo elegerat, opifices & materiam comparat ad ædificationem, eamq; Salomoni commendat, hortaturqve principes, ut filio suo sint adjumento. 1. Chron. cap. 22.

Anno Mundi 2985. *Exitus* 477. Adonia, Joabo & Abjatharo Sacerdote adjuvantibus, regnum patris sibi rapere conatur; sed David hoc resiscens Salomonem jubet coronari Regem, eumq; in regio thro-

no col-

no collocatum usitatis acclamationibus & reverentiæ cultu honorari. 1. Reg. c. 1.

Rex David ordinat officia Ecclesiastica. Nam Levitas recenset & per gentes & familias ad sua officia distribuit. c. 23. 1. Chron. Describit prætereà Sacerdotes per suas gentes, officia & ordines, ac reliqvos Levitas Kehathitarum & Meraritarum Sacerdotibus ministrantium cap. 24 Distribuit sacros Musicos in 24. ordines & functiones eorum enarrat c. 25. Deniq; ex Levitis constituit 1 Janitores templi. 2. Thesaurarios. 3. Judices & præfectos negotiis sive sacris, sive politicis c. 26. Deinde ad officia politica conversus constituit 1. Præfectos cohortum menstruarum. 2. Principes tribuum & 3. reliqva officia aulica c. 27.

Ultima habet David comitia, inq; eis proponit, se voluisse Deo domum ædificare, sed à Deo id sibi concessum non fuisse, verum Salomoni, qvem Regem elegit, id ipsum demandasse. Hortatur itaq; regni proceres & speciatim filium suum Salomonem ad mandati illius divini executionem, traditq; figuram structuræ & ordinis Levitici cum apparatu auri c. 28. Porrò multum auri argentiq; ad templi extructionem confert, & hoc suo exemplo, ut & verbis, Israelitarum ordines ad liberaliter offerendum provocat. Qvo facto Deo gratias agit, populo & filio benè precatur: Laudat etiam tota illa congregatio Dominum & multa sacrificia, holocausta & libamina offert, comedit bibitq; coram Jehova die illo magnâ cum lætitiâ, ac tandem Salomonem secundò Regem ungunt, & Zadokum Sacerdotem magnum c. 29.

Sentiens tandem mortem imminere, denuo Salomoni filio timorem Domini commendat, justitiamqve in Joabum & Simei, beneficentiam verò erga Barsillai filios ut exerceat, exhortatur, atq; ita placidè obit natus 70. annos, & functus regno 40. (& 6. menses 2. Sam. 5 v. 5.) 1. Reg. 2. v. 1. ad 12.

Adonias iterum pravis consiliis deditus, tandem Salomonis jussu trucidatur. Abjathar sacerdotio movetur, Joab in ipso Sacrario interficitur, & Simei Hierosolymorum urbe exire prohibetur, &, cum exacto triennio contra edictum Salomonis egrederetur Hierosolymis, occiditur. 1. Reg. 2. v. 13. & seq.

Salo-

Salomon filiam Pharaonis uxorem ducit: Deum Gibeone eximiis sacrificiis colit: ubi divinitus sibi dati in somnis optione petendi, qvæ vellet, sapientiam expetit, qvæ ipsi datur, adjectis etiam aliis, divitiarum puta, gloriæ & similium donis. Brevi post intricatissimam mulierum controversiam dirimit, atq; latente veritate in apricum protractâ, illustre sapientiæ documentum exhibet, eoq; authoritatem & reverentiam apud suos sibi acqvirit c. 3 Ordinat deindè regnum ac de administratoribus, annonæ curatoribus, eqvis & copiis ordinariis prospicit, ut Juda & Israel tranqvillè viverent c. 4.

Hiram Rex Tyri Salomoni de accepto regno per legatos gratulatur: Salomon suos etiam ad Hiramum legatos mittit, & lignis è Libano ad templi structuram se juvari petit, qvod certis conditionibus Hiram acceptat & præstat, Salomon verò operarios suppeditat unâ cum præfectis & curatoribus c. 5.

Anno Mundi 2988. *Exitus* 480. ante C. N. 1016. regni Salomonæi 4. mense secundo dicto זִו vel אִיָּר Salomon domum Dei ædificare cæpit & fundamenta ponit 1. Reg. 6. v. 1. & 37:

Anno Mundi 2995. *Exitus* 487. ante C. N. 1009. regni Solom. 11. mense בּוּל vel מַרְחֶשְׁוָן, hoc est mense 8. domum Dei absolvit c. 6. v. 38.

Anno Mundi 2996. *Exitus* 488. regni Sal. 12. in תִּשְׁרִי vel אֵתָנִים hoc est, mense septimo Salomon convocat seniores populi & Sacerdotes, & deducit arcam ex arce Sionis in templum & tabernaculum, & vasa sacra Gibeone in thesaurum domus Dei: in qvâ cum Deus aspectabile suæ præsentiæ signum dedisset, Salomon cū populo Deo benedicit, preces fundit, sacrificia Domino offert & templum dedicat, idq; spatio 7. dierum, qvos inter 10. dies fuit dies expiationis in qvo annus Jobilæus 9. buccinâ fuit indicatus. Deinceps festum tabernaculorum 7. diebus celebrat, ac in fine diei octavi populum dimittit, qvi sequenti die, qvi fuit 23. mensis septimi ad sua redit 1. Reg. 8. & 2. Chron. c. 7. v. 10.

Anno Mundi 3007. *Exitus* 499. regni Salomonis 23. Regia domus, qvæ templo perfecto extrui cæpta est 13. annorum spatio absolvitur. Jehova secundâ vice Salomoni apparet 1. Reg 9. vers. 1. & 2. Chron. 7. v. 11. (Josephus, Junius, & Belgici interpretes apparitionem hanc factam opinantur mox post templi dedicationem.) Uxor Salomonis,

monis, filia Pharoonis ex arce Sionis in regiam nuper ædificatam deducitur 2. Chron 8. v. 11.

Salomon Hiramo donat 20 civitates Galilææ. Cum verò ei non placerent & regionem earum terram Cabul appellaret, Salomon eas receptas & alias ædificat, populos residuos Cananæos, qvos Israelitæ excindere non potuerant, tributarios & servos reddit. 1. Reg. 9. v. 10. & seq. & 2. Chron. 8. v. 1. & seq.

Salomonis naves cum nautis Hirami in Ophir navigant & aurum inde referunt. 1. Reg 9. vers. 26. & seq. & 2. Chron. 8. v. 17. 18.

Regina Arabiæ auditâ famâ Salomonis, Hierosolymam venit, sapientiam & magnificentiam ejus admiratur, ac muneribus datis & acceptis, domum regreditur. 1. Reg. 10. 2 Chron. 9.

Salomon alienigenarum mulierum amoribus corruptus, alienos etiam Deos colit, iisq; delubra Hierosolymis ædificat. Deus igitur iratus regni dilacerationem ei comminatur, hostesqve exitat 1. Reg. c. 11.

Abias Propheta Jerobeamo in agro occurrens regnum Israeliticum prædicit. Qvod olfaciens Salomon vitæ ejus insidias struit, qvi in Ægyptum ad Regem Sesacum profugit. 1. Reg. 11. 2. Chron. c. 10.

Anno Mundi 3024. *Exitus* 516. Moritur Salomon, postqvam regnarat 40 annos. 1. Reg. c. 11. v. 43.

Reliqvit 3. libros in sacrum canonem ascitos

1. *Proverbia* ab ipso prolata. 1. Reg. 4. v. 32. sed à viris post ejus obitum colligi cœpta, dein à ministris Hiskiæ Regis reliqva collecta. Prov. 25. v. 1.

2. *Ecclesiasten*, qvo conversus vanitates suarum cogitationum & actionum prodit, & refutat, aliosq; veritatis & pietatis viam docet, concluditq; hac sententia omnium parietibus, imò animis, si fieri posset, aureis literis inscribenda; *Summa rei horum omnium auditorum (vel audita qvæ hactenus sunt :) Deum ipsum reverere, & præcepta ejus observa,* כִּי זֶה כָּל הָאָדָם qvia hoc est totum hominis. *Nam omne opus Deus ipse adducet in judicium cum omni re occultâ; sive bonum, sive malum* c. 12. v. 15 & 16.

3. *Canticum Canticorum*, qvod mysterium conjugii Christi & Ecclesiæ complectitur capitibus 8.

Anno Mundi 3025. *Exitus* 517. Rehabeam ex Ammonitide genitus habens jam 41. annos. 2. Reg. 14. v. 21. & 2. Chronicor 12. v. 13. Salomoni patri succedit, & sua stoliditate & superbia potissimam regni partem, 10. nimirum tribus, amittit. Cum verò bellicâ vi recuperare conaretur, Semejas Propheta eum à proposito dehortatur, 1. Reg. 12.

Eodem hoc anno Jerobeam Ephraimita, qvondam Salomonis servus, vir strenuus. 1. Reg. 11. v. 28. revocatus exul publicis in comitiis Rex super Israelem constituitur. Hic pessimo consilio, ut regnum sibi stabiliat, religionem novam excogitat, & duos aureos vitulos populo adorandos proponit 1. Reg 12.

E Judâ venit Propheta, & contra altare Bethelense vaticinatus prædicit, qvendam Judæ Regem, nomine Josiam, surrecturum, qvi super altari hoc Sacerdotes sit mactaturus & ossa hominum crematurus, hasq; minas evidenti signo, fissurâ altaris, confirmat. Regi Jerobeamo prophetam prehendere jubenti, manus exarescit, mox tamen, Prophetâ hoc Deum deprecante, restituitur. Propheta aspernatus cibos & donaria Regia oblata, ad suos redire conatur, sed à Seniore Prophetâ seductus, Bethlehemumq; reversus edit & bibit, contra expressum Dei interdictum. Qvare post in reditu à leone interficitur &c. Sed Jerobeam hisce non emendatur 1. Reg. 13.

Anno Mundi 3026. *Exitus* 518. regni Jerobeami 2. putat Bucholzerus, uxorem Jerobeami mutato vestitu Abiam Prophetam de morbo filii Abia consulisse. Propheta eam agnoscit à Deo monitus, & ob mariti idololatriam toti domui interitum, universo autem Israeli excisionem, & in Assyriam deportationem denunciat 1. Reg. 14.

Anno Mundi 3028. *Exitus* 520. Rehabeam cum tribus annis civitates munivisset, & accessione Sacerdotum & Levitarum, ac aliorum ex Israelitis confirmatus esset, qvarto regni sui anno Legem Dei relinqvit cum totâ Jehudâ 2. Chron. 11 v. 17.

Anno Mundi 3029. *Exitus* 521. Jerobeami regni 5. Venit Sesac Rex Ægypti, & expugnatis munitionum civitatibus Hierosolymam pergit, & aufert thesauros Regis, templi, & aurea scuta Salomonis 1. Reg. c. 14. & 2. Chron. 12.

Anno Mundi 3041. *Exitus* 533. Moritur Rehabeam, postqvam regnarat 17. annos.

Anno Mundi 3042 *Exitus* 534. Abia filius ei ſuccedit anno 18. Jerobeami, & ambulat in omnibus peccatis Rehabeami patris ſui 1. Reg. 15. Educit Exercitum 400000. hominum contra Jerobeamum, qvi ei opponit 800000, Sed cum Jehuda in ſummo conſtitutus periculo Deum precibus ſollicitaret, & Sacerdotes tubis clangerent, Jerobeam cum ſuis in fugam conjicitur, & amittit 500000. homines, qvâ clade fractus, dum vivit, bello abſtinet 2. Chron. 13.

Anno Mundi 3044. *Exitus* 536. Rex Abia ubi 3. annos regnarat, moritur & ſuccedit ei filius Aſſa anno 20. Jerobeami Regis Iſraelis 1. Reg. 15. 9.

Anno Mundi 3045. *Egreſſus* 537. Nadab filius Ierobeami conſtituitur Rex Iſraelis 2. anno Aſſæ & 21. patris Jerobeami & regnat biennium 1. Reg. 15. verſ. 25. qvamvis non integrum, ut colligitur ex verſ. 28. & 33.

Anno Mundi 3046. *Exitus* 538. regni Aſſæ 3. moritur Jerobeam, &, cum Nadab filius poſt mortem ejus paucis menſibus plenâ poteſtate regnaſſet, trucidatur à Baeſa, qvi regno Iſraelitico præeſt 24. annis 1. Reg. 15. v. 33.

Aſſa Rex Jehudæ cum decennali frueretur pace, nec aperto bello invaderetur, idola frangit, lucos incendit, & religionis veritatem revocat, urbes qvoq; munit 1. Reg. 15. verſ. 11. & ſeq. 2. Chron. 14. v. 1. & ſeq.

Anno Mundi 3058. *Exitus* 550. regni Aſſæ 15. Zerach Æthiops cum copiis deciescenties millium, & curribus ter centies contra Aſſam prodit, & Mareſcham usq; venit. Qvo ipſi obviam procedens Aſſa, in vocato homine Dei, Æthiopes cædit, & ingenti prædâ potitur. 2. Chron. 14. v. 9. & ſeq.

Hieroſolymam reverſus, Aſariâ Prophetâ adhortante, cæptam religionis reformationem & veri cultus inſtaurationem perſeqvitur, & fœdus menſe 3. in Pentecoſtes feſto cum Deo renovat. 2. Chron. c. 15. v. 1. & ſeq.

Anno Mundi 3060. *Exitus* 552. regni Aſſæ 17 (qvi eſt 36. regni Judæ, cui dum præerat Aſſa. confer partem 2. libri 1. p. 115. 116.) Baeſa Rex Iſraelis aſcendit contra Jehudam & ædificat Ramam, ne ſineret ad Aſſam Regem Jehudæ egredi & regredi. Aſſa divino auxilio humanum præferens ad Ben-Hadum Regem Syriæ munera mittit, ejusq;

ope Baesam ab ædificatione retrahit &c. Propter hoc cum à Prophetâ Chanani reprehenderetur, eum carceri includit, & qvosdam è populo percutit 1 Reg. 15. & 2. Chron. 16.

Anno Mundi 3069. *Exitus* 561. regni Assæ 26. moritur Baesa, & loco ejus regnat Ella filius ejus.

Anno Mundi 3070. *Exitus* 562. regni Assæ 27. Simri factâ conspiratione Regem suum Ellam in convivio helluantem obtruncat, atqve Rex factus totam Baesæ posteritatem extinguit, prout à Jehu Prophetâ erat prædictum. Exercitus verò, qvi Giberonem obsidebat, hæc audiens, Amri militiæ ducem Regem constituit, qvi Tirzam contendit, eamq; obsidione cingit. Simri videns urbem jam captam, regiam ingreditur, eâq; incensâ, semetipsum comburit, postqvam septiduum regnarat. Hoc tempore divisus est populus Israel. Pars enim una seqvebatur Tibni, pars verò altera ipsum Amri 1. Reg. 16.

Anno Mundi 3074. *Exitus* 566. regni. Assæ 31. Tibni mortuo Amri integro Israelis regno potitur 1. Reg. c. 16.

Anno Mundi 3075. *Exitus* 567. regni Assæ 32. Amri emit montem in tribu Ephraim à Semero, inq; eo condit urbem Samariam & illuc regni sedem transfert 1. Reg c. 16.

Anno Mundi 3081. *Exitus* 573. regni Assæ 38. moritur Amri, & succedit ei filius Achab. Jericho his temporibus ab Hiel reædificatur: primogeniti ejus interitu fundamenta jaciuntur, & minimi natu morte portæ ponuntur, ut Josua prædixerat. 1. Reg. 16.

Anno Mundi 3082. *Exitus* 574. regni Assæ 39. Rex Judæ Assa pedibus laborare incipit, & cum invalesceret morbus, non qværit Deum, sed Medicos 2. Chro. 16.

Anno Mundi 3084. *Exitus* 576. Mortuo Assa post regnum 40. annorum Josaphat succedit anno 4. Achabi Regis Israelis 1. Reg. cap. 22,

Anno Mundi 3086. *Exitus* 578. Josaphat Eccelesias in toto regno visitat. Nam mittit cum præfectis suis Levitas & Sacerdotes per civitates Jehudæ, qvi habentes secum librum Legis Iehovæ, populum docent 2. Chron. 17. v. 7. & seq.

Anno Mundi 3093 *Exitus* 585. regni Iosaphati 10. Elias Propheta precibus suis cælum annis 3. & mensibus 6. claudit Luc. 4. v. 25. Iacob. 5. v. 17. 1. Reg. 17. v. 1. Vadit ad torrentem Cerithi & à corvis panem

nem & carnem afferentibus pascitur. Deindè exsiccato torrente, Zarphatam abit, & à viduâ sustentatur. Dum illic est, ægrotare cæpit hospitæ filius & moritur, sed Elias precibus eum resuscitat. 1. Reg. 17.

Anno Mundi 3096. *Exitus* 588. Regni Iosaphati 13. Elias ad Israelitas reversus Achabo se sistit, & à Rege objurgatus, impietatem & idololatriam ipsi objicit. Post singulari miraculo, Iehovam verum esse Deum, demonstrat, ac sacerdotes Baalis 450. jugulat, & pluvias à Deo impetrat, 1. Reg. 18. Iesebel hæc à marito Rege edocta, Eliæ per nuncium mortem in crastinum minatur: qvare fugit Elias & ab Angelo cibo & potu refectus, ad montem Horeb progreditur jejunans 40 diebus & noctibus. Ipsi Deus apparet eumq; consolatur, ac jubet, ut Hasaelem ungat Regem Syriæ, & Iehu Regem Israelis, & Elisæum Prophetam. In reditu cum offenderet Elisam arantem, mox eum vocat & sibi successorem constituit 1. Reg. 19.

Anno Mundi 3097. *Exitus* 589. Reg. Iosa. 14. Benhadad Rex Syriæ maximis copiis Samariam obsidet, sed vincitur, castrisq; exutus fugâ elabitur. 1. Reg. 20.

Anno Mundi 3098. *Exitus* 590. reg. Ios. 15. Benhadad ingenti cum exercitu redit, & in planicie campi cum Israelitis præliatur, & amissis centum millibus Syrorum, in urbem Aphek transfugit, ibiq; denuò 27. millibus ruinâ murorum oppressis, vivus capitur. Achab eum imprudenter dimittit, & propterea verbis castigatur à Propheta. 1. Reg. 20.

Naboth Iesreelitha vineam suam Regi Achabo denegans falsò accusatur, damnatusq; lapidibus obruitur de mandato Reginæ Iesebel. Audiens hoc Achab, prodit occupaturus vineam Naboth, & acriter ab Eliâ reprehenditur. 1. Reg. 21.

Anno Mundi 3100. *Exitus* 592. reg. Iosa. 17. Ahasia Rex designatur à patre Achabo ultimo qvadrante 20. anni ipsius regni. Eodem anno Ioram à patre suo Iosaphato Rege Iuda, gubernator regni constituitur.

Anno Mundi 3101. *Exitus* 593. reg. Iosaph 18. Samariam Iosaphat proficiscitur salutatum Achabum, qvocum affinitatem contraxerat.

Anno Mundi 3102. *Exitus* 594. reg. Ios. 19. Achab cum Iosephato in

80 in bellum contra Syros Ramathas Gilhadis proficiſcitur, & in prælio arcu lethaliter vulneratus occumbit: Ioſaphat verò incolumis domum redit, & à Propheta Iehu redargutus, ob auxilium impio Achabo latum, ſuos ad Deum revocat, & ordinem Eccleſiaſticum & Politicum in regno ſuo recognoſcit, conſtitutis judicibus & inſpectoribus, 2. Chron. 19.

Poſt hæc contra Moabitarum & Ammonitarum copias jejunio & precibus pugnat, cælitusq; victoriâ, hoſtibus ſe invicem conficientibus, potitur, triduumq; ſpolia diſtribuit, & Deo gratias agit. 2. Chron. 20.

Deindè Ioſaphat ſocietatem init cum Ahaſiâ impio Rege Iſraelis, ut unà naves mitterent in Ophir, qvod reprehenditur à Propheta, & infelicem ſortitur eventum. 2. Chron. 20. v. 35. & ſeq. 1. Reg. 22. v. 49. Cum verò Ahaſia ad reparandam claſſem eum cohortaretur, non acqvieſcit. 1. Reg. 22. v. 19. 20.

Ahaſia cadit per qvendam clatrum in cænaculo ſuo Samariæ, ac graviter læſus mittit conſultum Baalzebum idolum Ekronis. Elias legatis obviam venit eosq; increpat & mortem Regi denunciat. Moritur itaq; Achazia. 2. Reg. 1. & frater ejus Ioram, qui præcedenti anno 21. Achabi & 2. Iorami gubernatoris & 18. Ioſaphati in regni conſortium fuerat aſſumptus, plenâ poteſtate & ſolus loco ejus regnare incipit. 2. Reg. 3 v. 1.

Elias per turbinem curru & eqvis igneis in Cœlum aſſumitur. Succedit ei in officio Prophetico Eliſæus, qvi pallio Eliæ aqvas Iordanis dividit, & per ſiccum tranſit. Ierichunte aqvas malas, injecto ſale ſanat: puerisq; Bethelenſibus ſibi illudentibus maledicit. 2. Reg. 2. Divertitur aliqvoties ad Sunamitidem eiqve filium promittit.

Anno Mundi 3103. *Exitus* 575. regni Ioſap. 20. Ioram Rex Iſrael, Ioſaphat Rex Iudæ & Rex Idumæorum Moabitis bellum facturi proficiſcuntur. Cum verò aqvarum penuriâ laborarent, Eliſæus aqvam ſubminiſtrat, & victoriam pollicetur 2. Reg. 3.

Eliſæus viduæ oleum auget, ut debitum exſolvere, & ſe ſuosqve ſuſtentare poſſet 2. Reg. 4.

Naſcitur filius Sunamitidi.

Anno Mundi 3105. *Exitus* 597. regni Ioſ. 22. Moritur filius Sunamiti-

namitidis, & resuscitatur ab Elisa 2. Reg. 4. Sunamitis ab Eliâ monitâ cum suâ familiâ ob ingruentem famem septennalem ad Philistinos abit.

Elisæus tempore famis Gilgale colocynthidas amaras & nocivas sanat 2. Reg. c. 4. v. 38.

Cibat 20. panibus 100. viros, Ibidem v. 42.

Joram filius Josaphati à patre constituitur Rex anno 5. Jorami Regis Israelis. 2. Reg. 8.

Leprosus Naeman Syrus Samariam veniens ab Elisæo sanatur & Gehasi leprâ percutitur 2. Reg. 5.

Filii Prophetarum ad Jordanem eunt & ligna cædunt. Cum vero uni securis vel ferrum de manubrio in aqvam delaberetur, ab Elisæo è fundo revocatur & aqvæ innatat 2, Reg. 6.

Consilia & insidias Syrorum Elisæus agnoscit & Regi Israelis indicat. Cum verò Rex Syrorum mitteret numerosas copias, ut Elisæum caperent, hic eos Dothanem cingentes, subito scoromate percussos, Samariam deducit &c. 2. Reg. 6. v. 1. ad 24. Benhadad Rex Syrorum Samariam obsidet, ejusq; incolas ad maximam famem adigit. Elisæus Regi secum expostulanti in crastinum magnam frumenmenti abundantiam & vilitatem promittit. Non credit hoc præfectus regius; sed respondet Elisæus, ipsum hoc oculis suis visurum, sed non ex iis esurum. Et ita evenit. Nam 4. leprosi בְּנֶשֶׁף in ipso crepusculo (vespertino. Nam matutinum intelligi non posse, sequentia in textu, inprimis versus 12. ostendunt) fame compulsi ad castra Syrorum contendunt. Ubi cum hostes nullos, utpote à Deo, excitato subito armorum strepitu, in fugam actos, offenderent, cibis se & potu recreant, argentoq; & auro & vestibus de prædâ absconditis, Samariam regressi lætum nuncium adportant. Samaritani compertâ rei veritate, urbe effusi castra deprædantur, atq; ita omnes ingenti fame levantur. Regius præfectus annonæ ubertatem videt, sed in portâ conculcatus nihil indè gustat, ut Propheta Elisæus prædixerat 2. Reg. 6. v. 24. & seq. & c. 7.

Anno Mundi 3108. *Exitus* 600. moritur Josaphat & filius ejus Joram, qvem anno regni sui 22. Regem fecerat, solus jam regnum administrat. Joram confirmato jam sibi regno fratres suos, & nonnullos è primoribus populi gladio interficit 2. Chron. 21.

Edo-

pore Regi Joramo exhiberetur. Ita Propheta multis antè annis Zelum Iosiæ prædixit & ipsum nomen Iosiæ posuit. 1. Reg 13. v. 2. & seq.
Ita Esaias de futuro Cyri regno scripsit. Esa. 44. v. 28. & c. 45 v. 11. & seq. Sic Ierem. 17. v. 1. & seq dicitur: Iehovam prædixisse initio regni Iojakimi (tribus annis ante, qvam Nebucadnezar regnum adiret & undecim annis, qvam Zedekia regno Iudaico præesse inciperet,) fore ut Zedekia & vicini Reges Nebucadnezari servirent. Qvam Prophetiam Ieremias obsignavit & suo demum tempore propalavit.
Anno Mundi 3110. *Exitus* 602. regni Iorami 6. Philisthæi & Arabes in regnum Iudæ irruunt, Hierosolymam & domum Regis spoliant, uxores Regis captivas abducunt & filios, qvos etiam occiderunt omnes, excepto Iehoachazo vel Ahasia natu minimo, 2. Chron. 21. v. 16. & seq.
Anno Mundi 3111. *Exitus* 603. reg Ior. 7. Ioram Rex Iuda alvi profluvio laborat biennium ferè, usqve dum intestinis defluentibus moreretur.
Anno Mundi 3112. *Exitus* 604. reg. Ior. 8 Sunamitis cum filio suo post finem septennalis famis è Philisthinis redit & bona sua recuperat. 2 Reg. 8 v. 1. & seq
Elisæus venit Damascum, hoc ubi resciscit Rex Benhadad ægrotans, mittit ad ipsum Hasaelem, quæsitum utrum sit ex hoc morbo evasurus? Propheta ei respondet, & mox subjicit Ipsum Hasaelem fore Regem Syrorum, qvod & brevi post factum est. Nam moritur Benhadad & ei Hasael succedit. 2 Reg. 8 v. 7. & seq. Moritur Ioram Rex Iehudæ & loco ejus Achazia regnat.
Achazia & Ioram Rex Israel suscepto contra Hasaelem Regem Syrorum bello, proficiscuntur ad Ramathas Gilhadis. Vulneratur ibi Ioram, & Ietzreelem curandorum vulnerum causâ deportatur. Achazia etiam illuc se confert & ægrotantem Ioramum invisit. Interim Iehu à puero Elisæi ungitur Rex Israelis, & jubetur vindictam exercere in domum Achabi, qvod & strenuè exeqvitur. Ioramum namq; in agro Nabcth arcu transverberat, & bestiis lacerandum objicit: Achaziam vulnerat, & tandem occidit, uxorem Achabi Iorami matrem de fenestrâ præcipitari jubet, qvæ eqvorum ungulis proculcata à canibus devoratur. 2. Reg. 9.
Iubet prætereà Samariæ interfici 70. filios Achabi & filiorum ejus. Intelligens hoc factum, reliqvos de domo Achabi Ietzreele per-

cutit, & Samariam contendit, in itinere agnotos Achaziæ Regis Iehudæ repertos jubet comprehendi & jugulari. 2. Reg. c. 10.

Anno Mundi 3113. *Exitus* 605. Athalia vidua Jorami, filia Achabi, & mater Achaziæ, omne semen regium extinguit, solus Joas filiolus Achaziæ à Jehosabeà, amità, vel sorore Achaziæ, uxore Jojadæ Summi Sacerdotis, cædi surreptus in templo absconditur & sexennio nutritur. 2. Reg. 11.

Jehu Rex Israel omnes Baalis sacerdotes ex toto Israele, sub prætextu maximi sacrificii Baali offerendi, congregat, eosq; Baalitico templo gladio ferit, idola destruit & in latrinas disponit. Peccatis tamen Jerobeami pertinaciter adhærescit. 2. Reg. 10 v. 18. & seq.

Anno Mundi 3119. *Exitus* 611. Joas 7. annos natus, septimo anno Jehu & Athaliæ, à Jojada Sacerdote producitur, & imposità ei coronà, & tradito libro legis &c. Rex constituitur, & Athalia internecioni datur. 2. Reg. c. 11.

Jojada fœdus pangit inter Jehovam & Regem & populum, ipsos fore populum Jehovæ, & deinde inter Regem & populum.

Ædem Bahalis totus populus demolitur, altaria ejus & imagines frangit & tandem Regem è domo Jehovæ in domum Regis deducit, ac eo solium regium occupante lætatur. 2. Reg. 11.

Anno Mundi 3134. *Egressus* 626. regni Joas. 16. opinatur Calvisius, Syros incursionem fecisse in regionem trans Jordanem, qvæ erat tribuum Ruben, Gad, & Manasse, eamqve longe lateqve vastasse. 2. Reg 10.

Anno Mundi 3141. *Exitus* 633. regni Joas. 23. Joahas decedenti suo patri Jehu, post 28, annorum regnum, succedit & regnat 17. annos 2. Reg. 13. v. 1.

Joas Rex Judæ mox regni sui primordio templum, ubi opus esset, instaurari jusserat. Qvia verò sacerdotes usq; ad annum 23. regni ejus, templi labem non curarant, Rex instaurationem vehementius urget. Qvare tandem rem aggrediuntur & perficiunt. 2. Reg. 12. & 2. Chron. 24 v. 1. ad 14

Anno Mundi 3151. *Exitus* 643. templi conditi 164. regni Joas. 33. Jojada Sacerdos natus 130. annos moritur & unanimi consensu sepulchris Regum infertur. 2. Chron 24. v. 15. 16.

Post mortem Jojadæ Joas aulicorum assentationibus corrumpitur

tur & in idololatriam, qvam Jojadà morum custode & consiliorum rectore sustulerat, totus dilabitur. Jehova suos mittit Prophetas, qvi in viam revocarent, sed eis aures non præbent. 2. Chron, 24. vers. 17. 18. 19.

Anno Mundi 3155. *Exitus* 647. regni Joas 37. Joas filius Joahas fit Rex Israel anno regni paterni 15. & regnat 16. annos 2. Reg. 12. v. 10.

Anno Mundi 3156. *Exitus* 648 T. Cond. 169. regni Joas 38 Amazia à patre suo Joas Rege Judæ in consortium regni assumitur & præest 29. annos 2. Reg. 14 v. 1. 2.

Anno seqventi Zacharias filius Iojadæ Summi Sacerdotis, qvi optime de Ioascho & toto regno meritus fuerat, Spiritu Dei indutus publice idololatriam taxat, offensis igitur Rege Ioascho & Principibus (ò ingratitudinem maximam!) lapidibus obruitur in ipso templi atrio, jubente Rege. 2. Chron. 24. v. 20. Pæna tamen, qvam Zacharias jamjam expiraturus denunciarat, mox altero anno subseqvitur.

Anno Mundi 3158. *Exitus* 650. T. C. 171. reg Ioas. 40. Syri ascendunt contra Ioaschum, ac pauci numero ingentes ejus copias vincunt, principibusq; populi cæsis, prædam Damascum mittunt. Rex verò Ioas in gravissimo morbo relictus à servis conjurantibus trucidatur, & sepelitur in civitate David, sed non in sepulchris Regum. 2. Chron. 24. v. 23 & seq.

Annò Mundi 3159. *Exitus* 651. reg Amatz. 4 Elisæus in morbum incidit, qvo etiam decessit, Ioas Rex Israel eum invisit, cui flenti Elisæus victoriam contra Syros promittit & certis signis confirmat. Paulò post Elisæus moritur & humatur. Effertur non diu post vir qvidam mortuus suum ad sepulchrum, inopinatò autem irruente prædatoria Moabitarum turmâ, projicitur in sepulchrum Elisæi & mox, cum ejus ossa tangeret, in vitam revocatus surgit. 2. Reg. 13. vers. 14. & seq.

Syrorum Rex Hasael moritur, eiq; filius Benhadad succedit.

Ioas Rex Israel Syros ter prælio vincit & civitates, qvas Hasael ceperat è manu Joahas, recuperat. 2. Reg. 13. v. 24. 25. Amatzia Rex Iehudæ, confirmato jam sibi regno, servos suos, qvi Regem patrem suum occiderant, percutit, filiis tamen eorum juxta legem Mosis parcit. 2. Reg. c. 14. v. 5. 6. 2. Chron. 25. v 3.

Amatzia Edomitis bellum illaturus exercitum ex Iehudâ colligit

git & 100. millia militum ex Israele conducit, sed à Propheta monitus dimittit Israelitas, qvi propterea irâ accensi terminos Iudæ depopulantur. Interim Amatzia Edomitas aggressus 10. millia cædit & 10. virorum millia de fastigio Petræ dejicit, ut omnes disrumperentur. Reversus ab Edomitis Amatzia Deos eorundem adductos sibi Deos constituit ac colit. Castigatur ob id à Prophetâ, sed jubet ipsum silere, ni vapulare velit. 2 Reg. 14. v. 7. & 2. Chron. 25. v 5. ad 17.

Anno Mundi 3169. *Exitus* 661. T. C. 182. reg. Amatz. 14. Ioaschum Regem Israelis maximâ temeritate Amatzia lacessit. Ioas propositâ de Cedro & Carduo fabulâ, ipsum monet, ne ambitione & temeritate sibi & suis malum accersat. Hæc spernens Amatzia in bellum contra Ioaschum progreditur, sed victus capitur, & gravi mulctâ afficitur. Hierosolyma enim magnam partem muris nudatur, templum qvoq; & regia domus diripiuntur & regii filii obsides Samariam abducuntur. 2. Reg. 14. v. 9. ad 15. & 2. Chron. 25. v. 17. ad 25.

Anno Mundi 3170. *Exitus* 662. T. C. 183. reg. Amatz. 15 Ioas Rex Israel 16. anno regni sui moritur & filius ejus Ierobeam succedit & 41. annos regnum administrat. 2. Reg 14. v. 15. 16. & 23. & recuperat terminum Israelis ab aditu Chamathæ usq; ad mare campestrium secundum prædictionem Prophetæ Ionæ v. 25.

Anno Mundi 3184. *Exitus* 676. T. C. 197. Amatzia 29. regni sui anno Lacisum fugâ elapsus à conjuratis capitur, vitâ privatur & Hierosolymamqvis deportatus patrum monumento reconditur. 2. Reg. 14. v. 19. & 20. 2. Chron. 25. v. 27. 28.

Anno Mundi 3196. *Exitus* 688. T. C. 209. Usia vel Azaria post interregnum 11 annorum, jam natus 16. annos, regno Iudæ præficitur 27. anno Ierobeami Regis Israelis. Pietati dum studet, Deo juvante, secunda omnia ipsi accidunt. Clade enim afficit Philisthæos & Arabes. Ammonitæ munera afferunt. Hierosolymam munit & arces ædificat &c. 2. Reg. 15. v. 1. & seq 2. Chron. 26. v. 1. & seq.

Hoseas Propheta ultimis Ierobeami annis officium Propheticum exorditur & eo fungitur temporibus Usiæ, Iotham, Achatz & Hiskiæ Regum Iudæ Hos. 1.

Amos docuit iisdem Ierobeami & Usiæ temporibus. Am. c. 1. 1 Idem statuitur de Ioele, qvem Calvisius censet præcessisse ætate Amosum, idq; non malè colligit ex c. 4. Amos.

Anno

Anno Mundi 3210. *Exitus* 702. T. C. 223. reg. Uſ. 15. Jerobeamus Rex Iſraël moritur functus regno 41. annos,& fuit interregnum in Iſraële 23. fere annorum. Nam filius ejus Zacharias demum regno præeſſe cæpit anno 38. Uſiæ & qvidem circa finem.

Anno Mundi 3233. *Exitus* 725. T. C. 246. reg. Uſ. 38. Zacharias filius Ierobeami & abnepos Iehu Regis Iſraelis, regno Iſraelitico admovetur, idq; adminiſtrat 6. ſaltem menſibus. 2. Reg. 15. v. 8.

Anno Mundi 3234. *Exitus* 726. T. C. 247. reg. Uſ. 39. Sallum filius Jabes Zachariam Regem interimit, & in regno ſuccedit & unicum duntaxat menſem regnat. Menahen namq; à Thirzâ Samariam veniens Sallum cædit & loco ejus regnat. Tiphſachum etiam, qvod portas ei clauſerant, delet & prægnantes diffindit. 2. Reg. 15. verſ. 10. & ſeq.

Phul Rex Aſſyriæ regionem Iſraelitarum bello aggreditur: Menahen verò, ut pacem redimat, & in regno confirmetur, ei dat mille talenta argenti, eaqve, impoſito ſubditis tributo, colligit. 2. Reg. 15. verſ. 19. 20.

Anno Mundi 3239. *Egreſſus* 731. T. C. 252. Uſias, proſperitate antè hac multis annis uſus, anno regni ſui 44. criſtas erigit & templum ingreditur, ut adoleret ſuper altari ſuffitus. Hazaria verò Sacerdos primarius & cum eo Sacerdotes 80. ei reſiſtunt. Cum verò indignaretur Uſia contra Sacerdotes, leprâ percutitur & templo ejectus & in ſemotâ domo habitat leproſus, usq; ad diem mortis, filio interim ejus Jothamo regni habenas gubernante. 2 Chron. 26. v. 16. & ſeq.

Anno Mundi 3245. *Exitus* 737. T. C. 258. reg. Uſ. 50. Mortuo Menahen, cum 10. annos imperium geſſiſſet, ſuccedit filius Pekaja & imperium tenet 2. annos 2. Reg. 15. v. 23.

Anno Mundi 3247. *Exitus* 739. T. C. 260. reg. Uſ. 52. Pekach filius Remaliæ cum aliis conſpirat, atq; Pekachjæ Regi Iſraelis Scomrone in palatio regiæ domus vitam eripit,& loco ejus regnum capeſcit & adminiſtrat 20. annis. 2. Reg. 15. 27.

Eſaias Propheta regio prognatus ſtemmate videt dominum Jehovam in ſolio ſedentem &c. Eſa. c. 6. v. 1. Prophetico munere fungitur ſub Uſià, Iotham, Achas, Ezechia. Eſa. 1.

Anno Mundi 3248. *Exitus* 740. T. C. 261. Moritur Uſia eiq; filius Iotham anno 2. Pekachi filii Remaliæ, ſuccedit & præter eos, qvibus

bus, patre ob lepram ſemoto, rerum ſummam adminiſtraverat, 16. annos regnat 2. Reg. 15. v. 32 Princeps pietatis & juſtitiæ ſtudioſus, ac eapropter & domi felix, & foris formidabilis. Templi porticus, urbisq; Hieroſolymorum mœnia reparat, Ammonitas vincit & tributum ab iis accipit. 2. Chron. 27.

Micha Propheta floret ſub Jotham, Achatz & Hiskia Mich. c. 1.

Anno Mundi 3263. *Exitus* 755. T. C. 276. Jotham moritur eiqve ſuccedit filius Ahas vel Achaz 17. anno Pekachi filii Remaliæ & regnum tenet 16. annos. Rex impius & infelix. Filium qvippe ſuum per ignem transmiſit, & ſacrificavit ſtudioſè & adolevit in excelſis, & in collibus, & ſub omni arbore virente. 2. Reg. c. 16.

Achazo cum ſubditis ob Syrorum & Iſraelitarum conſpirationem maximo metu conſternato Propheta Eſaias liberationem promittit & illorum excidium denunciat. Diffidenti Regi dat optionem ſigni, impiè repudiantem increpat & ſeveriſſima Dei judicia ei comminatur Eſa. c. 7.

Anno Mundi 3264. *Egreſſus* 756. T. C. 277 Rezin Rex Syrorum & Pekach Rex Iſraelis Achazo bellum inferunt, Hieroſolymamq; obſidione cingunt. Qvamvis autem eam expugnare haut potuerint, totā tamen Judæam ferro & igne vaſtant, 120. millia fortium virorum uno die interimunt, 200. millia mulierum & puerorum in captivitatem abducunt, qvos tamen qvidam è primoribus Ephraimitarum, ſuaſu Obed Prophetæ, adduci nolunt, ſed cibo & potu refectos & e prædâ veſtitos in terram Jehudam reducunt. 2. Chron. 28. v 5. ad 16.

Anno Mundi 3265. *Exitus* 757. Achaz Rex Judæ Aſſyriorum Regi Tiglat Phullasſer munera mittit ejusqve auxilium contra Reges Syrorum & Iſraelis implorat.

Edomitæ etiam Jehudam percutiunt & captivos abducunt. Philiſthæi qvoq; civitates qvasdam agri depreſſi capiunt & inhabitant. 2. Chron. 28. v. 17. 18.

Tiglat-pilleſer auſcultans Achazo in Syriam movet & Damaſcum expugnat, Regem Rezin trucidat, & incolas in Kirum deportat: ex regno etiam Iſraelis tribum Naphtali & finitimos in captivitatem abducit. 2. Chron. 28. 2. Reg. 16. & 1. Chron. 6. 26.

Achatz obviam procedit Regi Aſſyriorum Damaſchum & videns ibi altare, mittit ejus ſimilitudinem ad Uriam Sacerdotem primarium, & ju-

& jubet ad exemplar illius Damaſceni Hieroſolymis altare exſtrui. Urias ſepoſitâ divinâ Lege, ſtudioſiſſimè mandatum Regis idololatræ exeqvitur. 2. Reg. 16. v. 10. & ſeq.

Anno Mundi 3267. *Exitus* 759. Achazi 5. qvi eſt 20. à cæpto regno Jothami, Hoſcheah conſpiratione factâ Pekachum filium Remaliæ obtruncat & loco ejus regnat. 2. Reg. 15. v. 30.

Anno Mundi 3273. *Exitus* 765. T. C. 286. Achazi 12. Salmanaſſer Rex Aſſyriorum Hoſcheam bello invadit, qvi viribus impar, ſe ei ſubjicit & tributum promittit. 2. Reg. 17 v. 3. & ab hoc tempore regnat, ut Aſſyriorum tributarius, 9. annos, cum ante 7. annis mero & abſoluto imperio regnaſſet.

Anno Mundi 3277. *Exitus* 769. T. C. 290 Achazi 15. Hiskias filius Achazi circa finem 3. anni Hoſcheæ Regis tributarii, Rex conſtituitur & ad regni gubernacula ſedet 29 annos. 2. Reg 18. v. 1. collato cum v. 9. &. 10. (Confer. part. 2. lib. 1.) Rex valdè pius & patri disſimilimus. Mox enim initio regni ſui ante omnia Religionis repurgationem aggreditur, templum à patre clauſum aperit, eoqꝫ ſacrificiis expiato, divinum cultum ſuæ integritati reſtituit. 2. Chron. 29. v. 1. & ſeq. 2. Reg. 18. v. 1. & ſeq Tribum Juda & reliqvas Iſraelis ad celebrandum Paſcha menſe 2. Hieroſolymam convocat. 2 Chron. 30.

Deinde Hiskia Sacerdotes & Levitas in certos ordines diſpeſcit, & decimas eis dare in cibum jubet. 2. Chron 31.

Anno Mundi 3278. *Exitus* 770. Obiit Achatz. Eſaias etiam Philiſtinis clades Regis Hiskiæ operâ accipiendas prænunciat. Eſa. 14. v. 28.

Anno Mundi 3279. *Exitus* 771. T. C. 292. Hiskias Deo adſpirante felici utitur rerum ſucceſſu. Excudit jugum Aſſyriacum, & cædit Philiſthæos. 2. Reg. 18. v. 7. 8.

Circa hæc tempora tribus Simeon Chamitas & reliqvias Amalekitarum delet & habitat loco eorum. 1. Chron. 5 v. 41. & ſeq.

Anno Mundi 3280. *Exitus* 772. T. C. 293. Hiskiæ 4. Salmanaſſer olfaciens Hoſcheam conſpirare cum Rege Ægyptiorum So, ingenti cum exercitu terram Iſraelitarum petit, ac Samariam obſidet 7. anno Hoſcheæ 2. Reg. 17. v. 4. 5. & c. 18. v. 9.

Anno Mundi 3282. *Exitus* 774. T. C. 295. Hiskiæ. 6. Hoſcheæ 9. Salmanaſſer tandem Samariam expugnat, & exſcindit, populum Iſraeliticum in Medorum colonias miſerabili & perpetuâ ſervitute diſpergit,

spergit, & Regem Hoſcheam carceri includit. 2. Reg. 17. v. 6. & c. 18 verſ. 10. 11.

Anno Mundi 3290. *Exitus* 782. T. C. 303. Hiskiæ 14. Sennacheribus Rex Aſſyriorum infeſto cum exercitu in terram Jehudæ venit anno Sabbatico, qvi ſuperiori anno in תִּשְׁרִי cœperat, & aliqvot munitas urbes occupat. Hiskia pretio cum Rege Aſſyriorum paciſcitur: Hic munus licet accepiſſet, fidem tamen non ſervans, nihilominus per legatos Hiskiam, imò Deum ipſum contumeliis afficit, & populum ad defectionem blaſphemando ſollicitat. Deus per Eſaiam Hiskiæ promittit, irritum fore conſilium Sennacheribi de expugnandis Hieroſolymis & Judæis. Iterum verò comminante & blaſphemante Aſſyrio, eandem promiſſionem repetit, ſigno confirmat & implet.

Miſſo enim Angelo unicâ nocte 185. millia virorum ex hoſtili exercitu Sennacheribi Regis, cædit. 2. Reg. 18. & 19. Eſai. cap. 36. & 37.

Brevi poſt Hiskia ex lethali ulcere decumbit: Deum precatus, ſanitatem & 15. annorum acceſſionem conſeqvitur confirmatus ſigno cæleſti, umbrâ Solis retrogredâ. 2. Reg. 20. & Eſa. c. 37. v. 1. & ſeq.

Anno hoc Ezechiæ 14. cœpit *Jobilæus.*

Anno Mundi 3291. *Exitus* 783. T. C. 304. Hiskiæ 15. Merodachi Regis Babyloniæ legati Ezechiæ munera afferunt, de recuperatâ ſanitate gratulantur, & de prodigio, qvod evenerat, inqvirunt. Hiskia iis magnificè exceptis theſauros ſuos & qvicqvid in eis inveniebatur, oſtendit. Qvâ opum oſtentatione Jehova offenſus, per Eſaiam ei indicat fore, ut ſuo tempore divitiæ hæ, & liberi Regis in Babyloniam traducantur. 2. Reg. c. 20. v. 12. & ſeq. 2. Chron. 32. v. 31. Eſai. 39. v. 1. & ſeq.

Anno Mundi 3294. *Exitus* 786. T. C 307. Hiskiæ 18. Manaſſes filius Ezechiæ naſcitur. Erat enim 12. annorum cum poſt patris obitum regnum adiret. 2. Chron. c. 33. v. 1.

Nahum Propheta circa hæc tempora floret & contra Aſſyriam ejusq; metropolin Niniven prophetat. capitibus 3.

Anno Mundi 3306. *Exitus* 798 T. C. 319. Ezechias vel Hiskia elapſo 29. regni anno moritur, & ſuccedit ei Manaſſes filius natus jam 12. annos. 2. Reg. 21. 2. Chron. c. 33. Princeps primis regni annis omnium Regum Judæ maximè impius. Etenim excelſa & aras à pa-

tre

tre Hiskia destructas restituit, lucos plantavit, &, in curvando se toti exercitui cœlorum, coluit ea, altaria eis ædificavit, in duobus atriis domus Dei, sculptilia luci, qvæ paraverat, in templo Domini collocavit. Filium per ignem traduxit, præstigiisq; & conjectationibus usus est, instituit pythones & ariolos, innoxio sangvine Hierosolymam inundavit, etiam à Prophetis, ob peccata eum reprehendentibus, cruentas manus non abstinuit. Itaq; fecit Manasses, ut aberraret Jehuda & habitatores Hierosolymorum faciendo malum amplius, qvam gentes, qvas perdiderat Jehova â conspectu Israelitarum. Qvamobrem adduxit contra eum Jehova Principes exercitus Assyriaci וַיִּלְכְּדוּ אֶת־מְנַשֶּׁה בַּחוֹחִים & ceperunt (deprehenderunt) Manassem in spinis (vel vepribus, in qvas, versans in agro, prædatoriis illis copiis irruentibus, se occultarat) & vinctum Chalybeis duobus vinculis deduxerunt in Babyloniam. Ubi cum angustiâ afficeretur, deprecatus est faciem Jehovæ, depressitq; se valdè. Exaudivit itaq; Deus deprecationem ejus & Hierosolymam in regnum suum cum reduxit. Qvare jam agnoscens Jehovam esse Deum, pietati se totum dedit, profanatum à se templum expiavit, idola & aras demolitus est, & Deum Israelis deinceps sanctè coluit, &, ut populus idem faceret, summo studio incubuit. 2. Chron. c. 33.

Anno Mundi 3361. *Exitus* 853. T.C. 375. Manasses, postqvam regnarat 55. annos, moritur & in horto domus suæ sepelitur. 2. Reg. 21. v. 8. 2. Chron. c. 33. v. 20. Ammon filius ejus 22. annos natus succedit. Idololatriam, qvam pater ejus Manasses calamitatibus captivitatis & carceris correctus destruxerat, instaurat, secutus parentem transgredientem, non verò resipiscentem.

Anno Mundi 3363. *Exitus* 855. Contra Ammonem servi ejus conspirant eumq; morte afficiunt post biennii regnum. Josias filius ejus à populo, qvi interfectores Regis Ammonis trucidarat constituitur Rex & patris successor, puer licet esset 8. annorum. 2. Reg. 21. v. 23. & seq. & c. 22. v. 1. 2. Princeps pietate post Davidem nemini secundus. Veræ enim religionis exstitit diligentissimus cultor, & accerrimus idololatriæ & superstitionis hostis & ultor.

Anno Mundi 3370. *Exitus* 862. T. C. 384. Josias regni sui 8. puer 16. annorum cæpit qværere Deum, hoc est, veram religionem indagare & pietatis studio se exercere.

Anno Mundi 3374. *Exitus* 866. T. C. 388. Josias cæpit mundare Jehudam & Jerusalem ab excelsis, lucis, sculptilibus & fusilibus. Demolitur qvippe altaria Bahalimorum & lucos, sculptilia & fusilia confringit & comminuit, & in superficiem sepulchrorum, qvi sacrificaverant in eis, spargit. Ossa verò Sacerdotum super altaribus illorum combussit. 2. Chron. 34. v. 5. & seq.

Anno Mundi 3375. *Egressus* 867. T. C. 389. Josiæ 13. Jeremias Propheta ministerium suum orditur. Jer. c. 25. v. 3. In suæ gentis vitia acerrimè invehitur, excidium urbis Hierosolymorum, captivitatemqve apertissimè prædicit, & numerum 70. annorum determinat. Ideo Reges, Principes, Pontifices & Sacerdotes vehementer ipsi adversantur. Vix ullus Prophetarum plus malorum in suo populo vidit, plus odiorum & certaminum, curarum & laborum sustinuit. Docet circiter 50. annos. Σύγχρονος ei fuit Zephanjas Propheta.

Anno Mundi 3380. *Exitus* 872. T. C. 394. Josias Rex Judæ templum reparat: authenticum Mosis αὐτόγραφον legis volumen Chilkia Pontifex in templo inventum Regi mittit. Rex ejus lectione perculsus, Deum consulit, auditq; responsum, se mortuo regnum Judaicum excisum iri. 2. Reg. 22. v. 3. & seq.

Josias cum toto populo in domo Dei fœdus cum Deo renovat, templum & regnum ab idololatriâ penitus repurgat, idololatriæ authores castigat, & Jerobeamo primo Israelitarum prædicta complet. Deindè Pascha solemnissimè celebrat, & qvidem tantâ magnificentiâ, qvâ à Samuelis Prophetæ temporibus non erat celebratum. 2. Reg. c. 23. & 2. Chron. c. 34. & 35.

Anno Mundi 3394. *Exitus* 886. T. C. 408. Josias Ægyptiorum Regem Pharaonem Necho, in Assyrios iturum, bello temerè aggreditur, & in ipso prælio ad urbem Megiddo, sagittâ ictus & graviter vulneratus, Hierosolymam reportatur, & post regni 31 annorum administrationem cum acerbissimo omnium piorum luctu moritur in fine סִיוָן vel mensis tertii. Succedit filius ejus Joahas à populo unctus & Rex loco patris defuncti constitutus, & regnat 3. menses videlicet תַּמּוּז אָב אֱלוּל Pharao Ægypti Rex eum regno movet, & vinctum in Ægyptum abducit, ubi moritur. Substituit verò ei Elia Kimum filium Josiæ natu majorem, eumq; Jojakimum transnominat, idqve

exeunte אֱלוּל vel mense 6. 2. Reg. 23. v. 29. & seq. & 2. Chron. 36. v. 1. & seq.

Jeremias primo hoc Jojakimi anno urbi Hierosolymorum excidium denunciat, atq; ideircò à Sacerdotibus & Pseudoprophetis ad capitale supplicium rapitur, sed, cùm placidè & prudenter se excusaret, à Principibus absolvitur: allegatur etiam à qvibusdam è Senioribus exemplum Michææ, qvi Hiskiæ temporibus vastationem Hierosolymis prædixerat, neq; tamen ob id morte fuerat deletus. Urias verò Propheta æqvè ac Jeremias urbi & genti Judaicæ interitum comminatur, sed à Rege Jojakimo ad necem qværitur, & ex Ægypto, qvo profugerat, retractus occiditur. Jer. c. 26.

Qvo tempore Habakuk prophetarit, diversæ sunt doctorum opiniones: vero valdè est simile primis Jojakimi annis Prophetico functum munere.

Anno Mundi 3398. *Exitus* 890. T. C. 412. Nebucadnezar 4. Jojakimi, qvi præcedenti anno M. 3397. &c. cæperat, ad finem ferè currente, regnum Babylonicum administrare cæpit, & qvidem in exordio ferè אָב vel mensis 5 ac contra Pharaonem Necho exercitum ducit, ejusq; copias juxta flumen Euphratis ad Carcemiscum percutit. Jer. 46.

Propheta Jeremias in templi atrio Judæis inobedientiam objicit, & Nebucadnezaris Regis Babel adventum & 70. annorum captivitatem prædicit, judicia qvoq; Dei in alias gentes & Babylonios tandem prænunciat c. 25. Idem anno eodem à Deo mandatum accipit, ut libro inscribat omnia verba θεόπνευστα. Barucum igitur accersit, qvi ex ore ejus in volumine scribit c. 36. v. 1. ad 5.

Jehova Barucum severissimis comminationibus consternatum infirmitatis reprehendit, & promissione vitæ confirmat per Jeremiam. c. 45. Hoc eodem anno Jeremias etiam vaticinatus est contra Philisthinos c. 47. v. 1. & seq. Moabitas c. 48. Ammonitas, c. 49. v. 1. & seq. Eodem v. 7. & seq. Damascum. v. 23. Kedar & Hazor. v. 28. & seq.

Baruch anno 5 Jojakimi, in כִּסְלֵו vel mense 9. in domo Jehovæ die jejunii audientibus omnibus Iehudæis, qvi è civitatibus suis Hierosolymam venerant, legit in libro verba & vaticinia Ieremiæ. Principes Barucum advocant, legentem audiunt, &, ut cum Ieremiâ se ab-

se abscondat, monent. Rex Iojakim prælecta verba è Principibus audiens, mittit allatum librum, eumq; cum folia tria aut qvatuor lecta essent, cultello scriptorio dissecat, & in ignem projectum comburit. Jeremias denuò à Deo jussus vaticinia priora de urbis & terræ vastitate, & populi captivitate per Baruchum alii inscribit volumini, & plura etiam addit. Ieremiæ c. 36. v. 5. & seq.

Anno Mundi 3401. *Exitus* 893. T. C. 415. Iojakimi. 8. Nebucadnezar tandem in Judæam venit, & Iojakimum ad serviendum & tributum pendendum cogit. 2. Reg. 24. v. 1.

Anno Mundi 3404. *Exitus* 896. T. C. 418. Iojakim cum tribus annis tributum persolvisset, aversus rebellat. Venit igitur Nebucadnezar cum turmis Chaldæorum, & turmis Syrorum, & turmis Moabitarum, & turmis Ammonitarum, qvæ Iudæam perdunt, & Regem Iojakimum capiunt, catenisq; vinctum ducunt ad Regem Babel in אָב vel mense 5. regni, anno ejus regni 7. desinente, ut transportaretur Babylonem, unà cum 3025. Iudæis, qvos inter Daniel & reliqui regii pueri fuere, qvi Babylonem pervenientes in Scholam Chaldæorum traduntur, & treennii spatio in omni sapientiâ informantur. Abducta etiam tum sunt ex instrumentis domus Ichovæ, & templo Nebucadnezaris in Babyloniâ illata. 2. Reg. 24. v. 2. & 2. Chron. 36. v. 6. 7. Dan. 1. v. 1. 2. 3. & Ierem 52. v. 28. Ezechiel. 19. v. 8. 9. Cum verò Iojakim in itinere moreretur, asini eum sepulturâ sepelierunt. Ier. c. 22. v. 18. 19. hoc est, æstui diurno et gelu nocturno abjiciunt. Ier. c. 36. vers. 30.

Succedit ei Iehojachin et regnat tres menses et 10. dies, videl. תשרי / אלול / אב & in מַרְחֶשְׁוָן vel mense 8. Babylonem transfertur. Anno enim vertente, hoc est, circa æqvinoctium autumnale (vernale enim hic intelligi neqvit) ascendit Nebucadnezaris exercitus, & Hierosolymam obsidet. Cum autem et postmodum ipse Rex Nebucadnezar veniret, Iehojachin cum matre et optimatibus egreditur, et se ei dedidit. Rex Babel eum cum maximâ parte thesaurorum ex domo Dei et Regis, et non parvo captivorum, inter qvos et fuit Ezechiel Propheta, numero in Babyloniam abducit, et loco ejus Zedekiam Regem facit in מַרְחֶשְׁוָן vel mense 8. 2. Reg. 24. v. 10. ad 18. et 2. Chron. 36. v. 9. et 10. Ezech. 1. v. 2. Atq; hinc Ezechiel Propheta

capti-

captivitatis Babylonicæ 70. annos numerat suo in libro, qvos & ab anno abducti Jechoniæ numerandos esse l. 1. demonstratum est.

Anno Mundi 3406. *Exi.* 898. T.C. 420. mense 5. primi Zedekiæ (qvi erat 4. septimanæ annalis) legatos Regum Edomitarum, Moabitarum, Ammonitarum, Tyriorum & Sidoniorum, qvi Hierosolymam venerant, conspirationem juncto fœdere inituri contra Nebucadnezarem, Jeremias Propheta, vinculis & jugo collo suo impositis, ab ejusmodi machinamento dehortatur, cum Jehova exercituum Deus Israelis velit, ut omnes Nebucadnezari subjiciantur & serviant. Qvamobrem & præfatis Regibus per hosce eorum legatos vincula & juga mittit, & monet, ut collum suum indant jugo Regis Babyloniæ eiq; obseqvium præbeant, ni velint gladio, fame & peste perire. Præterea Regem Zedekiam omnesq; ordines Judæorum ad Babylonii obseqvium provocat, &, ne Pseudoprophetis suis credant, sedulò hortatur. Hananias verò ei adversarius prædicit, jugum Nebucadnezaris fractum, & intra biennium & vasa & Jechoniam Hierosolymam reductum iri. Cum verò Jeremias eum refelleret, Pseudopropheta in eum irruit & jugum, qvod gestabat confringit. Qvapropter Jeremias à Deo jussus jugum ferreum conficit, gestat & Hananiæ mortem prædicit, qvod & mense 7. ita evenit. Jer. c. 27. & 28.

Circa hæc tempora existimant scriptam epistolam illam Jeremiæ ad eos, qvi cum Jechoniâ in Babyloniam abducti erant, qvâ hortatur eos, u domos sibi ædificent, hortos plantent, uxores ducant, libros gignant & pacem regni Babylonici qværant. Nec enim eos tam cito Hierosolymam reversuros, ut falsi Prophetæ eis persvadere conabantur; Sed demum elapsis 70. annis. Pseudopropheta Semejas è Babyloniâ literas mittit Hierosolymam ad universum populum & Sacerdotes, & Dei nomen mentitus, Zephaniam Sacerdotem præcipuum reprehendit, qvod Jeremiam carceri non incluserit. Jeremias verò ei rescribit, fore ut in Babyloniâ cum totâ suâ generatione extinguatur. Jer. 29.

Deus Jeremiæ typo duorum calathorum ficubus plenorum monstrat, se cum Iechoniâ deportatos suo tempore reducturum &c. Zedekiam verò, Principes ejus & residuum Hierosolymorum expositurum commotioni in malum, opprobrio, dicterio & maledictioni. Ierem. c. 24.

Anno Mundi 3408. *Exitus* 900. T. C. 422. Daniel & reliqvi pueri, exacto triennio, in אלון praeterpropter Regi Nebucadnezari sistuntur & ab eodem examinantur. Daniel, Sadrach, Mesech & Abednego præcellunt, ac eapropter in ministerium aulicum asciscuntur. Dan. 1.

Ieremias 4. Zedekiæ anno Babyloniis severissimum Dei judicium denunciat, eosq; ac urbem Babylonem per Medos & Persas pessundatum iri prædicit, & vaticinium hoc libro inscriptum Babylonem mittit per Principem Serajam illuc proficiscentem, jubetq;, ut inibi in publico prælegatur, & posteà in Euphratem abjiciatur. Ier. 50 & 51.

Anno Mundi 3410. *Exitus* 902. T. C. 424. qvi est 5. Zedekiæ & à deportatione Iechoniæ, & 30. Nabopollasari patris Nebucadnezaris, mense 4. die 5. Ezechiel suæ prophetiæ initium facit. Ezech. cap. 1. v. 1. & seq.

Anno Mundi 3411. *Exitus* 903. T. C 425. Zedekiæ & captivitatis Babylonicæ 6. die 5. mensis 6. Ezechieli Deus in visione sceleratissimam Iudæorum, qvi in Iudæà adhuc erant, idololatriam ostendit, ac deinde supplicia propter illam eventura Ezech. 8 & 9. & 10. &. 11.

Nebucadnezar, qvi præcedenti anno, parente Nabopollassero decedente, solus jam rerum fuerat potitus, hoc secundo imperii sui absoluti anno in somno videt magnificam & terribilem imaginem 4. Monarchias repræsentantem. Qvod ipsum somnium cum ei e[x]cidisset, nec ullus Chaldæorum Sapientium indicare posset, solus Daniel ex divinâ revelatione invenit & Regi exponit, atqve icciircò maximis honoribus & donariis mactatus Babyloniæ præficitur. Dan. c. 2. Brevi post Daniel ab ipso Deo sanctissimis viris Noacho & Iobo æqviparatur. Ezech. 14. v. 14. & 16. & 20.

Hoc eodem anno Zedekias fidem Nebucadnezari datam, & juramento firmatam frangit, & cum Rege Ægyptiorum de auxiliis contra Nebucadnezarem paciscitur. Ezech. 17. v. 15. 18.

Aurea statua hoc vel seqventi anno (ut conjicire licet) à Nebucadnezare erigitur, eiq; divini honores ab omnibus exhiberi jubentur. Tres socii Danielis id facere detrectant, & propterea ab irato Rege in fornacem ignis accensam conjiciuntur. Videns autem Rex eos in medio ignis illæsos ambulare, perturbatus evocat, & cum ignem nihil

nihil prorsus in eos dominatum animadverteret, verum Deum collaudat,& ne ab illo nomen ejus blasphemetur, seriò cavet. Dan.c.3.

Anno Mundi 3412. *Exitus* 904. T. C. 426 Zedekiæ & captivitatis B 7. die 10. mensis 5. Ezechiel senioribus Deum consulentibus, objicit hypocrisin & obstinatam malitiam, & interminatur pœnas: deinde abducti populi reductionem & divini cultus instaurationem promittit. c. 20.

Anno Mundi 3413. *Exitus* 905. T. C. 427. C. B. 9. Nebucadnezar die 10. mensis 10. Hierosolymam obsidione cingit 2. Reg. 25. v. 1. & seq. Ier. c. 39. v. 1. & c. 52. v. 4. Ezech. 24. v. 1. 2.

Anno Mundi 3414. *Exitus* 906. T. C. 428. C. B. 10. Ezechiel contra Pharaonem Regem Ægypti vaticinatur, idq; die 10. אֲדָר vel mensis 12. Ezech. c. 29. v. 1. & seq.

Anno Mundi 3415. *Exitus* 907. T. C. 429. In תִּשְׁרִי vel mense 7. die 10. indicitur Sabbaticus annus & servitia manumittuntur. Interim Pharao ex Ægypto cum exercitu egreditur Iudæis auxilium laturus. Nebucadnezar hoc audiens, obsidionem solvit, & Pharaoni obviam proficiscitnr. Iudæi itaq; opinantes, omni se defunctos periculo, servitia revocant; Ieremias verò eos propterea graviter reprehendit. c. 34. Zedekiæ etiam legatis ex Dei ore denunciat, Nebucadnezarem, pulso Pharaone, ad obsidionem urbis rediturum eamq; expugnaturum c. 37. v. 1. ad v. 11. Conatur hic cum Beniaminitis & tribulibus domum remeantibus Hierosolymis exire, sed comprehenditur & cæsus à Principibus in carcerem, qvem ex domo Ionathanis, ut ex Ebræo textu patet, fecerant, detruditur, in qvo non paucos dies manet. Intereà Chaldæi repulso Pharaone ad urbis obsessionem revertuntur. Liberatur Ieremias ex duro illo Ionathanis carcere à Rege Zedekiâ, & in atrio custodiæ, qvæ erat in domo Regis Iehudæ asservatur Ier. 37. v. 11. & seq. Emit ibi agrum à cognato suo à Deo jussus, idq; anno adhuc 10. Zedekiæ & 18. Nebucadnezaris Ier c. 32. Eodem adhuc anno 10. Propheta denuò Hiesolymorum excidium &c. prædicit, ut & populi ex Babylonicâ captivitate reductionem &c. in primis Messiam, germen Davidis justum &c. c. 33.

Anno 11. Zedekiæ & C. B. Propheta Ieremias cum in atrio custodiæ populo de urbis excidio concionaretur, abiratis Principibus in

foveam

foveam luti conjicitur. Ebedmelech Ethiops pro Ieremiâ apud Regem Zedekiam intercedit, & ejus permissione illum inde extractum in atrium custodiæ reducit. Paulò post Rex Ieremiam consulit, qvi ei svadet, ut Hierosolymis egrediatur, & se Principibus Regis Babel dedat, ni velit urbem exuri, & ipse perire. Ier. c. 38.

Anno Mundi 3416. *Exitus* 908. Zedekiæ & C. B. 11. die 1. mensis 1. concionatur Ezechiel contra Tyrum c. 26. & 27. & 28. & contra Sidonem. c. 28. v. 20. & seq.

Die 7. prædicti mensis vaticinatur contra Sidonem c. 30. v. 20. Et mense 3. die 1. contra eandem c. 31. v. 1.

Mense 4. dicto תמוז die 9. Hierosolyma expugnatur. Zedekia fugit, sed retractus ad Regem Babyloniæ Riblam in terrâ Chamathæ deducitur. Fert ibi de eo Nebucadnezar sententiam, & filios & Principes ejus jugulat, eumqve excæcat, & in vinculis postmodum Babylonem deportat.

Die 7. אב vel mensis 5. Nebusar-adan Hierosolymam ingreditur. 2. Reg. 25. v. 3. & die 10. templum, (anno 430. ex qvo fuerat ædificari cæptum) & regiam, & ædes omnes igne cremat, turres & mænia destruit. 2. Reg. 25. v. 4 & seq. & Ier. c. 52 v. 12. & seq. ac populum ibi residuum captivum Babylonem abducit anno Nebucadnezaris 18. completo Ier. c. 52. vers. 29 & inchoato 19. Ierem. cap. 52 v. 12. & 2. Reg. 25. v. 11.

Gedolia in תִּשְׁרִי vel mense 7. (die 3. utpote qvo Iudæi ejus interitum lugent) reliqviarum Iudaicarum in Palæstinâ à Nebucadnezare constitutus præfectus una cum Iudæis & Chaldæis, qvi ipsi aderant, ab Ismaele perfidissimè interimitur, reliqvi capiuntur, &, ut ad Ammonitas deportentur, abducuntur. Audiens hoc Iochanan & omnes Principes copiarum Ismaeli occurrunt, contra eum pugnaturi, sed Ismael, dilapsis ad Iochanan captivis Iudæis, evadit & ad Ammonitas abit. Ier. 40. & 41.

Iochanan omnesq; tum duces tum populus à Ieremiâ petunt, ut Deum consulat, qvid ipsis faciendum? Post 10. dies Ieremias à Deo edoctus eis respondet, in Iudæâ si mansuri sint, securè & feliciter habitaturos, sin verò in Ægyptum perrexerint, pessimè ibi omnes interituros. Sed illi superbè & protervè Prophetæ obloqvuntur, & apertis

tis verbis obseqvium denegant, imò mox in Ægyptum tendunt, ac Jeremiam & Baruchum vel maximè invitos secum trahunt. c. 42. & 43. Jeremias jam in Ægypto degens Babylonios venturos & Ægyptum perdituros prædicit. c. 43. v. 8. & seq.

Circa hoc tempus præterpropter probabile est floruisse & prophetasse Obadjam.

Die 5. טֵבֵת vel mensis 10. anni hujus 12. à deportatione Jechoniæ, Ezechie, Propheta, ex qvodam, qvi in expugnatione Hierosolymorum evaserat, intelligit ejus expugnationem & exidium. Ezech. c. 33. v. 21.

Die 1. אֲדָר vel mensis 12. Ezechiel Propheta à Deo jussus contra Pharaonem lamentationem profert, eâq; excidium & Regis & regni Ægyptiaci adumbrat Ezech. c. 32. v. 1. ad 17.

Die 15. ejusdem mensis Propheta hic luget Ægyptios, eisq; fore prædicit, ut ad inferos descendant, & aliis præputiatis associentur. Ezech. c 32. v. 17. & seq.

Duodecimo hoc & seqventi anno putant Moabitas & Edomitas &c. à Nebucadnezare devictos.

Anno Mundi 3420. *Exitus* 912. Captivitas Babylonicæ 16. Nebusar-adan à Nebucadnezare Rege Babyloniæ anno 23. regni ejus in Judæam missus reliqvias Judæorum, homines 745. in Babyloniam transportat. Jer. c. 52. v. 30.

Anno Mundi 3429. *Exitus* 921. C. B. 25. Ezechiel in visione in terram Israelis 14. anno post urbem & templum exustum, die 10. mensis 1. deducitur, monstraturq; ei ibidem spiritualis Hierosolyma. Ezech. 40. & seq.

Anno Mundi 3431. *Exitus* 923. C. B. 27. die 1. mensis 1. Deus cum Ezechiele loqvens, Nebucadnezarem ejusq; milites laboriosissimâ & longâ (13. enim annos durasse, Philostratus apud Josephum, l. 10. Antiq. c. 11. in fine, testatur) Tyri obsidione, refert, operæ precium non fecisse: Dare se igitur eis Ægyptum, ut ex hujus spoliis & prædâ dignam sibi capiant mercedem. Eze. c. 29. v. 17. & seq. Jubet deinde, ut vaticinetur contra Ægyptum & Æthiopiam c. 30. v. 1. ad 20.

Anno Mundi 3432. *Egressus* 924. C. B. 28. Nebucadnezar ex Ægypto, qvam occuparat, reversus, ac in amplissimum gloriæ fastigi-

um evectus, cum insolesceret, divinitus immisso somnio de arbore exscindendâ, perterretur. Daniel id ipsum interpretatur, eoq; significari, ait, Regem Nebucadnezarem de summâ gloriâ in abjectissimam brutorum sortem detrusum iri, donec Deum agnoscat, & ejus beneficentiâ restituatur Dan. c. 4. v. 4. ad 28.

Anno Mundi 3433. *Exitus* 925. Captivitatis Babylonicæ 29. Nebucadnezari, exactis à prædicto somnio. 12. mensibus, in palatio suo Babylone obambulanti, & mentis fastum fastoso sermone proferenti indicitur clarissimis verbis de throno regio ad bestias abjectio 7. annos duratura, ac mox eadem horâ in effectum deducitur.

Anno Mundi 3440. *Exitus* 932. Nebucadnezar in regnum restituitur & publico diplomate Deum laudat Dan. 4. v. 33. 34.

Anno Mundi 3441. *Exitus* 933. C. B. 37. Evilmerodach mortuo patri Nebucadnezari succedit, & 1. regni anno, die. 27. mensis 12. Jechoniam è carcere liberat, & solium ejus ponit supra solium Regum, qvi secum Babylone erant, eumq; liberaliter sustentat omnibus diebus vitæ ejus. Jer. 52. v. 31. & seq. 2. Reg. 25. v. 37.

Anno Mundi 3459. *Exitus* 951. C. B. 55. defuncto Evilmerodacho filius ejus & Nebucadnezaris nepos Belsazar regnare cæpit.

Primo hujus Belsazaris anno Danieli in somnio imagine 4. bestiarum ostenditur series Monarchiarum Dan. 17. v. 1. & seq.

Anno Mundi 3461. *Exitus* 953. C. B. 57. Belsazaris. 3. Deus Danieli visione arietis & capri figurat, & mox verbis explicat futuram constitutionem regni Persici, Macedonici, & Seleucidarum, & calamitates Ecclesiæ Judaicæ obventuras per Antiochum Epiphanem Dan. c. 8.

Anno Mundi 3473. *Exitus* 965. Captivitatis Babylonicæ 69. Deus ad finem decurrentibus 70. captivitatis annis Babylonios visitat. Jer. 25. v. 12. Cyrus namq; contra Babylonem tendit, eamq; profligatis, quæ indè secum confligere ausi fuerant, copiis, obsidet, ac tandem in signi stratagemate, Euphrate in fossam derivato, occupat brevi post Solstitium æstivum in festo Σακεῶν solemni, cum tota urbs nocte totâ commessationibus & choreis dedita esset. Eodem tempore & Babyloniorum Rex Belsazar à Cyri militibus trucidatur. Cum enim is cum purpuratis & pellicibus, suis helluans vasis sacris domus Dei allatis abuteretur, verumq; Deum calumniâ, suos verò Deastros

lau-

laudibus afficeret, digiti è pariete egrediuntur & parieti qvicqvam inſcribentes ingenti Regem omnesqve convivas terrore percellunt. Accerſuntur itaq; Chaldæi, ut ſcripturam illam legant, & interpretentur; ſed cum ne legere qvidem poſſent, Reginæ Senioris monita Daniel adducitur, qvi inducto Nebucadnezaris exemplo, Belſazarem redarguit, ſcripturam legit, & judicium Dei de interitu Regis & Monarchiæ eà ſignificari exponit, qvod & mox בֵּהּ בְּלֵילְיָא eàdem nocte, expugnatâ urbe & Rege interempto, impleri cæpit. Dan. c. 5. Eſa. cap. 21. verſ. 2. Jerem. cap. 51. verſ. 39. 40. 41. Herod. l. 1. ex Xenoph. in Pædia Cyr. l. 7. Captâ hunc in modum Babylone, Cyrus ſocero ſuo Dario ſeni 62. annorum regnum Babylonicum ſponte concedit Dan. c. 6. v. 1. & qvæ adhuc reſtabant, occupatum progreditur, ut poſt verè dicere potuerit: Dominus cæli omni regna mihi dedit. Eſr. c. 1. v. 2.

Daniel ad maximos honores evehitur, & non longè poſt invidiâ procerum in lacum leonum abjicitur, ſed divinitus ſervatur. Videns hoc Darius Rex, Danielem educit, & ejus accuſatores leonibus objicit, edictumq; de reverendo Deo Danielis promulgat Dan. cap. 6. Primo hoc Darii anno Danieli liberationem populi Iudaici calidiſſimis precibus efflagitanti, Gabriel Archangelus eandem mox futuram prædicit & de 70. ſeptimanis differit Dan. c. 9.

Anno Mundi 3475. *Exit.* 967. Cyrus Seniore Dario decedente, regnum ad ſe recipit, & 1. Babylonici imperii anno Iudæis publico diplomate in patriam remeandi, urbemq; & templum inſtaurandi facultatem largitur. 2. Chron. 36. v. 22. & Eſr. c. 1. v. 1.

Anno Mundi 3476. *Exitu* 968. Cyri 2. Iudæi numero 42360. cum ſervis & ancillis 7337. lætis animis iter ingrediuntur, in Palæſtinam perveniunt & civitates ſuas occupant Eſr. c. 2.

Menſe 7. unanimiter Hieroſolymam conveniunt, altare extruunt & ſacrificiorum uſum revocant. Eſr. c. 3. v. 1, 2, 3. Die 15. præfati menſis feſtum tabernaculorum celebrare incipiunt v. 4. Deinde materia & opificibus ædificando templo proſpiciunt v. 7.

Anno Mundi 3477. Reditus ex Babylone 2. Cyri 3. menſe primo die 24. Danieli Prophetæ, cum in luctu 3. ſeptimanis fuiſſet, Angelus apparet, eumq; bis confirmatum Dan. c. 10. informat de Regibus Perſicis, de Alexandro Magno & ſucceſſoribus ejus, Ægypti & Syriæ

Vv 2 Regi-

Regibus, de Antiochi Epiphanis rebus gerendis, tyrannide erga Dei populum, & piorum constantiâ, ac sub Antiochi personâ de Anti Christo cap. 11. de mortuorum resurrectione & novissimis seculis cap. 12.

Mense 2. Levitas operi præficiunt & fundamenta templi jaciunt, lætante & Deum collaudante maximâ populi parte, senioribus verò, qvi primum templum viderant, amare flentibus. Esræ c. 3. v. 8 & seq. Paulò post à Cuthæis vicinis Judæorum hostibus ab ædificando deterrentur ut opus intermittant omnibus diebus Cyri Cambysis, & Smerdis usq; ad regnum Darii Hystaspis Esr. c. 4.

Anno Mundi 3484. Red. ex B. 9. Darii Hystaspis. 1. Judæi ad ædificationis opus redeunt inq; eo pergunt 35. annis.

Anno Mundi 3519. R. ex Bab. 44. Darii 36. Judæi in principio regni Ahasveri vel Xerxis, cum vivente adhuc Dario patre Ægyptios ad jugum reducturo, successor regni vel Rex declararetur, à Chuthæis accusantur, & ab opere cessare coguntur.

Anno Mundi 3521. R. 46. Xerxes vel Ahasverus convivium illud longè celeberrimum instituit & 185 diebus agitat, sub cujus exitum Reginam Vaschtin cum coronâ, eximjam ejus venustatem populis & Principibus ostensurus advocat, renuentem verò ex fastu venire, de consilio procerum regno & thalamo abdicat, promulgatâ lege, ut omnes fœminæ honorem viris suis à maximo ad minimum tribuant. Esth. cap. 1.

Anno Mundi 3525. Reditus ex Babylone 50. Esther in thalamum Ahasueri mense 10. ineunte anno 7. ex qvo Rex à patre erat declaratus, 6. verò ex qvo patri defuncto successerat, adducitur, omnibusq; virginibus prælata Regina constituitur.

Mardochai conspirationem aulicorum Bigthan & Theresch in Regem Ahasverum olfaciens per Esteram Regi indicat. Qvæstione igitur habitâ, & re deprehensâ, rei suspenduntur, & conspiratio & indicium ejus Chronicorum annalibus coram Rege inscribitur cap 2. v 21. & seq.

Anno Mundi 3529. R. 54. Ahasveri 11. 10. Haman ad summos in aula Ahasveri honores elatus ab omnibus regiis servis adorari jubetur. Hoc cum Mardochæus facere nollet, nec cultum ferè divinum impio homini deferre vellet, Haman ei toti Judæorum genti exidium machina-

chinatus, à Rege impetrat potestatem omnes Judæos exstirpandi.

Anno Mundi 3530. R. 55. Ahaſ. 12. 11. projicitur pur, id est, sors coram Hamane, qvi dies cædi Judæorum foret destinandus, primo mense de die in diem & de mense in mensem & tandem indicatur 12. dies Adar vel mensis 12.

Die 13. mensis primi vel Nisan edictum nomine Regis scribitur & obsignatur, Susis publicè affigitur, & ad omnes regios præfectos & Principes mittitur, ut 12. die Adar Iudæos omnes, tum viros, tum fœminas, tum seniores, tum pueros trucident. c. 3.

Mardochæus cognito Regis edicto vestimenta sua lacerat, & cilicio indutus exit gravissimè lamentans per civitatem usq; ad portam Regis, & Reginæ Estheræ mittenti qværitum luctus tanti causas, significat Hamanis machinamentum, regiiq; diplomatis exemplum Reginæ ministro tradit, ac eam seriò adhortatur, ut pro Judæis Regem deprecetur. Ipsa tandem se id facturam, suæ etiam vitæ periculo, pollicetur, ac Judæis degentibus Susis triduanum jejunium indici jubet qvod & ipsa suis cum ancillis celebrat c. 4.

Esther regio induta ornatu pro Judæis intercessura, ad Regem se confert, ac obtinens gratiam eum cum Hamane ad convivium invitat, & uenientem excipit die 22. mensis 3. Cum Rex vino hilarior ab eâ expeteret, ut petitionem explicaret, illa, ut & seqventi die cum Hamane, sibi, ni grave, conviva esse dignetur, rogat. Tunc enim se juxta Regis verbum facturam, hoc est, postulatum & petitionem suam denudaturam. Haman animo lætus egreditur, sed cum ne tunc qvidem Mardochæus ei assurgeret, nec adoratione veneraretur, æstu completus, se domum deportat, & ex consilio uxoris & amicorum patibulum erigit, de qvo Judæus ille ante proximum Reginæ convivium suspendatur, ut ita lætus interesse possit c. 5. Sed longè aliter evenit. Ahasverus enim fugiente per noctem somno, jubet afferri annales, ac sibi prælegi. Cumq; legeretur, Bigthanem & Thereschum qvæsivisse manum afferre Regi, & hoc à Mardochæo indicatum fuisse, Rex, audito, nihil honoris & magnificentiæ Mardochæo propter hoc collatum, Hamanem, qvi à Rege licentiam suspendendi Mardochæi petitum venerat, ingredi jubet & interrogat, qvid faciendum viro illi, cujus honore Rex delectatur? Haman, se huic destinatum honoris augmento opinatus, respondet, regio indumento virum illum, regiaq;

coronâ exornatum, & regio, per principem qvendam Regis, eqvo impositum per plateas urbis esse deducendum, & coram eo proclamandum: Ita faciendum est viro isti, cujus honore Rex delectatur. Approbato Ahasverus consilio jubet Hamanem festinanter illud omnibus observatis probè exseqvi. Regi obsecutus Haman consternato animo domum contendit, suisq; qvid sibi obvenerit tristis annunciat; sed illi longè tristioris eventus hoc initium esse, haut frustrà conjiciunt. cap. 6.

Ahasverus altero in convivio lætus vino Estheram urget, ut petitum vel tandem aperiat. Illa humillimè sibi & populo suo vitam & incolumitatem dari petit, & Hamanem qværenti Regi sangvinolenti consilii authorem subjicit. Ira Rex effervescens in hortum egreditur, & mox regressus jubet Hamanem suspendi ex patibulo, qvod Mardochæo paraverat, die 23. Adar c. 7. Ahasverus Estheræ domo Hamanis datâ Mardochæum ad ingentes honores provehit, præterea deprecanti Estheræ & Mardochæo concedit, ut genti suæ, cum Scriptura nomine Regis scripta, & regio annulo obsignata, irrevocabilis esset, alio, qvocunq; modo possint, consulant.

Anno Mundi 3531. Reditus ex Babylonia 56. Ahasveri 13. 12. die 23. סיון sive mensis 3. novum edictum nomine Regis conscribitur & sigillo ejus firmatur, qvo indicatur, Regem Judæis ubivis concedere, ut se die ab Hamane constituto contra hostes tueantur, eos perimant & spolia eorum prædentur c. 8.

Judæi die 13. Adar, qvo ex consilio Hamanis occidendi erant, se tutantur, & multos hostium neci tradunt. Idem faciunt etiam die 14. Adar indulgentiâ Regis. Qvare Mardochæus festum solemne binis diebus, qvos Purim vocant, qvotannis instituit celebrandum, qvod & Regina Esther confirmat c. 9.

Anno Mundi 3533. R. 58. Ahasveri 15. 14. Judæi, animadvertentes Mardochæi potentiam & authoritatem hostibus suis terrorem injecisse, ad templi instaurationem revertuntur, laborantq; dum Xerxes vel Ahasverus vivit, & paulò amplius.

Anno Mundi 3540. R. 65. Artaxerxis Longimani. 1. Judæorum hostes toparchæ trans Euphratem occasione Ægyptiacæ defectionis Judæos accusant, & nacti regium edictum Hierosolymam proficiscuntur, & armatâ manu ædificationem inhibent. Esr. c. 4. v. 7. & seq.

Anno

Anno Mundi 3582. R. 107. Darii Nothi 2. menſe 6. die 1. Haggæus Propheta Spiritu S. impulſus negligentiam Iudæorum in extruendo templo reprehendit, & ad repetendam diu intermiſſam ædificationem exhortatur, qvi Deo obtemperantes ad opus redeunt die 24. dicti menſis ſexti. Eſr. c. 4. Hag. 1. v. 3.

Præfecti Regis Perſarum, Thathnai princeps trans flumen & Schetha-Botznai cum collegio ſuo Hieroſolymam veniunt, & qværunt ex Iudæis, qvis ipſis ædificandi jus conceſſerit, reſpondent illi, feciſſe id Cyrum &c. Audito eô; Regi Dario id ipſum ſcripto ſignificant, rogantq;, ut edictum Cyri inveſtigari curet, & qvid ab ipſis hac in re fieri velit, reſcribat Eſr. c. 5.

Menſe 7. die 1. Deus per Haggæum promittit ſecundi hujus templi gloriam futuram majorem, qvam qvæ fuerit prioris Hag. 2.

Menſe 8. Zacharias Propheta munus ſuum orditur & populum ad continuandum ædificationem extimulat c. 1.

Menſe 9. die 24. Haggæus nomine Dei promittit agrorum fertilitatem Hag. c. 2.

Menſe 11. die 24. Zacharias videt in viſione eqvos inter myrta, Angelum intercesſorem, 4. cornua & 4. fabros Zach 1. Virum cum menſorio funiculo c. 2. Ioſuam coram Chriſto & Satanam adverſantem cap. 3. candelabrum aureum & duas oleas utrinq; ſitas &c. cap. 4. Volumen volans & mulierem in Epha ſedentem cap. 5. Qvadrigas 4. egredientes in orbem c. 6.

Darius Rex Cyri edicto poſt longam inqviſitionem demum Athmethæ vel Ecbatanis Mediæ invento & perlecto, miniſtris ſuis vetat, ne deinceps Iudæis in reſtaurando templo impedimento ſint, demandat præterea, ut de facultatibus regiis, de canone transfluviali, ilicò impenſæ tradantur viris illis, ut & ea, qvæ ad ſacrificia & cultum Dei neceſſaria erunt parare poſſint, & contravenientibus ultimum ſupplicium denunciat. Et ita, id præſtantibus illis, ædificatio procedit &c. Eſr. c 6.

Anno Mundi 3584. Reditus ex Babyloniâ 109. Darii 4. Mēſe 9. Deus per Zachariam Iudæis, an ulterius lugendum & Iejunandum, ut ante, ob tēplum everſum, fecerant, qværentibus reſpondet, ſibi non fuiſſe jejunatum, fruſtranea etiam eſſe jejunia, ni pietati, veritati, & juſtitiæ ſtudeatur Zach. 7. Subjungit promiſſionem fore ut, ſi ſanctimoniæ

operam

operam ſint daturi, jejunia in gaudium & lætitiam mutentur. c. 8. Coacervat prætereà varia vaticinia, utpote degentium ſupplicio, eorum converſione, & de Meſſia ſuper aſino adventuro c. 9. de progresſu Evangelii, & ſeductorum pœna c. 10. de templi excidio, de cura paſtoris Chriſti & de 30. argenteis, qvibus eum erant æſtimaturi c. 11. de Eccleſiæ pernicie, de piorū defenſione, de effuſione Spiritus gratiæ & precum &c. de impiis Chriſtum confoſſum aſpecturis & deplorature c. 12. de fonte contra peccata, de idolorum & Pſeudoprophetarū extirpatione, de gladio contra Paſtorem &c. de duarum tertiarum eradicatione & unius tertiæ conſervatione & probatione cap. 13. de excidio Hieroſolymæ & Iudææ, Chriſti aſcenſione, propagatione Evangelii per orbem, de perſecutorum oppreſſione & gentium vocatione c. 14.

Anno Mundi 3586. R. 111. Darii 6. ineunte, menſe 12. die 3. templum Zorobabele Duce & Ioſua ſummo Sacerdote abſolvitur & deinde initiatur Eſr. c. 7. v. 14. & ſeq.

Anno Mundi 3587. R. 112. die 14. Niſan anni 6. Darii, Paſcha à toto populo celebratur v. 19. & ſeq.

Anno Mundi 3606. R. 131. Artaxerxis Mnemonis 7. ex qvo à Patre Rex & ſucceſſor declaratus, 6. verò, ex qvo patri mortuo ſucceſſit, Eſra Hieroſolymam profecturus iter ingreditur comitatus viris mille & qvingentis ferè, menſe 1. die 12. & Hieroſolymam menſe 5 die 1. pervenit. Eſr. c. 7. v. 1. & ſeq. Die 4. res Deo conſecratas in theſaurum reponit, ſacrificia Deo offert, & qvæ in domo Dei & divino cultu deſiderari videbantur, ſummo ſtudio perficit c. 8. Deindè certior factus Iſraelitas cum exteris matrimonia contraxiſſe, vehementer conturbatur, luget itaq;, jejunat & Dei iram pro omnibus ſedulò deprecatur c. 9. Deniq; populum Dei à conſvetudine alienigenarum repurgat. cap. 10.

Anno Mundi 3619. R. 144 Artaxerxis 20 Nehemia Artaxerxis pincerna menſe 9. Suſis accepto nuncio de minus ſecundo Judæorum in Palæſtinâ ſtatu, lugens & jejunans Deum orat, ut dimiſſis populo peccatis, conſiliis ſuis faveat Nech. c. 1.

Anno Mundi 3620. R. 144. Menſe primo Nehemia Regi qværenti triſtitiæ cauſas exponit, nimirum Hieroſolymam locum paternorum ſepulchrorum etiamnum vaſtatam & portas igni conſumtas manêre, atq; ab eo dimiſſionem in Iudæâm & facultatem urbis inſtaurandæ im-

dæ impetrat. Literis igitur & comitatu instructus Hierosolymam ingreditur, & paucis elapsis diebus mæniorum reparationem ordititur Pontifice Eliasabo c. 2. & 3.

Hostes cæptam murorum instaurationem primò ludificantur & subsannant, cum verò succedere animadvertunt, consilium ineunt vi opus subitò interturbandi. Hoc ubi odoratur Nehemia, preces ad Deum fundit, & institutâ militari disciplinâ vim vi repellere parat. Ita divinitus hostium frustrantur molimina, & Judæi ad murum regrediuntur, & operi strenue incumbunt c. 4.

Notetur hic versu 14. c. 14. Nehemiæ legi: eos qvi ædificabant & qvi ferebant onus cum onerantibus, unâ manu suâ in opere egisse, alterâ verò tenuisse arma. Hoc qvomodo intelligendum qværi potest? Nunqvam, ut crederem potui adduci, structores murorum non nisi unâ manu ædificasse, altera verò missilia arma tenuisse, ut vulgò à qvibusdam explicantur. Hoc enim modo 1. sibimet ipsis impedimento fuissent moramq; objecissent, & vix ac ne vix qvidem opus dextrè expediissent. Nec 2. qvicqvam ex textu afferri potest, qvod ejusmodi explicationem cogat. Puto igitur rectius hæc intelligi de operarum distributione, qvod pars operi incubuerit, pars verò armata steterit in omnem eventum parata. Facit 1. huc, qvod v. 16. de ministris Nehemiæ expressè dicatur, partem eorum tenuisse arma, partem verò in opere laborasse. 2. qvod v. 21. c. 4. ipse Nehemia se videatur ita explicare. Dicit enim: Sic faciebamus opus; dum eorum pars tenebat spicula ab ascensu auroræ usq; ad exortum stellarum. 3. Favet & huic opinioni v. 10. Ubi dicunt Judæi, debilitata est vis bajulorum & pulveris multum superest: nos autem non prævalituri essemus ædificando murum, hoc est, si omnium operæ in labore structuræ consumerentur, ut rectè explicat Jun. & Inter. Belg. & Vinari.

Obj 1. Ipsa verba v. 17. c. 4. hunc sensum importare. Resp. vox יָד non semper notat partem illam humani corporis &c. sed qvandoqve etiam γενικῶς partem cujusq; rei, cui attribuitur. Ita accipitur extra omne dubium Gen. 43. v. 34. & c. 47. v. 24. 2. Sam. 19. v. 43. Imò & in ipso Nehemiâ c. 11 v 1. significatio, qvam ante ei attribuimus, occurrit. Præsenti autem loco eandem significationem obtinêre, suprà positæ rationes svadent. Regeris: ipsos ædificantes in dicto

 versu

versu 17. asseri ita laborasse, ut alterâ suâ manu opus fecerint, alterâ verò missilia tenuerint. Resp. omnes ædificabant non semper, sed alternatim. Modò hæc pars laborabat, altera verò arma tenebat, præter gladium. Eo enim omnes etiam qvi actu operi incumbebant, erant accincti v. 18. Deinde qvi antè arma tractarant & excubias egerant, opus aggrediebantur, & qvi laborarant, ab opere qviescebant & excubiis erant intenti Cum ergo Nehemia dicit: ædificantes &c. unâ manu suâ laborasse &c hoc vult: ædificationi murorum destinatos & alternatim vel successivè actu ædificantes, unâ suâ parte laborasse, alterâ verò armatos excubiis operam dedisse.

Obj. 2. versus 15 Ubi dicitur consilio hostium annihilato, omnes revertisse ad laborem. Resp Dicitur omnes revertisse ad murum & qvemq; ad opus suum, qvod nobis non contrariatur. Ante omnes ab opere restaurationis ob hostium metum destiterant, postmodum intelligentes Deum hostium consilia irrita fecisse, omnes revertuntur ad murum, qvisq; ad opus suum, nimirum ut post explicatur, alternatim laboraturi & excubias acturi.

Nehemia onera servitutis, æris alieni, bonorum oppignorationis, qvibus populum pauperiorem ditiores avarè premebant, tollit: Ipse etiam de jure suo remittens cibarium Principis non comedit, sed de suo vixit & aliis communicavit c. 5.

Vi externâ cum non auderent Judæorum hostes, insidiis rem aggrediuntur, & non uno modo remoras operi objectare, faventibus eis Pseudoprophetis & falsis fratribus, moliuntur; sed Nehemia DEO fisus pergit intrepidus, ac tandem die 20. Elul vel mensis 6. muros absolvit spatio 52. dierum, ut omnes inimici circumjacentes obstupescerent & à Deo opus confectum agnoscerent c. 6.

Officia domus Dei Nehemias recognoscit, urbi præsides constituit, custodiasq; ordinat: & conventu habito Israelitas reduces recenset, ad urbem incolis muniendum, qvi omnes munera Deo offerunt cap. 7.

Mense 7. die 1. congregato populo verbum Dei prælegitur & explicatur: flentes lætari jubentur. Festum tabernaculorum indicitur, & die 15. summo studio celebrari cæpit c. 8.

Die 24. dicti mensis populus publicè pœnitentiam agit, & per

Levitas

Levitas Dei gratiam genti Judaicæ ab Abrahamo usq; exhibitam deprædicat, patrum peccata confitetur, justitiam Dei agnoscit, suamq; calamitatem exponit c. 9.

Fœdere cum Deo renovato & obsignato sese ad divinæ legis & cultus observantiam obligant c. 10. Sorte eliguntur, qvi ad augendum incolarum numerum Hierosolymis habitent, reliqvis in suas possessiones commigrantibus c. 11.

Muri totius urbis cum cantu dedicantur c. 12. v. 27. & seq. & qvæstores sacri seliguntur v. 44. & seq.

Anno Mundi 3631. R. 156. Artaxerxis 31. Nechemia in Babyloniam ad Regem revertitur, & post paucos dies potestatem Hierosolymam remeandi accipit.

Reversus Hierosolymam defectus qvosdam partim se absente subortos corrigit, videlicet Ammonitas & Moabitas separando, instrumenta Tobiæ è cubiculo, qvod ei Eliasib in atriis domus Dei paraverat, exturbando, Levitis & Musicis portionem, qvæ ipsis fuerat denegata, exhibendo, Sabbati violationem prohibendo, matrimonia cum alienigenis contracta & verberibus & diris proseqvendo &c. c. 13.

Qvo tempore Malachias Prophetarum V. T. ultimus præcisè prophetarit, certò ostendi vix poterit. Vero consonum videtur, vixisse eum circa hæc ipsa tempora & prophetiam edidisse. Nec enim agit vel de urbe restauranda, vel templo extruendo &c. sed iis restitutis, severe reprehendit ingratitudinem totius populi, Sacerdotum negligentiam, & nefarias divini cultus profanationes, populiqve non unis generis delicta.

Anno Mundi 3818. R. 343. Seleucidarum 125. Seleucus Philopator dictus regnum capescit eiq; præest 12. annis.

Hierosolymam Reges gentiles ob divinarum legum observantiam honorant & missis muneribus decorant, ipse etiam Seleucus de reditibus suis suppeditat sumptus ad ministeria sacrificiorum publica pertinentes 2. Maccab. c. 3 v. 1. 2. 3.

Simon templi præfectus Appollonio Cælesyriæ & Phæniciæ gubernator refert, Gazophilacium Hierosolymis pecuniâ plusqvam abundare. Hoc cum Regi Seleuco innotesceret, Heliodorum cum copiis Hierosolymam ablegat, pecuniam inde ablatum, sed Heliodorus eventu hoc frustratus, non divitias, sed plagas domum ad Regem reportat. Ibidem.

Anno Mundi 3830. R. 355. Sel. 137. Antiochus vocatus Epiphanes init regnum idq; 12. annos administrat. 1. Macc. 1. v. 11.

Huic Jason 300. talenta offert, ut Oniâ fratre semoto ipse loco ejus Pontifex constituatur, cui Antiochus acqviescit. Jason Pontificatum adeptus suos tribules ad Græcos ritus traducit. 2. Maccab. c. 4.

Anno Mundi 3831. R. 356. S. 138. Antiochus ex Apollonio, qvem in Ægyptum ablegarat, intelligens Ptolomæum à se aversum, id igitur agit, ut se confirmet, ac Ioppen venit & inde Hierosolymam, ubi magnificè excipitur v. 21. & 22.

Anno Mundi 3834. R. 359. S. 141. Jason prædicti Simonis fratrem Oniam, qvi se Menelaum vocari malebat, ad Regem Antiochum mittit cum pecunia & donis; sed hic Regi assentatur & 300. talenta se Jasonis tributo additurum pollicitus summum Sacerdotium ad se transfert. Ita Jason Sacerdotium iisdem artibus amittit, qvibus ante fratrem Oniam eo exuerat. 2. Macc. c. 4. v. 23 & seq.

Anno Mundi 3835. R. 360. S. 142. Menelaus Pontifex maximus, cum debitum tributum solvere non posset, Pontificatu excidit & Lysimachus loco ejus Sacerdotio donatur. Aufert itaq; Menelaus qvædam aurea vasa templi, iisq; Andronico datis, Sacerdotium recuperat & eundem monet, ut Oniam interficiat. Qvi astu ipsum ex asylo Daphnes propè Antiochiam elicitum confodit. Sed Antiochus è Ciliciâ reversus Andronicum propterea honore & deniq; vitâ privat.

Lysimachus conscio Menelao multa facit sacrilegia. Populus igitur contra ipsum tumultuatur eumq;, 3000. viris, qvos contra armarat, profligatis, propè gazophylacium interimit. 2. Macc. c. 4. v. 39. & seq.

Menelaum dein coram Rege Tyri, qvo is venerat per 3. legatos accusant. Verum Rex Antiochus svasu Ptolomæi aulici, à Menelao pecuniâ corrupti, accusatores morti adjudicat, absoluto reo cap. 4 v. 43. & seq

Anno M. 3836. R. 361. Seleucidarum 143. Antiochus Ægyptum ingreditur & Ptolomæum Regem prælio vincit, ac civitates munitas occupat & præsidiq munit. Interim Jason, falso rumore de morte Antiochi increbescente, Hierosolymam inopinatò occupat, &, Menelao in arcem confugiente, civium cædes non parvas facit, nec ulli parcit. Cum nihilominus principatum obtinere non posset, cum dedecore

pessi-

pessimus suorum tribulium latro & homicida in terram Ammonitarum aufugit 2. Macc. 5. v. 1. & seq.

Antiochus de tumultibus hisce in Ægypto certior factus, ac veritus, ne Judæa tota deficiat, irato animo in Judæam regreditur, Hierosolymam occupat, Sanctum Sanctorum superbè ingreditur, & auream mensam, candelabrum, mensam panum propositionis, & prætereà 80. millia hominum, totidem vendit & 40. millia abducit 1. Macc. 1. & 2. Macc. c. 5.

Anno Mundi 3838. R. 363 S. 145. Olympiadis 153. anno primo Antiochus Apollonium magno cum exercitu Hierosolymam mittit. Hic cum pacem simularet, intromissus, multis cæsis, urbem diripit & incendit, domos & muros diruit, & abducit mulieres captivas & jumenta rapit, civitatem David muris & turribus circumdat & munit & præsidio impiorum hominum firmat, qvi inde pessima qvæq; contra Hierosolymam & locum sanctum perpetrant. Ablegat prætereà senem Antiochenum, qvi populum Judaicum ad sacra gentilia cogat. Profanatur igitur templum die 15. כִּסְלֵו vel mensis 9. & Jovis Olympii nominatur, exuruntur sacra Biblia, nova altaria eriguntur, ac profana sacrificia Græcorum more offeruntur. Multi hisce calamitatibus fracti à divina Lege decidunt; qvi verò constantes in verâ religione permanent, partim variis cruciatibus necantur, inter qvos fuit Eleazarus, qvo de 2. Macc. 6. & Mater illa cum filiis suis 7. de qvibus c. 7. partim verò civitatibus suis egressi in locis desertis se continent, & numero aucti religionem & se tutari audent. Horum primus divinæ Legis defendendæ autor Matathias Judæum in omnium oculis in arâ Modonis secundum præceptum Antiochi sacrificaturum, ex Zelo divino jugulat, mox etiam regium præfectum, qvi alios sacrificare cogebat, interficit, altare destruit, & cum suis urbe egreditur ad montana, multi etiam pii cum uxoribus & liberis domos suos deserunt & desertum petunt. 1. Macc. 2. Jos. l. 12. Antiq. c 7.

Matathias jam moriturus suos filios multis cohortatur ad defendendam Legem & fœdus majorum, atq; ita obdormiscit 1. Macc. c. 2. v. 49. & seq.

Judas dictus Maccabæus patri succedens ubicunq; potest & hostes & Judæos, qvi ad gentes defecerant, carpit. Apollonius magnum

Regibus, de Antiochi Epiphanis rebus gerendis, tyrannide erga Dei populum, & piorum constantiâ, ac sub Antiochi personâ de Anti Christo cap. 11. de mortuorum resurrectione & novissimis seculis cap. 12.

Mense 2. Levitas operi præficiunt & fundamenta templi jaciunt, lætante & Deum collaudante maximâ populi parte, senioribus verò, qvi primum templum viderant, amare flentibús. Esræ c. 3. v. 8 & seq. Paulò post à Cuthæis vicinis Iudæorum hostibus ab ædificando deterrentur ut opus intermittant omnibus diebus Cyri Cambysis, & Smerdis usq; ad regnum Darii Hystaspis Esr. c. 4.

Anno Mundi 3484. Red. ex B. 9. Darii Hystaspis. 1. Judæi ad ædificationis opus redeunt inq; eo pergunt 35. annis.

Anno Mundi 3519. R. ex Bab. 44. Darii 36. Iudæi in principio regni Ahasveri vel Xerxis, cum vivente adhuc Dario patre Ægyptios ad jugum reducturo, successor regni vel Rex declararetur, à Chuthæis accusantur, & ab opere cessare coguntur.

Anno Mundi 3521. R. 46. Xerxes vel Ahasverus convivium illud longè celeberrimum instituit & 185 diebus agitat, sub cujus exitum Reginam Vaschtin cum coronâ, eximjam ejus venustatem populis & Principibus ostensurus, advocat, renuentèm verò ex fastu venire, de consilio procerum regno & thalamo abdicat, promulgatâ lege, ut omnes fœminæ honorem viris suis à maximo ad minimum tribuant. Esth. cap. 1.

Anno Mundi 3525. Reditus ex Babylone 50. Esther in thalamum Ahasueri mense 10. ineunte anno 7. ex qvo Rex à patre erat declaratus, 6. verò ex qvo patri defuncto successerat, adducitur, omnibusq; virginibus prælata Regina constituitur.

Mardochai conspirationem aulicorum Bigthan & Theresch in Regem Ahasverum olfaciens per Esteram Regi indicat. Qvæstione igitur habitâ, & re deprehensâ, rei suspenduntur, & conspiratio & indicium ejus Chronicorum annalibus coram Rege inscribitur cap. 2. v 21. & seq.

Anno Mundi 3529. R. 54. Ahasveri 11. 10. Haman ad summos in aula Ahasveri honores elatus ab omnibus regiis servis adorari jubetur. Hoc cum Mardochæus facere nollet, nec cultum ferè divinum impio homini deferre vellet, Haman ei toti Iudæorum genti exidium machina-

chinatus, à Rege impetrat potestatem omnes Judæos exstirpandi.

Anno Mundi 3530. R. 55. Ahaf. 12. 11. projicitur pur, id est, sors coram Hamane, qvi dies cædi Judæorum foret destinandus, primo mense de die in diem & de mense in mensem & tandem indicatur 12. dies Adar vel mensis 12.

Die 13. mensis primi vel Nisan edictum nomine Regis scribitur & obsignatur, Susis publicè affigitur, & ad omnes regios præfectos & Principes mittitur, ut 12. die Adar Iudæos omnes, tum viros, tum fœminas, tum seniores, tum pueros trucident. c. 3.

Mardochæus cognito Regis edicto vestimenta sua lacerat, & cilicio indutus exit gravissimè lametans per civitatem usq; ad portam Regis, & Reginæ Estheræ mittenti qvæsitum luctus tanti causas, significat Hamanis machinamentum, regiiq; diplomatis exemplum Reginæ ministro tradit, ac eam seriò adhortatur, ut pro Judæis Regem deprecetur. Ipsa tandem se id facturam, suæ etiam vitæ periculo, pollicetur, ac Judæis degentibus Susis triduanum jejunium indici jubet qvod & ipsa suis cum ancillis celebrat c. 4.

Esther regio induta ornatu pro Judæis intercessura, ad Regem se confert, ac obtinens gratiam eum cum Hamane ad convivium invitat, & uenientem excipit die 22. mensis 3. Cum Rex vino hilarior ab eâ expeteret, ut petitionem explicaret, illa, ut & seqventi die cum Hamane, sibi, ni grave, conviva esse dignetur, rogat. Tunc enim se juxta Regis verbum facturam, hoc est, postulatum & petitionem suam denudaturam. Haman animo lætus egreditur, sed cum ne tunc qvidem Mardochæus ei assurgeret, nec adoratione veneraretur, æstu completus, se domum deportat, & ex consilio uxoris & amicorum patibulum erigit, de qvo Judæus ille ante proximum Reginæ convivium suspendatur, ut ita lætus interesse possit c. 5. Sed longè aliter evenit. Ahasverus enim fugiente per noctem somno, jubet afferri annales, ac sibi prælegi. Cumq; legeretur, Bigthanem & Thereschum qvæsivisse manum afferre Regi, & hoc à Mardochæo indicatum fuisse, Rex, audito, nihil honoris & magnificentiæ Mardochæo propter hoc collatum, Hamanem, qvi à Rege licentiam suspendendi Mardochæi petitum venerat, ingredi jubet & interrogat, qvid faciendum viro illi, cujus honore Rex delectatur? Haman, se huic destinatum honoris augmento opinatus, respondet, regio indumento virum illum, regiaq;

Anno Mundi 3582. R. 107. Darii Nothi 2. mense 6. die 1. Haggæus Propheta Spiritu S. impulsus negligentiam Iudæorum in extruendo templo reprehendit, & ad repetendam diu intermissam ædificationem exhortatur, qvi Deo obtemperantes ad opus redeunt die 24. dicti mensis sexti. Esr. c. 4. Hag. 1. v. 3.

Præfecti Regis Persarum, Thathnai princeps trans flumen & Schetha-Borznai cum collegio suo Hierosolymam veniunt, & qværunt ex Iudæis, qvis ipsis ædificandi jus concesserit, respondent illi, fecisse id Cyrum &c. Audito eo; Regi Dario id ipsum scripto significant, rogantq;, ut edictum Cyri investigari curet, & qvid ab ipsis hac in re fieri velit, rescribat Esr. c. 5.

Mense 7. die 1. Deus per Haggæum promittit secundi hujus templi gloriam futuram majorem, qvam qvæ fuerit prioris Hag. 2.

Mense 8. Zacharias Propheta munus suum orditur & populum ad continuandum ædificationem extimulat c. 1.

Mense 9. die 24. Haggæus nomine Dei promittit agrorum fertilitatem Hag. c. 2.

Mense 11. die 24. Zacharias videt in visione eqvos inter myrta, Angelum intercessorem, 4. cornua & 4. fabros Zach 1. Virum cum mensorio funiculo c. 2. Iosuam coram Christo & Satanam adversantem cap. 3. candelabrum aureum & duas oleas utrinq; sitas &c. cap. 4. Volumen volans & mulierem in Epha sedentem cap. 5. Qvadrigas 4. egredientes in orbem c. 6.

Darius Rex Cyri edicto post longam inqvisitionem demum Athmethæ vel Ecbatanis Mediæ invento & perlecto, ministris suis vetat, ne deinceps Iudæis in restaurando templo impedimento sint, demandat præterea, ut de facultatibus regiis, de canone transfluviali, ilicò impensæ tradantur viris illis, ut & ea, qvæ ad sacrificia & cultum Dei necessaria erunt parare possint, & contravenientibus ultimum supplicium denunciat. Et ita, id præstantibus illis, ædificatio procedit &c. Esr. c 6.

Anno Mundi 3584. Reditus ex Babyloniâ 109. Darii 4. Mẽse 9. Deus per Zachariam Iudæis, an ulterius lugendum & Iejunandum, ut ante, ob tẽplum eversum, fecerant, qværentibus respondet, sibi non fuisse jejunatum, frustranea etiam esse jejunia, ni pietati, veritati, & justitiæ studeatur Zach. 7. Subjungit promissionem fore ut, si sanctimoniæ

operam

operam ſint daturi, jejunia in gaudium & lætitiam mutentur. c. 8. Coacervat præterea varia vaticinia, utpote degentium ſupplicio, eorum converſione, & de Meſſia ſuper aſino adventuro c. 9. de progresſu Evangelii, & ſeductorum pœna c. 10. de templi excidio, de cura paſtoris Chriſti & de 30. argenteis, qvibus eum erant æſtimaturi c. 11. de Eccleſiæ pernicie, de piorū defenſione, de effuſione Spiritus gratiæ & precum &c. de impiis Chriſtum confoſſum aſpecturis & deploraturis c. 12. de fonte contra peccata, de idolorum & Pſeudoprophetarū extirpatione, de gladio contra Paſtorem &c. de duarum tertiarum eradicatione & unius tertiæ conſervatione & probatione cap. 13. de excidio Hieroſolymæ & Iudææ, Chriſti aſcenſione, propagatione Evangelii per orbem, de perſecutorum oppreſſione & gentium vocatione c. 14.

Anno Mundi 3586. R. 111. Darii 6. ineunte, menſe 12. die 3. templum Zorobabele Duce & Ioſua ſummo Sacerdote abſolvitur & deinde initiatur Eſr. c. 7. v. 14. & ſeq.

Anno Mundi 3587. R. 112. die 14. Niſan anni 6. Darii, Paſcha à toto populo celebratur v. 19. & ſeq.

Anno Mundi 3606. R. 131. Artaxerxis Mnemonis 7. ex qvo à Patre Rex & ſucceſſor declaratus, 6. verò, ex qvo patri mortuo ſucceſſit, Eſra Hieroſolymam profecturus iter ingreditur comitatus viris mille & qvingentis ferè, menſe 1. die 12. & Hieroſolymam menſe 5. die 1. pervenit. Eſr. c. 7. v. 1. & ſeq. Die 4. res Deo conſecratas in theſaurum reponit, ſacrificia Deo offert, & qvæ in domo Dei & divino cultu deſiderari videbantur, ſummo ſtudio perficit c. 8. Deindè certior factus Iſraelitas cum exteris matrimonia contraxiſſe, vehementer conturbatur, luget itaq;, jejunat & Dei iram pro omnibus ſedulò deprecatur c. 9. Deniq; populum Dei à conſvetudine alienigenarum repurgat. cap. 10.

Anno Mundi 3619. R. 144 Artaxerxis 20 Nehemia Artaxerxis pincerna menſe 9. Suſis accepto nuncio de minus ſecundo Judæorum in Palæſtinâ ſtatu, lugens & jejunans Deum orat, ut dimiſſis populo peccatis, conſiliis ſuis faveat Nech. c. 1.

Anno Mundi 3620. R. 144. Menſe primo Nehemia Regi qværenti triſtitiæ cauſas exponit, nimirum Hieroſolymam locum paternorum ſepulchrorum etiamnum vaſtatam & portas igni conſumtas manere, atq; ab eo dimiſſionem in Iudæam & facultatem urbis inſtaurandæ im-

dæ impetrat. Literis igitur & comitatu instructus Hierosolymam ingreditur, & paucis elapsis diebus mœniorum reparationem orditur Pontifice Eliasabo c. 2. & 3.

Hostes cœptam murorum instaurationem primò ludificantur & subsannant, cum verò succedere animadvertunt, consilium ineunt vi opus subitò interturbandi. Hoc ubi odoratur Nehemia, preces ad Deum fundit, & institutâ militari disciplinâ vim vi repellere parat. Ita divinitus hostium frustrantur molimina, & Judæi ad murum regrediuntur, & operi strenuè incumbunt c. 4.

Notetur hic versu 14. c. 14. Nehemiæ legi: *eos qvi ædificabant & qvi ferebant onus cum onerantibus, unâ manu suâ in opere egisse, alterâ verò tenuisse arma.* Hoc qvomodo intelligendum qværi potest? Nunqvam, ut crederem potui adduci, structores murorum non nisi unâ manu ædificasse, altera verò missilia arma tenuisse, ut vulgò à qvibusdam explicantur. Hoc enim modo 1. sibimet ipsis impedimento fuissent moramq; objecissent, & vix ac ne vix qvidem opus dextrè expediissent. Nec 2. qvicqvam ex textu afferri potest, qvod ejusmodi explicationem cogat. Puto igitur rectius hæc intelligi de operarum distributione, qvod pars operi incubuerit, pars verò armata steterit in omnem eventum parata. Facit 1. huc, qvod v. 16. de ministris Nehemiæ expresse dicatur, partem eorum tenuisse arma, partem verò in opere laborasse. 2. qvod v. 21. c. 4. ipse Nehemia se videatur ita explicare. Dicit enim: Sic faciebamus opus; dum eorum pars tenebat spicula ab ascensu auroræ usq; ad exortum stellarum. 3. Favet & huic opinioni v. 10. Ubi dicunt Judæi, debilitata est vis bajulorum & pulveris multum superest: nos autem non prævalituri essemus ædificando murum, hoc est, si omnium operæ in labore structuræ consumerentur, ut rectè explicat Jun. & Inter. Belg. & Vinari.

Obj 1. Ipsa verba v. 17. c. 4. hunc sensum importare. Resp. vox יָד non semper notat partem illam humani corporis &c. sed qvandoqve etiam γενικῶς partem cujusq; rei, cui attribuitur. Ita accipitur extra omne dubium Gen. 43. v. 34. & c. 47. v. 24. 2. Sam. 19. v. 43. Imò & in ipso Nehemiâ c. 11 v 1. significatio, qvam ante ei attribuimus, occurrit. Præsenti autem loco eandem significationem obtinere, suprà positæ rationes svadent. Regeris: ipsos ædificantes in dicto

versu 17. asseri ita laborasse, ut alterâ suâ manu opus fecerint, alterâ verò missilia tenuerint. Resp. omnes ædificabant non semper, sed alternatim. Modò hæc pars laborabat, altera verò arma tenebat, præter gladium. Eo enim omnes etiam qvi actu operi incumbebant, erant accincti v. 18. Deinde qvi antè arma tractarant & excubias egerant, opus aggrediebantur, & qvi laborarant, ab opere qviescebant & excubiis erant intenti Cum ergo Nehemia dicit: ædificantes &c. unâ manu suâ laborasse &c hoc vult: ædificationi murorum destinatos & alternatim vel successivè actu ædificantes, unâ suâ parte laborasse, alterâ verò armatos excubiis operam dedisse.

Obj. 2. versus 15 Ubi dicitur consilio hostium annihilato, omnes revertisse ad laborem. Resp Dicitur omnes reverfisse ad murum & qvemq; ad opus suum, qvod nobis non contrariatur. Ante omnes ab opere restaurationis ob hostium metum destiterant, postmodum intelligentes Deum hostium consilia irrita fecisse, omnes revertuntur ad murum, qvisq; ad opus suum, nimirum ut post explicatur, alternatim laboraturi & excubias acturi.

Nehemia onera servitutis, æris alieni, bonorum oppignorationis, qvibus populum pauperiorem ditiores avarè premebant, tollit: Ipse etiam de jure suo remittens cibarium Principis non comedit, sed de suo vixit & aliis communicavit c. 5.

Vi externâ cum non auderent Judæorum hostes, insidiis rem aggrediuntur, & non uno modo remoras operi objectare, faventibus eis Pseudoprophetis & falsis fratribus, moliuntur; sed Nehemia DEO fisus pergit intrepidus, ac tandem die 20. Elul vel mensis 6. muros absolvit spatio 52. dierum, ut omnes inimici circumjacentes obstupescerent & à Deo opus confectum agnoscerent c. 6.

Officia domus Dei Nehemias recognoscit, urbi præsides constituit, custodiasq; ordinat: & conventu habito Israelitas reduces recenset, ad urbem incolis muniendum, qvi omnes munera Deo offerunt cap. 7.

Mense 7. die 1. congregato populo verbum Dei prælegitur & explicatur: flentes lætari jubentur. Festum tabernaculorum indicitur, & die 15. summo studio celebrari cœpit c. 8.

Die 24. dicti mensis populus publicè pœnitentiam agit, & per

Levitas

Levitas Dei gratiam genti Judaicæ ab Abrahamo usq; exhibitam deprædicat, patrum peccata confitetur, justitiam Dei agnoscit, suamq; calamitatem exponit c. 9.

Fœdere cum Deo renovato & obsignato sese ad divinæ legis & cultus observantiam obsigant c. 10. Sorte eliguntur, qvi ad augendum incolarum numerum Hierosolymis habitent, reliqvis in suas possessiones commigrantibus c. 11.

Muri totius urbis cum cantu dedicantur c. 12. v. 27. & seq. & qvæstores sacri seliguntur v. 44. & seq.

Anno Mundi 3631. R. 156. Artaxerxis 32. Nechemia in Babyloniam ad Regem revertitur, & post paucos dies potestatem Hierosolymam remeandi accipit.

Reversus Hierosolymam defectus qvosdam partim se absente subortos corrigit, videlicet Ammonitas & Moabitas separando, instrumenta Tobiæ è cubiculo, qvod ei Eliasib in atriis domus Dei paraverat, exturbando, Levitis & Musicis portionem, qvæ ipsis fuerat denegata, exhibendo, Sabbati violationem prohibendo, matrimonia cum alienigenis contracta & verberibus & diris proseqvendo &c. c. 13.

Qvo tempore Malachias Prophetarum V. T. ultimus præcisè prophetarit, certò ostendi vix poterit. Vero consonum videtur, vixisse eum circa hæc ipsa tempora & prophetiam edidisse. Nec enim agit vel de urbe restaurandà, vel templo extruendo &c. sed iis restitutis, severe reprehendit ingratitudinem totius populi, Sacerdotum negligentiam, & nefarias divini cultus profanationes, populiqve non unis generis delicta.

Anno Mundi 3818. R. 343. Seleucidarum 125, Seleucus Philopator dictus regnum capescit eiq; præest 12. annis.

Hierosolymam Reges gentiles ob divinarum legum observantiam honorant & missis muneribus decorant, ipse etiam Seleucus de reditibus suis suppeditat sumptus ad ministeria sacrificiorum publica pertinentes 2. Maccab. c. 3 v. 1. 2. 3.

Simon templi præfectus Appollonio Cælesyriæ & Phæniciæ gubernator refert, Gazophilacium Hierosolymis pecuniâ plusqvam abundare. Hoc cum Regi Seleuco innotesceret, Heliodorum cum copiis Hierosolymam ablegat, pecuniam inde ablaturum, sed Heliodorus eventu hoc frustratus, non divitias, sed plagas domum ad Regem reportat. Ibidem.

Anno Mundi 3830. R.355. Sel. 137. Antiochus vocatus Epiphanes init regnum idq; 12. annos administrat. 1. Macc. 1. v. 11.

Huic Jason 300. talenta offert, ut Onià fratre semoto ipse loco ejus Pontifex constituatur, cui Antiochus acqviescit. Jason Pontificatum adeptus suos tribules ad Græcos ritus traducit. 2. Maccab. c. 4.

Anno Mundi 3831. R.356. S. 138. Antiochus ex Apollonio, qvem in Ægyptum ablegarat, intelligens Ptolomæum à se aversum, id igitur agit, ut se confirmet, ac Ioppen venit & inde Hierosolymam, ubi magnificè excipitur v. 21. & 22.

Anno Mundi 3834. R. 359. S. 141. Jason prædicti Simonis fratrem Oniam, qvi se Menelaum vocari malebat, ad Regem Antiochum mittit cum pecunia & donis; sed hic Regi assentatus & 300. talenta se Jasonis tributo additurum pollicitus summum Sacerdotium ad se transfert. Ita Jason Sacerdotium iisdem artibus amittit, qvibus ante fratrem Oniam eo exuerat. 2. Macc. c. 4. v. 25 & seq.

Anno Mundi 3835. R. 360. S. 142. Menelaus Pontifex maximus, cum debitum tributum solvere non posset, Pontificatu excidit & Lysimachus loco ejus Sacerdotio donatur. Aufert itaq; Menelaus qvædam aurea vasa templi, iisq; Andronico datis, Sacerdotium recuperat & eundem monet, ut Oniam interficiat. Qvi astu ipsum ex asylo Daphnes propè Antiochiam elicitum confodit. Sed Antiochus è Ciliciâ reversus Andronicum propterea honore & deniq; vitâ privat.

Lysimachus conscio Menelao multa facit sacrilegia. Populus igitur contra ipsum tumultuatur eumq;, 3000. viris, qvos contra armarat, profligatis, propè gazophylacium interimit. 2. Macc. c. 4. v. 39. & seq.

Menelaum dein coram Rege Tyri, qvo is venerat per 3. legatos accusant. Verum Rex Antiochus svasu Ptolomæi aulici, à Menelao pecuniâ corrupti, accusatores morti adjudicat, absoluto reo cap. 4. v. 43. & seq

Anno M. 3836. R. 361. Seleucidarum 143. Antiochus Ægyptum ingreditur & Ptolomæum Regem prælio vincit, ac civitates munitas occupat & præsidiq munit. Interim Jason, falso rumore de morte Antiochi increbescente, Hierosolymam inopinatò occupat, &, Menelao in arcem confugiente, civium cædes non parvas facit, nec ulli parcit. Cum nihilominus principatum obtinere non posset, cum dedecore

pessi-

pessimus suorum tribulium latro & homicida in terram Ammonitarum aufugit 2. Macc. 5. v. 1. & seq.

Antiochus de tumultibus hisce in Ægypto certior factus, ac veritus, ne Judæa tota deficiat, irato animo in Judæam regreditur, Hierosolymam occupat, Sanctum Sanctorum superbè ingreditur, & auream mensam, candelabrum, mensam panum propositionis, & prætereà 80. millia hominum, totidem vendit & 40. millia abducit 1. Macc. 1. & 2. Macc. c. 5.

Anno Mundi 3838. R. 363 S. 145. Olympiadis 153. anno primo Antiochus Apollonium magno cum exercitu Hierosolymam mittit. Hic cum pacem simularet, intromissus, multis cæsis, urbem diripit & incendit, domos & muros diruit, & abducit mulieres captivas & jumenta rapit, civitatem David muris & turribus circumdat & munit & præsidio impiorum hominum firmat, qvi inde pessima qvæq; contra Hierosolymam & locum sanctum perpetrant. Ablegat prætereà senem Antiochenum, qvi populum Judaicum ad sacra gentilia cogat. Profanatur igitur templum die 15. כִּסְלֵו vel mensis 9. & Jovis Olympii nominatur, exuruntur sacra Biblia, nova altaria eriguntur, ac profana sacrificia Græcorum more offeruntur. Multi hisce calamitatibus fracti à divina Lege decíscunt; qvi verò constantes in verâ religione permanent, partim variis cruciatibus necantur, inter qvos fuit Eleazarus, qvo de 2. Macc. 6. & Mater illa cum filiis suis 7. de qvibus c. 7. partim verò civitatibus suis egressi in locis desertis se continent, & numero aucti religionem & se tutari audent. Horum primus divinæ Legis defendendæ autor Matathias Judæum in omnium oculis in arâ Modonis secundum præceptum Antiochi sacrificaturum, ex Zelo divino jugulat, mox etiam regium præfectum, qvi alios sacrificare cogebat, interficit, altare destruit, & cum suis urbe egreditur ad montana, multi etiam pii cum uxoribus & liberis domos suos deserunt & desertum petunt. 1. Macc. 2. Jos. l. 12. Antiq. c 7.

Matathias jam moriturus suos filios multis cohortatur ad defendendam Legem & fœdus majorum, atq; ita obdormiscit 1. Macc. c. 2. v. 49. & seq.

Judas dictus Maccabæus patri succedens ubicunq; potest & hostes & Judæos, qvi ad gentes defecerant, carpit. Apollonius ma-

gnum exercitum cogit & cum Judâ pugnat, sed victus internecioni datur. Posteà Seron Syriæ præfectus ingentibus collectis copiis contra Judam proficiscitur, cladem acceptam vindicaturus, sed & ipse, qvod repentè à Judâ invaderetur, terrore perculsus fugam arripit.

Cladibus his ad iracundiam provocatus Antiochus omnes regni sui copias congregat. Animadvertens autem thesauros suos non suffecturos, Lysiæ filium suum committit ac toti regno præficit, tradit etiam ei dimidiam copiarum partem & elephantos, eiq; mandat, ut Judæos debellet, omnes sub hastâ vendat, & novos colonos in Judæam traducat.

Anno Mundi 3840. Red. 365 Sel 147. Antiochus in Persidem pergit tributum accepturus, & ingentem pecuniæ summam conflaturus 1. Macc. 3.

Lysias exercitum 40. millium peditum & 7. millium eqvitum contra Judam Maccabæum, sub tribus ducibus mittit. Ad castra eorũ mercatores ex circumjacentibus locis confluunt emptum Judæos. Maccabæus invocato prius divino Numine, cum suis contra hostes castra metatur. Gorgias dux Maccabæi in castra noctu irruere conatur, sed Judas re per exploratores compertâ castris excedit, & ad hostilia castra contendit, hostesqs inde in prælium exeuntes invadit, in fugam pellit & extremos percutit Gorgias, qvi Judæorum castra vacua invenerat, arbitratur eos fugisse, atq; idcircò hinc & indè in montibus eos qværit. Videns autem castra suorum fumare, eosq; fusos & Judæos ad prælium paratos, ad tutiora loca fugit: Judas verò hostium spolia legit, & reversus Deum collaudat 1. Macc. 4.

Anno Mundi 3841 R. 366. Selen. 148. Lysias exercitum reparat, & cum 60. millibus peditum & 5. millibus eqvitum Judæam ingreditur. Occurrit ei Iudas cum 10. millibus virorum & videns castra eorum fortia, Dei auxilium implorat, hostes aggreditur & trucidatis ex eis 5. millibus, fugat. Lysias Antiochiam remeat majores coacturus copias, ac Judæ de novo bellum facturus 1. Macc. 4. v. 28. & seq.

Judas Maccabæus pulsis hostibus Hierosolymam tendit, Sacerdotes, qvi puros à gentilium contaminatione se servaverant, eligit, templum & locum sanctum, postqvam integrum triennium jacuerat profanatum, purificat, altare vetus à gentilibus contaminatum demolitur, ac novum ædificat, & Encænia instituit 8. diebus à 25. die mensis

mensis 9. qyotannis celebranda. Muro etiam Sanctuarium circumdat & præsidio firmat c. 4. v. 36. & seq.

Anno Mundi 3842. R. 367. S. 149. Gentes Judææ finitimi templum purgatum esse & altare instauratum indignantur, Judæosq; extirpare conati multos interficiunt. Sed Judas Maccabæus cladem ubiq; regerit. Cædit enim Edomitas, Ammonitas & Timotheum ducem, ac plurimis urbibus expugnatis, ingenti prædâ potitur. Simon frater in Galilæam ablegatus itidem cæsis hostibus victoriam conseqvitur. Præfecti Josephus & Azarias, qvi cum exercitu ad custodiam Judææ erant relicti, ac, ne absente Judâ & Simone, cum gentibus præliarentur, jussi, ubi audiunt præclara Judæ & Simonis facinora, & ipsi sibi nomen comparaturi prodeunt, sed à Gorgia profligantur & 2000. virorum amittunt 1. Macc 5.

Antiochus Epiphanes fanum Dianæ in Elimiade conatur diripere, sed in fugam conjicitur, & tristis Babylonem regreditur. Audiens verò copias suas a Judæis cæsas & inclytas Maccabæi victorias in morbum ex tristitiâ incidit. Morti vicinus de fortunæ mutatione qverulatur, ac profitetur ob crudelitatem in Judæos mala hæc sibi evenire. Philippum igitur regno præficit, & diadema, stolam & annulum ei tradit. ac mandat, ut filium suum Antiochum ad regnandum educet, eoq; facto è vitâ discedit c. 6.

Lysias, ut Antiochum Epiphanem obiisse cognovit, filium ejus Antiochum Regem facit & Eupatora appellat, qvi 20. annos regnat. 1. Macc. c. 6. v. 17.

Anno Mundi 3843. R. 368 S. 150. Præsidiarii in arce Sionis, cùm multa Judæis inferrent damna, Judas arcem illam obsidione cingit. Id cum Regi Eupatori à perfidis qvibusdam nunciaretur, irâ incensus ingentem conscribit exercitum, in Judæam movet & Bazuram obsidet. Judas, arcis solutâ obsidione, se cum copiis suis confert ad Bethzacharam suaq; castra regiis opponit. Fit prælium & 800. ex Antiochi militibus cadunt. Eleasarus eliphantem omnium maximum occidit & à cadente eo ipse opprimitur. Videntes autem Judæi magnum illum Regis exercitum ejusq; robur & potentiam, ab eo declinant. Deditur ob famem, cum esset annus Sabbathicus, Bezura eiq; à Rege præsidium imponitur. Rex pergit Hierosolymam, & templum arctissimâ obsessione premit. Interim Philippus, qvem Antiochus Epiphanes

nes proregem fecerat, cum exercitu e Persiâ & Mediâ revertitur, ut regnum administret. Hoc qvum audiret Lysias Regi persvadet, ut cum Judæis pacem faciat, eisq; liberum Judaicæ religionis exercitium concedat. Rex igitur Antiochus de consensu principum suorum ad Judæos mittit faciendæ pacis nomine. Judæi id acceptant, &, juramento, utrinq; confirmatâ pace, â munitione abeunt. Antiochus ingressus in montem Zionis, cum vidisset munitionem loci, rupto juramento murum circumqvaq; mandat everti. Porrò Manelaum, cum eum ex Lysiâ cognovisset, omnium turbarum & totius belli autorem, secum abducit & Bæræ Syriæ, postqvam 10. annis Sacerdotibus præfuerat, interimit, præfecto summo pontificatui Alcimo. Onias filius Oniæ Sacerdoti summi, qvi occisus erat, cum videret se à Sacerdotio exclusum, in Ægyptum ad Ptolomæum fugit, ibiq; tandem (nimirum anno M. 3853. reditus ex Baby: 378) concedente Rege Ægypti, templum Hierosolymitano simile extruit.

Antiochus, ut Antiochiam pervenit, Philippum intelligit & urbem obtinere & regnum apprehendisse. Eum igitur oppugnat, & Antiochiam vi occupat 1. Macc. c. 6. v. 63.

Anno Mundi 3844. R. 369. S. 151. Demetrius dictus Soter, Seleuci Regis qvondam Asiæ filius, obses Romæ specie venandi ab urbe profectus Hostiæ tacitus cum fugæ comitibus navem conscendit. Delatus in Syriam Tripolim occupat, exercitum undiq; colligit, regnum invadit & secundo favore omnium, ut ait Justin. l. 34. excipitur. Antiochi enim Eupatoris copiæ Regem suum, & Lysiam Principem ejus primarium comprehendunt, Demetrio eos tradituri: cum verò is, ne sibi in conspectum adducerentur, vetaret, ipsi eos morte afficiunt, atq; ita Demetrius plenè regno potitur. Venientibus autem ad Regem impiis ex Israele, qvorum dux erat Alcimus, Judamqve & populum ejus accusantibus, Bacchidem Rex mittit, qvi Alcimum Hierosolymis in Pontificatum restituat & Judæos puniat. Judæam Bacchides & Alcimus magnis cum copiis ingressi pacem verbis præ se ferunt, qvibus tamen Judas fidem derogat, qvi verò ex Sacerdotibus & aliis fidem eis habent, & ad ipsos veniunt, occiduntur. Exin Bacchides Alcimo commissâ regione & exercitu ad Regem redit.

Alcimus, ut dominatum sibi confirmet, verborum blandimentis multos ad se allicit, terram obambulat, & Judæ amicos morte mul-

tat.

tat. Judas igitur egressus in omnes terminos Israelis de transfugis & perfidis ultionem sumit. Alcimus videns Judam sibi prævalere, iterum Regem adit, qvi Nicanorem magno instructum exercitu in Judæam ablegat. Nicanor, cum insidiis nihil contra Judam efficeret, aperto eum bello adoritur, sed amissis 500. viris in arcem Davidis fugà elabitur. Nicanor ad montem Sionis ascendit, sacrificia Judaica adunco suspendit naso, & jurat se templum crematurum, ni Judam sibi tradant. Sacerdotes lacrymis coram Deo de blasphemià conqveruntur. Nicanor verò Hierosolymis egressus, copiis Syrorum sibi junctis secundò cum Judà confligit 13. die mensis 12. & ipse primus in prælio occidit, viso eo, exercitus ejus fugam arripit, sed Judas eos perseqvitur & ad unum omnes occidione occidit. 2. Macc. 7. Jos. l. 12. cap. 16. 17. Judas legatos Romam mittit petitum fœdus & amicitiam, cui Romani assentiuntur. 1. Macc. 8.

Anno Mundi 3845. Reditus ex Babylonia 370. Seleucidarum 152. Demetrius, ut audivit, Nicanorem exercitu deletum, mittit in Judæam Bacchidem & Alcimum ingentibus cum copiis, movent hi Hierosolymam mense primo, inde Bezethan cum 20. millibus peditum 2. millibus eqvitum. Jis Judas opponit 3. mille viros, qvi videntes hostium multitudinem præ formidine in pedes se conjiciunt. Judas Maccobæus relictus cum 800. saltem, hostes tamen invicto animo adoritur, & dextrum cornu, cui ipse Bacchides præerat, in fugam vertit, quod dum in seqvitur à cornu sinistro ejus vestigia legente cingitur, atq; ita undiq; circumseptus ad postremum tamen inter confertissimos fortissimè dimicans cadit. 1. Macc. 9.

Bacchides Maccabæo victo & occiso, impios homines in Judæa facit præfectos, qvi pios & fideles valdè affligunt. Omnium itaqve consensu Jonathas Judæ frater, dux populi electus in desertum ad Jordanem cum suis abit, fratrem Johannem cum impedimentis ad Nabathæos mittit, in qvem filii Amri in itinere irruunt, ac bonis pariter & vità exuunt, cujus tamen facti paulò post, pari ipsis à Jonatha & Simeone relato, pœnas dant meritas.

Bacchides Jonathan Judæorum ad Jordanem usq; seqvitur. Jonathas suos ad fortiter pugnandum hortatus hostes aggreditur & duo millia cædit. Cum verò paucos haberet milites, & ab hostium multitu-

titudine urgeretur, Jordanem insilit, & cum suis tranatat, hostibus id imitari non ausis.

Bacchides contra Hierosolymam remeat, & multas in Judæa urbes munit, filiosq; eorum, qvi duces regionis erant obsides acceptos in arcem deponit.

Anno Mundi 3846. R. 371. S. 153. Alcimus mense secundo, cum murus atrii in loco sancto extimus ejus jussu cæpisset dirui & opera Prophetarum destrui, eo ipso momento apoplexia tactus est, & paucis diebus post magno cum cruciatu obiit, cum qvadriennium sacerdotium gessisset. Bacchides id videns ad Regem reversus est, & terra Jehudæ qvievit duobus annis.

Anno Mundi 3848. R. 373. S. 155. Bacchides à perfidis spe comprehendi Jonathanis & ejus asseclarum, persuasus redit magno cum exercitu. Jonathan & Simon insidiis compertis, in desertum secedunt, & vicum Bet-ketzitzum ædificant & roborant: illuc venit Bacchides & vicum obsidet & oppugnat. Jonathan Simoni commissâ oppidi curâ, cum paucis excedit, exercitum colligit, & brevi post in castra Bachidis irruit & non paucos trucidat. Simon hac occasione cum suis etiam erumpit, & machinas hostiles incendit. Bacchides hac clade contritus transfugus Judæos, qvorum consilio expeditionem hanc susceperat, multos occidit, init prætereà consilium invadendi terram eorum. Jonathan hoc olfaciens ad Bacchidem mittit, qvi cum ipso pacem componant. Acceptat id Bacchides, & jurat, se in posterum nunqvam Ionathani malum illaturum, atq; ita redditis captivis in terram suam abit 1 Macc. 9.

Anno Mundi 3853 R. 378. S. 160. Alexander Antiochi filius Ptolomaidem proditione militum occupat. Demetrius cognitâre, exercitum statim congregat. Ionathani Iudæorum duci amicitiam, & obsidum, qvi in arce asservabantur, dimissionem offert. Ionatan igitur Hierosolymam profectus, obsides receptos parentibus eorum remittit, ac Hierosolymis habitare cæpit, eamq; reparatis muris munit. Ab amicitia Demetrii Alexander, ut Ionathanem avertat, amicè ad eum scribit, Sacerdotem summum in populo Iudaico constituit, amicum suum appellat, & purpuram & auream coronam ei mittit. Ionathan itaq; vestem pontificalem in festo tabernaculorum induit supra dicto anno. Parat etiam sibi copias & arma multa.

Onias

Onias Pontificis Oniæ filius, qvi Alexandriam profugerat, à Ptolomæo Philometore facultatem consecutus templum ædificat, juge sacrificium instituit & Sacerdotum familias ad obeunda templi ministeria distrubuit. Iof. l. 12. c. 15. l. 13. c. 6. & l. 7. de bell. c. 37.

Demetrius denuo Ionathani scribit, & longè plurima ipsi & concedit, & in futurum promittit; sed Ionathan ei fidem non habet, Alexandro se adjumento futurum decernit.

Alexander contracto exercitu cum Demetrio prælio decertat, eumq; victum & regno & vita spoliat 1. Macc. c. 10. Iof. l. 13. c. 5.

Anno Mundi 3855. R 380. S. 162. Alexander Rex Syriæ Ptolomaide cum Cleopatrâ Ptolomæi Philometoris filiâ nuptias celebrat, ad qvas & Ionathan ab Alexandro invitatus venit, & utrumq; Regem egregiis donariis honorat. Itaq; Rex Alexander accusatores Ionathanis audire renuit, eumq; purpurâ jubet indui, & sibi assidêre, inter amicos Regis primarios recenser, & magnâ gloriâ afficit. 1. Macc. 10. vers. 51.

Anno Mundi 3858. R. 383. S. 165 Demetrius Nicanor appellatus, Demetrii olim Regis Asiæ filius è Cretâ in regnum majorum suorum venit. Apollonius Cælesyriæ præfectus Ionathanem lacessit, qvi 10. millibus virorum ei obviam profectus expugnat Ioppen & Ascolonem, & ex Apollonii exercitu 8. mille milites obtruncat. Cognito hoc Alexander Ionathani mittit fibulam auream, eiq; Hekronem & omnes ejus terminos donat. 1. Macc. 10. v. 65. & seq.

Anno Mundi 3860. R. 385. S. 167. Ægypti Rex Ptolomæus Philometor maximo coacto exercitu Syriam simulatione pacis ingreditur, & honorificè ubiq; exceptus præsidio urbes præcipuas firmat, Demetrium accersit, eiq; regnum Syriæ, & filiam suam Cleopatram pollicetur. Alexandro igitur filiam suam aufert, & Demetrio collocat. Qvibus rebus cognitis Alexander è Ciliciâ properat & Ptolomæum bello invadit, sed victus ad Arabiæ Dominum effugit, qvi caput ejus amputatum ad Ptolomæum deportandum curat. Ptolomæus verò in prælio vulneratus die tertio moritur 1. Macc. 11 v. 1. & seq.

Alexandro igitur Demetrius succedit. Per idem tempus Ionathan arcem Sionis obsidet & oppugnat. Demetrius Rex à perfidis id rescifcens Ionathanem Ptolomaida ad se vocat. Venit eo Ionathan, & eximiis muneribus Regem placat. Qvare ipsi principatum Sacer-

dotii, & quæcunq; alia ad honorem ſpectantia habuerat, ſtabilit, concedit etiam Judæam immunem tributorum, & tres toparchias, Samariam, Joppen & Galilæam roganti, & pro hac libertate 300. talenta promittenti c. 11. v. 20. & ſeq.

Demetrius Rex Aſiæ omnium in odio cum eſſet, Tryphon filium Alexandri ab Arabe ſibi dari petit, ut eum in regnum reſtituat.

Interim Jonathan à Demetrio contendit, ut eos, qvi arcem tenebant, & Judæis multum moleſti eſſent, juberet inde diſcedere, reſpondet ille; non hoc ſolum, ſed & longe plura alia ſeei conceſſurum, ſi modò ſibi hoc tempore contra rebelles & milites & cives ſuccurrat. Jonathan itaq; ei mittit ſubſidio 3000. egregiorum militum, qui poſt, cum cives Antiocheni ſeditionem concitarent, multos trucidant, civitatem incendunt, &, ut Regi ſe dedant, cogunt. Demetrius periculo exemptus & ſecurè regnum jam poſſidens nihil Jonathani eorum, qvæ promiſerat, ſervat; ſed non multò poſt Tryphon Antiochum in regnum reducit & Demetrium victum regno exigit.

Antiochus jam Rex Aſiæ Jonathani Sacerdotium ſummum confirmat, & Simonem ducem conſtituit à tractu Tyri usq; ad terminos Ægypti. Mox igitur Jonathan exercitum colligit, civitates qvaſdam occupat. Audiens verò duces Demetrii in Galilæam veniſſe, occurrit eis, Simone domi relicto, qvi Betzuram obſidet, & ad deditionem compellit. Jonathan cum hoſtibus pugnaturus multis ſuis fugientibus deſeritur, hoſtes tamen adoritur & in fugam pellit, qvod cum viderent, qvi metu ipſum deſeruerant, revertuntur & unà cum Jonathane hoſtes perſecuti 3. mille viros interimunt. 1. Maccab. cap. 11. v. 39. & ſeq.

Jonathan fœdus & amicitiam cum Romanis renovat. 1. Macc. 12.

Duces Demetrii, ut audivit Jonathan, majore cum exercitu redire, ipſis obviam Hieroſolymis procedit in regionem Chamathæ, ac hoſtes de noctu ſe invaſuros, in armis & ad prælium paratus expectat: id intelligentes hoſtes metu perculſi, pyris per caſtra accenſis, abeunt. Jonathan eos inſeqvitur, ſed qvod ſerius eorum fugam comperiſſet, aſſeqvi haut poteſt. Revertitur idcircò & Arabiam percutit & ſpoliat. Simon Joppen occupat, & præſidium imponit, ne ſe Demetrii ducibus dedant, qvod eos in animo habuiſſe, in audierat. Poſteà Hieroſolymam redit, & cum Senioribus conſilium init ædificandi munitio-

sitiones in Judæâ. Muros Hierosolymorum exaltat, & inter arcem & civitatem præaltum extruit murum. Diodotus Tryphon dictus, cum de occupando Syriæ regno & Antiocho puero interficiendo consilia agitaret & timeret, ne Jonathan sibi esset impedimento, vitæ ejus insidias tendit, & tandem Ptolemaide, militibus ejus cæsis, perfidè eum capit. Audiens verò Simon Tryphonem ingentes congregare copias ad invadendum Judæam, operam suam populo tristitiâ & metu consternato offert, & ab iis Dux electus exercitum colligit, munitiones Hierosolymorum perficiendas curat, & Tryphonem in Judæam irrumpere conantem impedit; mittit etiam Tryphoni 100. talenta auri (ut fons habet) & duo Jonathanis filios obsides, ut ita Jonathan dimitteretur, quemadmodum Tryphon promiserat; sed pessimus homo promissis minimè stat, verum omnibus modis in Judæam irruere contendit, frustrà tamen, Simone illi ubiq; obstante. Conatur etiam commeatum in arcem deferre, qvod verò eâ ipsâ nocte profunda nix cecidisset, id in effectum deducere neqvit. Interficit igitur Jonathanem & filios ejus, & in terram suam regreditur. Simon verò Jonathanem Modone in sepulchro paterno, qvod magnificè exornarat, sepelit & cum toto Israele luget 1. Macc. c. 13.

Tryphon deniq; dolo Regem juniorem Antiochum interficit, & diademate sibi imposito, Regem Asiæ se gerit. 1. Macc. 13. v. 31. 32.

Anno Mundi 3863. R. 388. S. 170 Simon urbes Judææ munit & de necessario commeatu prospicit. Ad Demetrium etiam mittit, qui Seleuciæ erat, & petit ab ipso populi libertatem & immunitatem, & obtinet. Atq; ita tandem jugum Gentium ab Israelitis ablatum est. 1. Macc. c. 13. v. 33. & seq.

Simon urbem Gazam obsidet & expugnat, & Græcos misericordiam ejus implorantes incolumes inde dimittit, urbem ab omnibus inqvinamentis mundat, eamqve munitam Judæis habitandam concedit v. 43. & seq.

Anno Mundi 3864. R. 389. S. 171. Simon arcem Sionis fame tandem expugnatam deditione capit, ab idolis purgat, & die 23. mensis secundi eam cum laude nominis divini ingreditur &c. v. 49. & seq. Refert Josephus l. 13. c 11. Simonem captam arcem, quæ in monte Acra sita erat, destruxisse & solo æquasse, persuasisse etiam populo, ut montem ipsum in planitiem redigerent, ne hostes aliquando eum ite-

rum occuparent, & ut templum eo altior esset: triennii igitur spatio labore magno die noctuq; continuato rem expedierunt.

Anno Mundi 3865. R. 390. S. 172. Demetrius cum exercitu in Mediam proficiscitur ad contrahendum auxilium contra Tryphonem. Arsaces Rex Persidis & Mediæ audiens Demetrium cum exercitu fines suos intrasse, ducem quendam contra eum ablegat magnis cum copiis, à quo tandem pacis simulatione deceptus, ut Justinus l. 36. prodit, capitur 1 Maccab. c. 14. v. 1. & seq.

Judæâ tranqvillâ gaudet pace, & Simon eam bellè administrat 1. Macc. c. 14. v. 4. & seq.

Fœdus cum Romanis & Spartanis renovatur v. 16. & seq.

Simoni à toto populo Judaico publico scripto, qvod in tabulis æris positum in ambitu loci sancti collocatur, egregium datur testimonium, confirmatur ei principatus, conceditur illi soli induere purpuram & aureâ fibula ornari, jubentur etiam omnes ei obedire, nec qvicqvam contra eum vel etiam sine eo tentare, idq; 18. die mensis 6. v. 27. & seq.

Antiochus dictus Sedetes Demetrii Soteris filius, cum regnum majorum suorum recuperaturus, Tryphonem bello aggredi vellet, ne & sibi cum Simone bellandum foret, ex insulis ad ipsum perscribit, ei multas immunitates largitur, & qvas habet adauget, concedit etiam potestatem cudendi monetam 1. Macc. 15. v. 1. & seq.

Anno Mundi 3867. R. 392. S. 174. Antiochus in regnum paternum venit, & Tryphonem, deficientibus ab ipso militibus, fugientem instructus 120. millibus militum perseqvitur, eumq; in Dor castello maritimo, cui se incluserat, obsidet idq; terrâ mariq; affligit v. 10. & seq.

Dum hæc geruntur legati Româ redeunt & literas ad Reges de confœderatione Romanorum cum Judæis, reportant v. 15. & seq.

Simon 2. millia militum Anticho Dora oppugnanti auxilio mittit. Antiochus iis spretis, Athenobium ad Simonem ablegat, & qvæ concesserat impudenter repetit. Joppen enim Gazam & arcem sibi reddi jubet, aut pro iis dari 500. talenta argenti & pro illato damno totidem, &, si id facere recuset, minatur bellum vers. 25. & seq.

Tryphon concensâ navi Orthosaida elabitur v. 37.

Antiochus Cendebejo copias tradit & mandat ut contra Judæos castra

castra metatur, Cedron vel uti Trem. & Jun. vocant, Gedorum ædificet, pylas muniat & Judæos oppugnet: ipse interim Tryphonem persequitur. Cendebejus conatur mandata Regis exhaurire vers. 37. & seq.

Johannes dictus Hyrcanus Gazâ Hierosolymam venit, & patri suo Simoni indicat Cendebei attentata. Simon filiis suis senioribus Iudæ & Iohanni præcipit, ut pro gente Iudaicâ strenuè certent. Qvi, cum 20. millia bellatorum cum eqvitibus accepissent, contra Cendebejum tendunt, eumq; prælio vincunt. Iehudâ vulnerato Iohannes hostes perseqvitur & 2000. cæsis Cedron incendit 1. Maccab. c. 16. v. 1. & seq.

Anno Mundi 3870. R. 395. S. 177. Simon civitates obit, & qvæ curanda curans Ierichuntem descendit cum filiis Iehudâ & Matathiâ, & à Ptolomæo genero in munitione Dog in שְׁבָט vel mense 11. opiparo convivio excipitur, sed paulo post cum affatim bibissent, ipse cum filiis perfidissimè interficitur v. 11. & seq. Facinus hoc suum Ptolomæus scripto Regi Antiocho renunciat & ab eo exercitum petit, qvo totam possit subigere Iudæam. Struit etiam insidias Iohanni Simonis filio, sed ille recompertâ periculum evitat 1. Macc. c. 16. v. 18. & seq.

Huc usq; historia Biblica V. T.

Anno P. J. 4674. *Mundi* 3966. Iuliano 6. exeunte: 1. Olympiadis 185. Herodes cognomento Magnus Romæ, M. Antonio & Cæsare Octavo adjutoribus, à toto Senatu Romano Rex Iudææ declaratur Ioseph. Antiq. l. 14. c. 26.

Anno P. J. 4710. *Mundi* 4001. Angelus Gabriel Zachariæ Sacerdoti Hierosolymis in templo vices suas obeunti apparet, & nunciat fore, ut uxor ejus Elisabetha filium pariat, cujus nomen Iohannem vocare deberent Luc. 1. v. 5. & seq.

Idem Angelus mense 6. à conceptione filii Zachariæ mittitur ad virginem Mariam, eiq; annunciat, qvod Filium Dei promissum Messiam virtute Spiritus S. sit conceptura & in lucem editura. Maria hisce assensa, paucis diebus post, ad cognatam suam Elisabetham, cujus mentionem Angelus fecerat, proficiscitur, cum ea pium habet sermonem & Spiritu S. plena Deum egregio cantico laudat Luc. 1. v. 26. & seq.

Anno

Anno P. J. 4711. *Mundi* 4003. Elisabetha 9. completis mensibus filiolum enititur: Eo die 8. circumciso & nomine Iohannis insignito, pater Zacharias, qvi hactenus ob incredulitatem obmutuerat. Iterum loqvi capit Deumq; eximio celebrat hymno Luc. 1. v. 5. 7. & seq.

Eodem hoc anno M. 4003. Reditus ex C. B. 528. Seleucidarum 310. 2. Olympiadis 194. Iuliano 43. Imperii Augusti 42. Herodis 37. decurrente, die 25. Decembris Christus unicus humani generis Redemptor ex virgine Mariâ nascitur in stabulo Bethlehemi, Augusto Cæsare per Qvirinium Syriam & Iudæam censente, & 8. die circumciditur, dulcissimumqve nomen Iesu accipit. Luc. 2. v. 1. & seq.

Brevi post, & vt pia existimat antiqvitas die 6. Ianuarii Magi ab Oriente, idq; vel ex Persiâ vel verius fortasse ex Arabia (Ea qvippe etiam suos habuit Magos, quo de eruditè differentem vide, si libet, M. Iohannem Vorstium in Syntagmate Miscellan. Academ. c. 11. p. 120.) Hierosolymam veniunt, de novo Rege sciscitantur, ac tandem Bethlehemi inveniunt, adorant & Arabicis, auri puta thuris & myrrhæ muneribus donant, ac divinitus admoniti, vitato Herode, in patriam regrediuntur Matth. c. 2.

Deinde 2. Februarii puerulus Iesus Hierosolymam deportatus, Deoq; in purificatione Matris Mariæ oblatus à Simone excipitur, promissus redemptor deprædicatur, eoqve facto Nazaretham reportatur Luc. 2.

A Deo cum intelligeret Iosephus vitæ pueruli ab Herode insidias strui, ac in Ægyptum cum puero & matre ejus fugere juberetur, mox eadem nocte fugam arripit & illuc tendit Matt. c 2. v. 13. & seq.

Herodes Rex primò opinatus Magos pudore, qvod nihil reperissent, suffusos, non adse, sed rectà domum in patriam revertisse, post eà verò inaudiens Infantem in templo oblatum, tantoq; elogio à Simeone & Hannâ, non parvæ in populo authoritatis hominibus honoratum, mox odoratur, sibi à Magis illusum. Mittit idcircò, qvi Bethlehemi puerum investigarent, sed eum ibi non inveniretur, resq; in obscuro esset, sangvineum illud de interficiendis puerulis Bethlehemiticis, & qvi in confinio essent, consilium animo volutat. Ne autem effugeret, cujus tot innocuorum cæde, vitâ qværebatur, jubet omnes, qvi vel bimatum attigissent, vel infra eundem essent, interimi. Qvod verò qvandoq; menstruus vel bimestris cum anniculo ejusdem

esset

eſſet ſtatutæ, laxiorem terminum conſtituit, ne miniſtri cædis falli facile poſſent.

Infanticidium hoc evenit paucis diebus ante obitum Herodis, eodem ſcil. tempore, quò Antipatrum filium (qvod 5. ante mortem ejus die factum eſt) interfici mandavit. Indicat id Macrobius, cum refert, Auguſtum dixiſſe, qoſtqvam audiverat Herodem inter pueros (hoc eſt eodem tempore. Nec enim Herodes filium bimulum peremit) qvos intra bimatum interfecerat, etiam filium occidiſſe: melius eſſe, Herodis eſſe porcum, qvam filium.

Mortuo Herode & reverſo Româ Archelao, adeoq; poſt Pentecoſtęn ex Ægypto Joſephus cum puerulo à Deo monitus redit, & Nazaretham ſe confert. Matt. 2. v. 19. & ſeq.

Anno P. J. 4724. *Mundi* 4016. Chriſtus 12. natus annos cum parentibus Hieroſolymam ad feſtum Paſchatos proficiſcitur, atq; ibi in templo cum omnium ſtupore inter Doctores auditur. Luc. 2. verſ. 41. & ſeq.

Anno P. J. 4742. *Mundi* 4034. Tyberii 15. Johannes Zachariæ filius officium ſuum docendi & baptizandi in feſto Pentecoſtes exauſpicatur. Luc. 3. v. 1. & ſeq. Matth. c. 3. v. 1. & ſeq. Marc. 1. v. 1. et ſeq.

Cum populus putaret Johannem eſſe Meſſiam, publicè profitetur ſe non eſſe: Baptizare ſe qvidem aqvâ, ſed Meſſiam mox venturum & Spiritu & igne baptizaturum Luc, 3. v. 35.

Chriſtus anno ætatis ſuæ 31. Tiberii 16. ex Galilæâ venit ad Johannem, & ab eo in Jordane baptizatur, ac, voce cælitus delatâ, propalàm Filius Dei dilectus proclamatur. Matth. 3. v. 13. et ſeq. Marc. 1. v. 9. & ſeq. & ſeq. Luc. 3. v. 21. & ſeq.

Mox à Spiritu S. in eremum actus 40. dies & noctes jejunat, & à diabolo tentatur Matt. 4. verſ. 1. & ſeq. Marc. 1. v. 12. & 13. Luc. 4. v. 1. & ſeq.

Judæi mittunt legatos Sacerdotes et Levitas ad Iohannem Baptiſtam, qvæſitum an ipſe eſſet Meſſias? Johannes id conſtanter negat & Ieſu Nazareno honorificum dat teſtimonium Ioh. 1. v. 19. & ſeq.

Poſtero die, cum Iohannes Chriſtum videret, qvi è deſerto Galilæam petiturus Bethaboram venerat, digito eum monſtrat & dicit, ipſum eſſe agnum Dei &c. & qvem ipſis dixerat venturum Ioh. 1. verſ. 29. & ſeq.

Die seqventi Iohannes denuo duobus suis discipulis Christum ostendit, eumq; agnum Dei prædicat, qvi eum confestim seqvuntur, & cum eo pernoctant v. 35. & seq.. Horum unus nomine Andreas fratrem suum Simonem ad Christum adducit, qvi eum Cephas denominat v. 42. 43..

Postridiè Dn. Iesus in Galilæam perrecturus in Philippum incidit, eiq; ut se seqvatur præcipit, cujus ductu paulò post Nathanael itidem in Christi agnitionem devenit v. 43. & seq.

Tertio ab itinere suo in Galilæam die, nuptiæ in Cana Galilææ celebrantur, qvibus Dn. Iesus interest, & aquam in vinum convertit. Ioh. c. 1. v. 1, & seq. Postmodum Capernaum descendit, nec diu ibi commoratur Ioh. 2. v. 12..

Cum I. Pascha anni P. I. 4743. Mundi 4035. instaret ac jam appropinqvaret, Salvator Hierosolymam ascendit, & facto è funiculis flagello vendentes & ementes è templo ejicit Ioh. 2. v. 13. & seq. miracula edit in festo multa, ob qvæ multi credunt, qvibus tamen semet non credebat v. 23. & seq..

Disputat cum Nicodemo de ratione perveniendi in regnum Dei. Ioh. 3. v. 1. ad 22.

Profectus Hierosolymâ in Iudæâ moratur, docet & discipulorum ministerio baptizat, Iohanne adhuc baptizante in Enon c. 3. v. 22. & seq..

Disputatur de hinc à discipulis Iohannis & Iudæis de purificatione v. 25. Iohannes verò discipulos suos instruit, seq; decrescere, Christum verò accrescere debere testatur v. 27. & seq.

Iohannes qvod Herodis Antipæ incestum improbaret, in carcerem conjicitur Macherunti Matth. c. 14. v. 3. & 4. & Marc. 6. v. 17. & seq. Ioseph. Antiq. l. 18. c. 7.

Servator audiens Pharisæos indignari Ioh. 4. v. 1. & Iohannem Baptistam traditum Matth. 4. v. 12. in Galilæam secedit, & transit per Samariam, & ad fontem Sichar cum muliere Samaritana de verâ vitæ aqva disserit, eamq; & multos Samaritanos, ut se esse Christum mundi Servatorem credant, verbo suo adducit Ioh. 4. v. 3. usq; ad 43. Post duos dies, qvos rogatus apud illos manserat, indè iter perseqvitur, in Galilæam perveniens honorificè accipitur v. 43. 44. 45. Rursus ergo invisens vel in transitu Canam Galilææ, inibi filium Reguli ex-

febri periclitantem absens verbo sanat v. 46. & seq. ad finem usq; c. Post hæc in Galilæa prædicando verbum & signa faciendo inclarescit. Nam 1. misso Nazaretho, Capernaumi habitaculum ponit, ac ibi ab eo tempore cæpit prædicare: agite pænitentiam, appropinqvavit regnum cælorum Matth. c. 4. v. 13. & seq. ad v. 18. & miracula facit uti colligitur ex Lucâ c. 4. v. 23. 2. Nazarethum venit & Sabbatho in Synanogâ ex Esai. c 61. docens cum admiratione auditur. Cum verò sui contemptum eis exprobraret, & ipsos non esse dignos singulari Dei gratiâ, exemplis viduæ Sareptanæ & Naamanis leprosi ostenderet, irâ cumulati eum ejiciunt Synagogâ & urbe, & è monte neqvicqvam præcipitare conantur Luc. 4. v. 16. & seq. 3, Furori Nazarenorum cedens Capernaum revertitur, atq; cum ad mare Galilæum vel Genezareth ambularet, & concursus populi ad audiendum verbũ Dei fieret, navim Petri ingressus populum informat, ac post miraculosâ piscaturâ duo paria fratrum, Petrum & Andream, Iacobum & Iohannem, in admirationem raptos ad Apostolatum vocat. Luc. 5. v. 1 & seq. Matth. 4. v. 18. & seq. Marc. 1. v. 16 & seq. 4. His comitatus Capernaum intrat & in Sabbato docet, ut obstupescerent: Dæmoniacum etiam ibidem, imposito prius dæmoni silentio, sanat, ut spectatores pavore percellerentur & fama in circum jacentem Galilæam emanaret Luc. c. 4. v. 31. & seq Marc. 1. v. 21. & seq. 5. Surgens è Synagogâ ædes Simonis ingreditur, & socrum ejus febricitantem sanitati restituit Luc. 4 v. 36. & seq. Marc. 1. v. 29. Matth. 8. v. 14. & seq. 6. Vesperâ & Sole occidente, qvod Sabbato ante Solis occasum non auderent, varios ægrotos & dæmoniacos adducunt, qvibus omnibus Salvator medetur, ut impleretur qvod dictum per Esaiam c. 53. 4. Marc. 1. v. 32. & seq. Luc. 4. v. 40. & seq Matth 8. v. 16. & seq. 7. Mane valdè multâ nocte surgit, & in locum desertum abit, & illic orat. Petrus & reliqvi eum prosecuti inveniunt & dicunt: omnes te qværunt. Sed dixit eis Iesus, eamus & in alia oppidula ad prædicandum. Nam ad hoc veni Marc. 1. v 35. & seq. Luc. 4. v. 42. Peragravit itaq; totam Galilæam, & cætum non mediocrem collegit è Galilæâ Decapolis Hierosolymis, Iudæâ & è regionibus trans Iordanem sitis, qvi ipsum seqvebatur Matth. 4 v. 23. & seq.

In uno oppidulorum cum esset, virum leprâ plenum sibi supplicem curat, eiqve, ne divulgaret factum, interdicit, sed ille egressus

 id

id vehementer prædicat, ut Dn. multitudine populi obrutus deſerta loca peteret Marc. 1. verſ. 4. & ſeq. ibiqve oraret Luc. cap. 5. verſ. 12. & ſeq.

Iterum poſt dies aliquot Capernaum ingreſſus in domo qvadam cum doceret, præſentibus Phariſæis & ſcribis, qvi venerant ex omnibus vicis Galilææ, & Judæâ & Hieroſolymis, adducitur paralyticus & per tectum in lecto dimittitur in medium ante Jeſum, qvem, remiſſis peccatis, Phariſæorumq; reprehenſis cogitatis, ſanitati verbo reſtituit, ut ſtupor omnes corriperet Luc. 5. v. 17. & ſeq. Mar. 1. verſ. 1. &c. Matth. 8 v. 2. & ſeq.

Et egreſſus ad mare rurſus turbam ad ſe confluentem docet, & tranſiens Matthæum è telonio ad Apoſtolatum vocat, & cum eo aliisq; publicanis epulatur, hocq; ſuum factum contra murmurantes Phariſæos & Scribas tutatur Mar. 2. v. 13. & ſeq. Luc. 5. verſ. 27. & ſeq. Matt. c. 9, v. 9. et ſeq.

Advenientibus tunc, qui qværerent: cur diſcipuli ipſius non jejunent, ut Johannis & Phariſæorum, reſpondet Salvator non omnia omni tempori, nec omnibus convenire &c. Matt. 9. v. 14. & ſeq. Marc. 2. v. 18. & ſeq. Luc. 5. v 27. & ſeq.

Hæc Chriſto loqvente, venit Jairus princeps Synagogæ, & procidens ad pedes ejus, eum deprecatur, ut filiæ, animam ferè agenti manum imponat, ut ſervetur. Ad hujus ædes dum progreditur, hæmorrhauſam ad veſtimenti ſui tactum ſanat, & pauló poſt domum Jairi ingreſſus demortuam puellam duodennem invitam revocat. Matt. 9. Marc. 5. v. 22 & ſeq. Luc. 8. 41 & ſeq.

Digreſſus illinc duobus cæcis ſe ſeqventibus viſum reddit Matt. 9. v. 29. & ſeq. anni P. J. 4744. M. 4036.

Mox dæmoniacum mutum curat, turba id admiratur, ſed Phariſæi calumniantur Matth. 9 v. 31. & ſeq.

II. Ad Paſcha Dn. Jeſus aſcendit & ad Betheſda jam per 38. annos clinicum reſtituit, & poſt in templo repertum monet, ne iterum peccando majora ſibi mala attrahat Joh. c. 5. v. 6. 7. 14. Cum verò hic Judæis Chriſtum ſe in Sabbato ſanaſſe, & lectum portare juſſiſſe indicaret, ab ipſis ceu Sabbati violator ad necem qværitur: Sed ille egregio & prolixo ſermone ſe defendit v. 14. & ſeq.

Sabbato δευτεροπρώτῳ cum diſcipuli per ſata irent, ſpias vellerent & manibus

nibus contritas comederent, Pharisæos, id in Sabbato non licere, contendentes refutat Luc. 6. v. 1. & seq. Mar. 2. v. 23. & seq. Matth. 12. v. 1. & seq.

Alio Sabbatho in Synagogâ docet & hominis dextram aridam sanat Luc. 6 v. 6. & seq Marc. 3. v. 1. & seq. Matth. 12. v. 9. & seq.

Pharisæis consultantibus de ipso intèrficiendo cum Herodianis, secedit cum discipulis indè ad mare Galilæum, & multâ turba ex circumjacentibus regionibus confluente navigium sibi poscit, varios ægrotos restituit, & dæmonia se Dei filium proclamantes, silère jubet & expellit. Marc. cap. 3. v. 6. & seq. Luc. 6. vers. 11, Matth. 12. vers. 14. & seq

Dehinc montem conscendit, inq; precibus pernoctat. Summo verò mane, qvos vellet advocans, ex iis duodecim seligit, qvos Apostolos nominat. Marc. 3. v. 15. & seq. Luc. 6. v. 12. & seq. Cum qvibus è monte descendens in planitie consistit, & multos infirmos & dæmoniacos sanat. Luc. 6 v. 17. 18. 19. Mox iterum in montem ascendit, & longam elegantissimamq; concionem habet Matth. c. 5. & 6. & 7. Luc. 6. v. 20. & seq.

Finito sermone populus obstupescit, sed Jesus de monte descendit & leprosum sibi occurrentem purgat Matth. 8. v. 1. & seq. Dein Capernaum ingredientem, Seniores Judæorum accedunt, eumq; studiosè rogant, ut servum Centurionis, hominis pii, & in Judæos benefici charum sanatum veniat, pauldò post amici Centurionis missi dicunt ejus nomine, ne fatigetur itando, sed verbum saltem eloqvatur &c. Servator fidem prædicat, servumq; absens paralysi liberat Luc. 7. v. 1 & seq. Matt. c. 8. v. 5. & seq.

Posteà Naimum pergens unigenitum viduæ filium, qvi mortuus jam è portâ ad sepulchrum efferebatur, vivum restituit Luc. 7. vers. 11. & seq.

Miraculis hisce ex discipulorum relatione auditis Johannes duos discipulos ad Christum ablegat, qvibus respondet Dominus, ut Johanni referant qvid viderint et audierint. Iis autem abeuntibus, Christus Johannem commendat, Pharisæorum & eorum complicum obstinatam malitiam reprehendit Luc. 7. v. 19. & seq. Matt. 11. v. 1. & seq.

Invitatus à Simone Pharisæo, domum ejus ingressus convivatur. Accedit mulier peccatrix, lachrymis pedes ejus rigat, & crinibus ex-

tergit, osculatur prætereà, & unguento ungit, qvo facto cum hospes offenderetur, Christus ei qvæstionem de duobus debitoribus proponit & ad ejus solutionem amorem mulieris ergase præfert Simonis, eamq; à peccatis absolutam pronunciat Luc. 7. v. 36. & seq.

Posthac Dn. per civitates & vicos iter facit ac Evangelium prædicat comitatus 12. suis discipulis, & qvibusdam mulieribus, qvæ ministrabant eis de facultatibus suis. Luc. 8. v. 1. 2. & 3. & tandem se Capernaum recipit, & in domo dæmoniacum cæcum & mutum liberat, factumq; hoc suum adversus Pharisæos, id Beelzebub ascribentes, defendit Mar. 3. v. 20. & seq. Matth. 12. v. 20. & seq Luc. 11. v. 14. & seq. disserit prætereà de cognatione spirituali, asserens eos sibi loco matris, sororum & fratrum esse, qvi verbum audiunt, & voluntatem patris sui faciunt Matth. c. 12. v. 47. & seq. Marc. 3. v. 31. & seq. Luc. 8 v. 19. 20. 21.

E domo ad mare secedit Matt. 13. v. 1. &, congregata ad eum turbâ plurimâ, navem intrat Mar. 4. v. 1. & populum docet per parabolas 1. de agro qvadruplici Matth. 12. vers. 1. & seq. Marc. 14. vers. 1. & seq. Luc. 8. vers 1. & seq. 2 de lumine qvi non supter mensam, sed in eà ponitur Mar. 4. vers. 21. Luc. 8. vers. 16 3. de zizaniis Matth. 13. v. 24. & seq. 4. de seminante & post qviescente Mar. c. 4. vers. 26. 5. de grano sinapis Matth. 13. v. 31. & seq. Mar. c. 4. 30. & seq. 6. de fermento Matth. 13. v. 33 qvibus post in domo addit non tantum interpretationem de zizaniis Matth. 13 v 36. sed & 7. parabolam de thesauro abscondito. 8. de mercatore margaritas qværente 9. de segenâ bonos simul & malos pisces comprehendente Matth. 13. v. 44. & seq.

Eodem die, cum serum diei esset, cum discipulis navem conscendit, & in puppi cervicali indormiit, oborta autem magnâ tempestate, à discipulis excitatus tempestatem sedat. Mar. 4. vers. 35. & seq. Luc 8 v. 22. & seq. Matt. 8. v. 22. & seq. Matt. 8. v. 23. & seq.

Navigio delatus in regionem Gadarenorum duos dæmoniacos è monumentis sibi occurrentes, in qvorum uno spectaculum omnium fuit atrocissimum, integrâ dæmonum legione liberat, qvi porcos ingressi, eos in mare præcipitant, ut suffocarentur Mar. c. 5 v. 1. & seq. Luc 8. v. 26, & seq. Matt 8. v. 29. et seq.

Cum trajecisset denuò Nazarethum invisit, & repetit illud; *Nullibi Prophetam magis esse inhonoratum, quam in Patria sua &c* Sympatriotarum itaq; admiratus incredulitatem, pauca ob eandem inibi

mira-

miracula patrat Matth. 13. v. 53. & circumjacentes vicos peragrat & docet Marc. 6. v. 6. Videns autem turbam lassam & dissipatam, sicut oves, qvibus non est pastor commiseratione intimâ commotus est super eis, & dicit discipulis: Messis copiosa, est & operarii pauci. Rogate igitur Dominum messis, ut operarios in messem suam extrudat Matth c. 9. v. 35. & seq.

Accersitos itaq; 12. suos discipulos potestate miracula faciendi, & mandatis egregiis instruit, & binos & binos ad prædicandum Evangelium emittit Matth. c. 10. v. 1. et seq. Marc. 6. vers. 7. & seq. Luc. 9. v. 1. & seq.

Apostolis ad Christi mandatum egressis, ipse itidem illinc discedit ad docendum & prædicandum in civitatibus eorum Matth. cap. 11. vers. 1.

Fama Dn. Jesus ejusq; miraculorum ad Herodem perveniente, is Johannem, qvem decollandum curarat, è mortuis resurrexisse dicit, eumq; videre desiderat Matth. 14. v. 1. & seq. Marc. 6. v. 1. & seq. Luc. 9. vers. 7.

Hoc cum auditione accepisset Servator Matth. c. 14. v. 13 ac discipuli etiam reversi enarrarent à se feliciter gesta, cum hisce desertum Bethsaidæ naviculâ petit, paulum reqviete se relaxaturi: Marc. 6. v. 31. Luc. 9. v. 10. Verum populus hoc conspicatus tantâ illuc festinatione tendit, ut Dominum navigatio licet ipsi præberet obsinuum anfractus, compendium itineris, anteverterent. Marc. 6. vers. 33. Dominus itaq; misertus turbæ montem conscendit plebeculamq; admissam longo sermone informat & infirmos sanat idq; eo tempore, qvo Pascha propè fuisse dicitur Joh 6. v 4. & multum viridis jam adesset germinis Mar. 6. v. 39. Inclinante autem die, famelicam videret turbam, eam 5. panibus hordeaceis & 2. tostis piscibus, circiter 5000. virorum, præter mulieres & liberos, licet adessent, cibat & satiat; ut collectis residuis fragmentis 12. cophini implerentur. Populus exsaturatus Jesum proclamat Prophetam illum venturum, cogitatq; eum Regem facere; Sed Dn. recedit in montem ipse solus Joh. 6. v. 1. & seq. Mar. 6. v. 34. & seq. Matth. 14. v. 14. & seq. Luc. 9. v. 11. Discipuli, cum jam esset forum, à Dn. jussi navigium intrant, Capernaum, Domino in monte orante, navigaturi. Sed cum in medio essent mari, & abundis, vento qvippe iis contrario, affligerentur, Dn. custodia qvartâ

qvartâ noctis, eis appropinqvat. Discipuli, viso eo, spectrum rati, præ metu exclamant. Christus verò dicit: confidite, ego sum, nolite timere. Petrus dicit, Domine si tu es, dic, ut ad te veniam: respondet. Jesus, veni. Petrus itaq; navi egressus super mari ad Christum contendit. Videns verò validum ventum cæpit demergi, & Dominum inclamat, qvi mox extensâ manu eum apprehendit. Ingressis eis navim, pacatoq; vento, paulò post ad terram ea appellitur. Matth. 14. v. 22. & seq. Marc. 6. v. 45. et seq. Joh. 6. v. 16. & seq. Postero die qværitur à turbâ & inventus Capernaumi eos ad hortatur, ut operentur (hoc est omni studio & operâ connitantur, ut acqvirant) cibum non periturum, sed permanentem in vitam æternam. Fide autem in filium, qvem Pater misit, eum consequi eos posse, & se esse Manna & panem de cœlo descendentem profitetur. Hoc audito, Judæi murmurant: Verum Christus docet, fidem à Patre suo oriri, suumq; corpus esse verum cibum, & sangvinem verum potum, qvem comedere & bibere (fide scil) eos oporteat, si qvidem vitâ æternâ potiri velint. Offenduntur & multi ejus discipuli, & informati licet pluribus, tamen discedunt. Qværit Dn. Jesus 12. illos, num & illi abire velint? Respondet Petrus, qvorsum iremus? tu habes verba æternæ vitæ. Regerit Dominus non fore constantiam hanc omnium eorum, cum unus (Judas puta Iscarioth) sit diabolus Joh. 6. v. 25. & seq. ad finem. C.

Post mare trajicit, & in terram Genezareth venit, & ægrotos, undiq; conqvisitos & adportatos, in vicis oppidis & agris, etiam solo fimbriæ tactu sanat Matth. 14. v. 34. 35. 36. Marc. 6. v. 54. 55. 56.

III. Pascha anni Mundi 4037. (P. J. 4745.) ætatis Christi veræ 34. Vulgar: 33. Hierosolymis celebratur. Ad hoc Salvator, cum Judæi eum interficere, qværerent, non proficiscitur; sed circumit in in Galilæâ Joh. 7. v. 1.

Contrà veniunt Hierosolymis Pharisæi & Scribæ qvidam, qvi videntes Apostolos illotis manibus, contra traditiones majorum, manducare, cum CHRISTO expostulant. Ille hac occasione traditiones eas reprehendit, ceu mandatum DEI tollentes, cultum hypocriticum inducentes &c. Matth. c. 15. vers. 1. et seq. Marc. 7. v. 1 et seq. A turba domum ingressus monet discipulos, qvi scribas scandalizatos dicerent, ut omittant cæcos duces Matth. vers. 12. 13. 14. et expli-

explicat antè dicta verba, qvæ non intelligebant, v. 15. & seq. Marc. 7. v. 17. & seq.

Discedit hinc in finem Tyri & Sydonis, et ibi filiam mulieris Cananææ Syrophænissæ à dæmone liberat. Matth. 15. v. 21. ad 29. Marc. 7. v. 24. ad 31.

Egreditur è finibus Tyri & Sydonis, & ad mare Galilæum surdum & mutum, miris adhibitis gestibus, sanat Marc. 7. v. 31. & seq.

Ascendit in montem, ac ibi varios multosq; ægrotos curat, & tandem 4. millia virorū, præter mulieres, & liberos, 7. panibus & pauciis pisciculis exsaturat. ut 7. sportas plenas fragmentorum, qvæ superfuerunt, sustulerint Matth. 15. vers. 29. & seq. Marc. 8. v. 1. & seq.

Hinc in fines Magdalæ & Dalmanuthæ navigio venit. Matth. 15. v. 39. Marc. 8. vers. 10. Egressi autem Pharisæi cum Sadducæis eum tentant, signum de cælo poscentes ab ipso. Respondet Salvator ingemiscens, dijudicent signa horum temporum, ut faciem cœli &c. Nec enim præter signum Jonæ ipsis aliud datum iri. Matth. 16. v. 1. ad 5. Mar. c. 8 v. 11. 12.

Missis illis, in ulteriorem ripam trajicit Mar. c. 8. v. 13. Jubet discipulos sibi cavere à fermento Pharisæorum. Cum autem hoc de pane, qvem illi sumere fuerant obliti, intelligerent, Christus eos arguit diffidentiæ, inq; memoriam duo præcedentia miracula multiplicati panis revocat Matth. 16. v. 6. ad 13. Marc. 8. v. 13. ad 22.

Bethsaidam veniens cæco ad se ducto visum restituit primò inchoatè, posteà perfectè Marc. 8. v. 22. ad 27.

In partes Cæsaræ Philippi perveniens ex discipulis qværit, de se qvid homines dicant? Petrus post multorum diversas opiniones, ab aliis discipulis enarratas, veram è suâ & aliorum mente sententiam eloqvitur, & beatus à Christo prædicatur, promittunturq; ei claves regni Cælorum Matth. 16. v. 13. ad 21. Mar. c. 8. v. 27. ad 31. Luc. 9. 18. ad 22.

Ubi dixerat adhuc clam habendum, qvod esset Messias, multa sibi patienda, imò & mors subeunda Hierosolymis, subjicit, & Petrum sibi hac in re refragantem publicè Satanam appellat Matth. 16. v. 21. ad 24. Marc. 8 v. 31. ad 34 Luc. 9. v. 22. Subjungit, omnibus, qvi salvari velint, incumbere, ut se abnegent, crucem portent, & se seqvantur &c. Matth. 16. v. 24. & seq, Marc. 8. v. 34. & seq. Luc. 9. v. 23. ad 27.

Cum dixiſſet, nonnullos adeſſe inter adſtantes, qvi, anteqvam moriantur, gloriæ ſuæ, qvæ crucem ſeqvetur, ſpecimen aliqvod viſuri eſſent, ſextiduo vel octiduo (extremos utrinq; dies adnumerando) poſt in monte Thabor aſcendit, & ibi præſentibus Moſe & Eliâ coram Petro, Jacobo & Johanne transfiguratur. De monte deſcendens Chriſtus præcipit, ne cui de hac gloriâ verba faciant ante ſui à mortuis reſurrectionem Matth. 17. v. 1. ad 10. Marc. 9. v. 1. ad 11. Luc. 9. v. 28 ad 37. Diſcipulis his etiam qværentibus reſpondet, Eliam veniſſe, ſed non fuiſſe agnitum à Judæis, atq; ita intellexere de Johanne eum loqvi Matth. 17. v. 10 ad 14. Marc. 9. v. 11. ad 14.

De monte ad reliqvos rediens diſcipulos, qvod altero factum die, refert Lucas, vidit eos freqvente turbâ ſtipatos, & cum Scribis contendentes. Qværenti autem ei, qvo de diſputarent? ad pedes provolutus qvidam rogat, ut filio ſuo lunatico, qvod diſcipuli neqviverant, opitulari velit, ſi poſſit. Dn increpatâ eorum incredulitate, filium à dæmone liberat, & ferè ab eo exeunte interemptum manu prehensâ, ſanum patri reſtituit Matth. 17. v. 14. ad 19. Marc. 9. v. 14. ad v. 28 Luc. 9. v. 37. ad 44. Privatim exin diſcipulis indicat, incredulitatem obſtitiſſe, qvominus diabolum ejicere potuerint &c. Matth. 17. v. 19. ad 22. Marc. 9. v. 28. ad 29.

Cum iter per Galilæam faceret, ſecundò diſcipulis ſuis futuram ſuam paſſionem, mortem & reſurrectionem patefacit. Matth. 17. v 22. 23. Marc. 9. v. 30. 31. 32.

Capernaum veniens didragma, ſtatere ex ore piſcis accepto, ſolvit. Matth. c. 17. v. 24. usq; ad finem c.

De primatu in viâ cum diſcipuli contendiſſent, eos ad humilitatem, in medium adducto, & in exemplum propoſito puero, exhortatur Marc. 9. v. 33. ad 38. Matth. 18. v. 3. 4.

Cum interim Johannes referret de qvodam, qvi eum non ſeqveretur, & tamen in nomine ejus dæmonia ejiceret, ſeq; eum reprehendiſſe, & hoc ipſi interdixiſſe, adderet, Salvator id non approbat, ejusmodi negat reprehendendos Marc. 9. v. 38. 39. Luc. 9. v. 49 50. & mox ad inſtitutũ redit, & docet, parvulis & diſcipulis ſuis, qvi benefecerint, mercede ſuâ non carituros; qvi verò contempſerint, vel ſcandalo erit, pœnâ affectum iri Matth. 18 v. 6. & ſeq. Marc. 9. verſ. 37. 38. 41. & ſeq. Hac occaſione de ſcandalo pluribus agit, idq; cavendum monet

net, nec qvemqvam tam carum habendum, licet oculi, vel manus, vel pedis instar esse possit, qvin eum mittamus, si scandalum præbuerit. Matth. 18. v. 7. & seq. Marc. 9. v. 43. & seq.

Addit: πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται· Qvæ ita verto: Omnis autem (γὰρ ita etiam accipitur Philip. 3. v. 20. & alibi) igni salietur, & omnis victima sale salietur. Sensus fortè erit: Ut victima reqvirebat & ignem & salem; ita qvisqvis debet, vel cupit esse victima Deo placens & ignem æternum effugere, eum oportet igne & sale divini verbi, crucis & afflictionis &c. saliri, hoc est, à malo purgari, & à corruptione & putredine vindicari &c. Prædicate igitur verbum Dei sincerè & integrè & debito cum Zelo, ita tamen ut sale prudentiæ temperetur, ut pax, qvantum fieri potest, servetur. Marc. 9. v. 49. 50. Agit porrò qvomodo cum fratre peccante, & nos offendente procedendum Matth. 18. v. 15. & seq.

Petrus qværit, qvoties remittendum, sufficiatnè septiès? non septies, sed septuagies septies inqvit Salvator, idq; parabolà de Rege cum servo rationem conferente illustrat Matth. 18. v. 21. & seq.

Cum pedetentim ministerii tempus, qvod assumptionem Servatoris in cœlum præcedere debebat, impleretur, is amplius Judæâ & Hierosolymis abesse noluit, sed faciem obfirmavit, atq; spretis omnibus periculis, planè certoq; constituit in Judæam & Hierosolymam remeare Luc. 9. v. 51.

Nuncios itaq; præmittit, hospitium sibi paraturos Qvod verò Samaritani ipsum recipere detrectarent, Johannes & Jacobus ignem & excidium eis minantur, qvorum præposterum Zelum Christus castigat Luc. 9. v. 52. & seq. In viâ Scribæ se secuturo pauperpatem suam exponit v. 57. & 58. Discipulo sepulturæ curam jubet deponere, atq; ire annunciatum regnum Dei v. 59. 60. Alteri suis, anteqvam seqvatur, valedicturo ait, non esse manum aratro admoventi respiciendum v. 61. 62. Ablegat 70. discipulos, junctis binis, prædicaturos in locis, qvos esset aditurus, eosq; præceptis instruit, & gratiæ contemptoribus malum, atq; hac occasione Chorazim & Bethsaidæ væ denunciat. Luc. 10. v. 1. & seq. Expedito suo negotio, 70. ad Christum, qvi eos absq; dubio ubiq; secutus est, redeunt, felicemq; successum cum gaudio referunt, qvibus Salvator inter alia respondet,

gaudendum eis præprimis, qvod nomen eorum in cœlo scriptum sit. v. 17. & seq.

Festo tabernaculorum instante, cum à suis urgeretur, ut illuc iret, respondet, suum tempus nondum esse &c. Paulo post ad festum seqvitur, sed velut in occulto. Medio festo post longam Judæorum exspectationem in templo cæpit docere & rationem reddit doctrinæ suæ & operum. Varia de eo existunt judicia. Pergit docere; qvare & qvidam ipsum conantur capere, sed frustrà. Multis autem in ipsum credentibus Pharisæi servos emittunt, qvi Dn. apprehendant.

Ultimo festi die sitientes ad se ceu fontem invitat & promittit Spiritum S. in se credentibus. Ministri domum revertuntur, & doctrinam Christi collaudant, qvod ægrè ferentes Pharisæi, populum ei adhærentem dicunt maledictum, qvibus Nicodemus contradicit. Joh. cap. 7.

Sub vesperam in montem oliveti abit ibidem pernoctans, diluculo verò templum repetit & sedens populum docet. Pharisæi adulteram adducunt, & post confusi abeunt. Mulierem itaq; Dn. absolvit & ad vitam meliorem adhortatur Joh. 8. Redit Salvator ad docendi munus & se lumen mundi ostendit, disputat præterea acriter cum Judæis, ut lapidibus sublatis eum petere molirentur, sed Dn. se abscondens exit templo. Joh. 8.

Progressus incidit in cæcum à nativitate, eumq;, postqvam discipulos qværentes edocuerat, neq; parentum neqve proprio peccato huic obvenisse cæcitatem, sed ad operum Dei manifestationem &c. sanaturus in terram exspuit, factoq; luto oculis cæci illinit & jubet, ut in piscinà Silohæ lavaret, & sic videret, qvod & ità evenit. Joh. 9. v. 1. & seq. Judæi calumniantur, & cæcum, qvi Christum defendebat Synagogà ejiciunt. Christus eum recipit & plenius instruit. Joh. 9, v. 8. & seq. Pharisæos malos esse pastores, se autem bonum, multis argumentis demonstrat. Oritur inter auditores propter ipsum denuo dissidium Joh. 10. v. 1. & seq. ad 22. Post egressus Solyma Bethaniam venit et à Martha et Maria exceptus docet. Maria ad pedes ejus sedet et auscultat, et propterea dicitur optimam elegisse partem Luc. 10 v. 38. ad finem. Deinde in loco qvodam docet discipulos rogatus orare Luc 11. v 1. ad 14.

Cum ejiceret dæmonium mutum et admiraretur populus: blasphe-

phemant maligni, et qvidam tentant eum petentes signum. Qvare i- apologiam Ch. opponit calumniantibus Luc. 11. v. 14. ad 27. Mulier extollens vocem beatam prædicat matrem ejus, sed Christus dicit, beatum esse, qvi verbum audit &c. v. 27. 28. 2 Respondet iis, qvi signum desiderabant v. 29. ad 33. 3. admirantibus se esse lumen &c. v 34. 35 36. Hæc cum loqveretur, ad cænam à Pharisæo in vitatur, & mensæ assidet absq; lotione. Hoc miranti Pharisæo Christus grandem dicam scribit, & externan sanctimoniæ larvam detrahit, & væ & Pharisæis & Scribis denunciat v. 37. ad 53.

Scribæ & Pharisæi injuriam hanc vindicaturi varia movent, ut ipsi vel os obturarent, vel in sermonibus caperent c. 11. v. 53. 45 Fit igitur magnus populi concursus, & Salvator monuit discipulos, ut sibi caverent à Pharisæorum fermento & hypocrisi Luc. 12. v. 1. & seq. Deinde metum, qvem ex furore & impetu Pharisæorum conceperant, ipsis demit & providentiam Patris eis proponit & Spiritum Sanctum promittit c. 12. v. 4 & seq. Roganti importuniùs, ut componeret dissidium inter se & fratrem ob hæreditatem, dicit se non constitutum judicem aut partitorem inter eos v. 14. 15. Dehortatur itaq; ab avaritiâ, & subjungit exemplum divitis, qvi cum ager uberes fructus tulisset, cogitabat horrea sua majora exstruere &c. cujus tamen anima proximâ nocte auferenda erat v. 16. ad 22. Deindè discipulos dehortatur à curis temporalium & ad hanc vitam necessariorum v. 22. ad 32.

Redit porro ad sermonem, qvo cæperat animum discipulorum metu liberare v. 31. 32. Adhortatur ad elemosynarum elargitionem v. 33. ad vigilantiam v. 35. & seq. ad 49. Prædicit dissidia ob Evangelium v. 49. ad 54. Reprehendit incuriam hypocrytarum, qvi ex facie cæli de futurâ tempestate vel s- enitate judicant, tempora autem præsentia non item vers. 54. & seq. Et svadet reconciliationem vers. 58.

Audito Pilatum Galilæorum sangvinem miscuisse sacrificiis, ad hortatur ad pœnitentiam, ni velint omnes ita perire. Non enim hos Galilæos vel illos 18. qvos ruina turris Siloah oppressit præ aliis fuisse peccatores. Pœnitentiam itaq; ni egerint, & ipsos perituros. Illustrat id simili à qvodam ficum in vineâ suâ per triennium sterilem exscindere volenti &c. v. 1. ad 10,

In Schola qvadam Sabbato docebat. Cum verò ibi esset mulier

lier qvam 18. annos diabolus incurvarat, impositâ manu sanat. Scholæ principem hoc malè habebat dicentem violari Sabbatū, eum hypocritam Ch. dicit &c. Luc. 13. v. 10. ad 18. * Videns populum lætantem super his, comparat Evangelium sinapis grano; item fermento pauco quod 3. modios possit fermentare, v. 18. ad 22.

Encæniis interfuturus Dn. vicos & urbes pertransit & Hierosolymam pergit Luc. 18. v. 22. in itinere rogatus num pauci sint salvandi, docet id agendum potius, ut per portam angustam ingrediaris cujus ostio semel clauso, non intromittentur, etiamsi prætenderint familiaritatem &c. v. 23. ad 31.

Pharisæis qvibusdam dicentibus, ut fuga se eriperet, siqvidem ab Herode ad necem qværatur. Respondet, Vulpi isti annuncient, & hodiè & cras satis se ab ipso securum fore. Non enim perire Prophetam extra Jerusalem. Hinc Hierosolymitanos homicidii accusat, & extremam desolationem comminatur v. 31. ad finem.

Principi cuidam Pharisæorum in Sabbato cum adesset, hydropicum qvendam sanat, defenditq; factum ab asino in puteum prolabso, qvem etiam Sabbato extrahunt Luc. 14. v. 1. ad 7. πρωτοκλισίας eligentes reprehendit v. 7. ad 12. Docet prætereà non solum divites, sed & pauperes ad cōvivium invitandos qvi cum non poterint, Deus redhostiet v. 12. ad 15. Proponit parabolam de cœnâ magnâ vers. 15. ad 25. Qvisqvis parentes uxorem &c. Christo præfert, nec crucem suam portat, ipsius neqvit esse discipulus v. 25. 26. 27. Probet ergo qvisq; an velit perseverare exemplo extruentis turrem v. 28. ad 31. & suscipientis bellum v. 31. ad 33. Adhibeant itaq; salem prudentiæ Christo ad hæsuri, nè instar salis fatui inutiles inveniantur v. 34. 35.

Appropinqvant publicani & peccatores, qvos cum recipit Salvator, Pharisæi murmurant, Christus se defendit parabola 1. ob ove perdita. 2. dragma amissâ. 3. filio prodigo &c. Luc. c. 15. v. 1. ad finem. Enarrat post parabolam de iniqvo dispensatore, & subjicit explicationem, & dehortatur à servitute Mammonæ Luc. c. 16. v. 1. ad 14. Pharisæi, avari cum essent, hæc audientes sannis eum excipiebant v. 14. Respondet Salvator. eos semet ipsos justificare; Deum autem nosse corda &c. v. 14. & 15. addit: legem & Prophetas esse usq; ad Johannem &c. v. 16. nec apicem de lege periturum: vers. 17. comit-

comittere adulterium, qvi vel dimisſâ uxore aliam vel ab alio dimisſam ducit v. 18. Refert poſteà parabolam vel verius hiſtoriam de divite & Lazaro v 19. & ſeq.

Ad feſtum Encæniorum, qvod 25. כִּסְלֵו vel 6. menſis celebrari ſolebat, profectus Servator in porticu Salomonis ambulat, & à Iudæis circumdatus urgetur, ut tandem palam eloqvatur, num ſit Chriſtus. Salvator regerit, id non ſemel factum, nec tamen eos crediditſſe. Provocat igitur ad ſua opera, qvæ de ſe, aſſerit, teſtimonium perhibere. Eo autem procedente ſermone, ut ſe Patri æqvaret, eum conantur lapidare &c. & poſteà etiam ad necem apprehendere; ſed elabitur Joh. 10. v 22. ad 40. & ſecedit trans Jordanem, ubi Johannes baptizarat, qvo & multi veniunt, & Johannis de eo teſtimonium verum pronunciantes in ipſum credunt v. 40. 41.

Aliqvantum trans Jordanem moratus Hieroſolymam ultimò ad paſſionem & mortem ſuam ſe ſiſtere parat. Cum verò loca, in qvibus ante prædicarat, adhuc ſemel viſitare vellet, itinere flexuoſo multum Hieroſolymam tendit. Pergit enim in regionem Samaritanorum, & per eam in Galilæam, & per hanc trans Jordanem & inde tandem Hieroſolymam. Ingreſſus autem vicum qvendam 10. leproſos ſibi obvios mundat Luc. 17. v. 11. ad 20.

De adventu regni Dei qvæſitus à Phariſæis, reſpondet, non venire id cum obſervatione v. 20. 21. 22. Ad illam igitur diem potius attendant, qvà filius hominis inſtar fulguris venturus, ſecuroſq; oppreſſurus eſt, uti factum tempore diluvii, & Lothi v. 23. ad 37. & fin. c. Precibus igitur continuis opus eſſe, docet Dn. parabola iniqvi Judicis, & viduæ ſæpius inſtantis Luc. 18. v. 1. ad 8. Pauciſſimos qvoq; ſubdit Judicem fideles in ultimo ſuo adventu inventurum v. 8. Enarrat poſt porabolam de Phariſæo & Publicano in templo orantibus v. 9. ad 15.

Ex Galilæâ trans Jordanem iterum digreditur, ibiq; plures ſanat Matth. 19. v. 1. & pro more docet Marc. 10. v. 1.

Veniunt Phariſæi inſidiatores, & movent qvæſtionem de repudio. Reſpondet Dn. non ſeparandos, qvos Deus conjunxit. Objiciunt Moſen repudium conceſſiſſe. Reponit Salvator id ab ipſo factum ob eorum σκληροκαρδίαν. Matth. c. 19. v. 2. ad 10 Marc. c. 10. v. 2. ad 10.

Diſci-

Diſcipulis verò domi ſuper eodem qværentibus, repetit, qvæ Phariſæis reſponſa Marc. 10 v. 10. Cum vero dicerent: non expedire igitur ducere uxorem, ſi ita res ſe habeat. Regerit Dn. non omnibus convenire cælebatum. Capiat ergò, qvi capere poteſt Matth. 19. verſ. 10. ad 13.

Adducuntur infantes, & diſcipuli indignantur, ſed Dn. objurgatis diſcipulis, cum amplexu & manuum impoſitione eis benedicit. Matth. 19. verſ 13. 14. 15. Marc. 10. verſ. 13. ad 17. Luc. 18. verſ. 15. 16. 17.

Domino progrediente accurrit adoleſcens qvidam ex primoribus, qværit de ratione obtinendæ vitæ æternæ Reſp. Chriſtus non eſſe ipſi ignota Dei præcepta. Cum autem ille replicaret, à juventute ſe hæc ſervaſſe, dicit Dn. unicum ipſi deeſſe. Si venderet omnia & pretio inter pauperes diſtributo crucem ſuam acciperet, & ſe ſeqveretur Matth 19. verſ. 16. & ſeq. Marc. 10. verſ. 17. & ſeq. Luc. 18. verſ. 18. & ſeq. Abeunte adoleſcente, Dn. diſſerit de difficultate adipiſcendæ ſalutis æternæ, quam afferunt divitiæ ſuis amatoribus Matth. 19. v. 23. ad 27. Marc. 10. v. 23. ad 28 Luc. 18. v. 24. ad 28.

Petrus ex Domino percontatur, qvid ſperare habeant, cum omnia reliquerint? Reſp. longè maxima. Sed cavendum, ne ex primis fiant ultimi Matth. c. 19. v. 27. ad fin. c. Marc 10. v. 28. ad 32. Luc. 18. v. 28 ad 31. Hoc Dn. Jeſ. illuſtrat parabolâ de patre familiâs variis diei horis operarios in vineam conducente, & tamen æqvalem poſt eis mercedem largiente etc. Matth. c. 20. v. 1. ad 17.

Hieroſolymam tendens diſcipulis prædicit inſtantem ſuam paſſionem mortem & reſurrectionem Matth 20. v. 17. ad 20. Marc. 10. v. 32. ad 35. Luc. 18. v. 31 ad 35.

Mater filiorum Zebedæi cum filiis Dominum accedit, & petit, ut iis in regno ipſius ſedere liceat à dextris & ſiniſtris; ſed Dominus oſtendit petitionem hanc eſſe imprudentem, & cum 10. reliqui indignarentur, Jacobum & Johannem ſibi quærere præeminentiam, Dn. verbis eos ſedat Matth. cap. 20. verſ. 20. & ſeq. ad 29. Marc. 10. verſ. 35. ad 40.

Cum jam appropinquaret Jerichunti cæcus juxta viam ſedens eum ſæpius inclamat, cui ad ſe adduci juſſo viſum reſtituit Luc. 18. v. 35. ad fin. c.

Per-

Pertransiens jam Jerichuntem, in Zachæum sycomoro, quam, ut spectaret Christum, ascenderat, videt, & ad eum mox descendere jussum divertit, eiq; ob resipiscentiam salutem promittit. Subjicit extempló parabolam de homine nobili, qui traditis 10. servis suis 10. minis, proficiscitur in longinquam regionem & post reditum, rationem cum illis init, collaudatisq; frugi servis, inutilem reprobat, cives q;, qvibus fuerat exosus, morte mulctat, Luc. 19. v. 12. ad 28. Matt. 25. v. 14. ad 31.

Egressus Jerichunte duos cæcos, (qvorum unus fuit Bartimæus celebrior & fortè magis clamans: qvare & ipsius saltem Marcus meminit) sedentes juxta viam & mendicantes, multum rogatus visu donat Matth. c. 20. v. 29. & seq. Marc. 10. v. 40. & seq.

Cum antè à Maria & Martha esset Dn. accersitus ad sanandum ægrotantem Lazarum, tandem Bethaniam pergit & Lazarum, qvi quartum jam diem in sepulchro ageret, in vitam revocat, ut multi in ipsum crederent Johan. 11. vers. 1. & seq. ad vers. 46.

Pharisæi cum hæc audirent, è medio tollendum decernunt. Verum Dn. secedit Ephremum, ibiq; commoratur cum discipulis v. 54. Quæritur in templo ab iis, qvi ante Pascha se purificaturi Hierosolymam ascenderant. v. 55. 56. Sed primarii Sacerdotes & Pharisæi præceperant, ut, si quis sciret ubi Jesus esset, indicaret &c. v. 57. Sexto antè Pascha die Bethaniam rursus venit, & in domo Simonis leprosi, præsente & Lazaro conviva, accumbens à Mariâ unguento nardi liqvidæ multi pretii ungitur, murmurat Judas, & alios ad idem suo exemplo allicit; Sed Dn Mariæ factum defendit Matth. c. 26. v. 6. ad 14. Marc. 14. v. 3. ad 10. Joh. 11. v. 1 ad 9.

Multi illuc veniunt, ut Jesum & in primis Lazarum spectarent: sed ἀρχιερεῖς & Lazari vitæ insidias tendebant, quod propter ipsum multi in Christum crederent Joh. 11. v. 9. 10. 11.

Postero, hoc est, 5. ante Pascha die Hierosolyma petit, & Bethphagen veniens asino, ab Apostolis jussu ipsius adducto insidet, & per viam vestimentis ramisq; instratam cum gratulabunda populi acclamatione Hierosolymam pergit Matth. 21. v. 1. ad 10. Marc. 11. v. 1. ad 11. Luc. 19. v. 29. ad 41. Joh. 12. v. 12. & seq.

Urbi jam proximior factus futurum ejus excidium deplorat Luc. 18. v. 41. ad 45.

Invectus urbem templum ingreditur & omnia perlustrat Marc. 11. verf. 11.

Græci eum cupiunt videre v. 20. 21. 22. Dn. eis admiſſis, agit de fructu mortis ſuæ, ſimili à grano tritici deſumto, ſeq; ſecuturos ad vitæ contemptum hortatur v. 23. ad 27. Contriſtatus Patrem invocat, qvi vocem è cælo mittit v. 27. 28. 30.

Poſthæc cum diſcipulis Bethaniam regreditur, & inde altero, hoc eſt, 4. ante Paſcha die Hieroſolymam rurſus tendit: & eſuriens ficui planè ſterili maledicit. Templum ingreſſus ementes & vendentes ejicit &c. Marc. 11. v. 15. ad 19. Matth. c. 2. v. 12. ad 14. Luc. 19. v. 45. & ſeq. multosq; cæcos & claudos in templo ſanat, pueriq; Hoſianna acclamant. Indignantur Phariſæi, ſed Chriſtus eis v. 3. Pſal. 8. obvertit Matth. 21. v. 15. 16. 17.

Urbe exit Bethaniam et die ſequenti, hoc eſt, 3. ante Paſcha Hieroſolymam, mane revertens diſcipulis ficum radicitus arefactam admirantibus dicit: ſi crediderint idem facturos, imo montes translaturos, ſi tamen proximo remiſerint &c. Mar. c. 11. v. 20. ad 27. Matth. 21. v. 20. 21. 22

Templum iterum ingreſſus populum docere cæpit Luc. 20. v. 1. idq; ambulando Marc. 11. v. 27.

Deinde Phariſæis &c. quâ authoritate id faciat, quærentibus reſpondet: ſibi prius dicant, unde baptiſmus Johannis fuerit &c. Marc. 11. verſ. 26. ad fin. c. Matth. 21. v. 23 ad 28 Luc. 20. v 1. ad 9. Subjicit porrò varias parabolas 1. de duobus filiis à patre in vineam laboratum miſſis &c. Matth 21. v. 28. ad 33. 2. de filio familias à viniatoribus trucidato Matth. 21. v, 33. ad fin. c. Marc. 12. v. 1. ad 13. Luc. 20. v. 9. ad 20. 3. de Rege nuptias filio ſuo parante &c. Matth. 22. v. 1. ad 14.

Phariſæi abeunt & conſultant de Domino illaqueando in ſermone ſuo. Mittentes itaq; diſcipulos cum Herodianis ei proponunt qvæſtionem de cenſu Cæſari dando Matth. 22. v. 15. ad 23. Marc. 12. v. 13. ad 18 Luc. 20. v. 20. ad 27.

Dein Sadducæis quæſtionem de reſurrectione moventibus os obturat Matth. 22. v. 23. ad 34. Marc. 12. verſ. 18. ad 28. Luc. 20. verſ. 27. ad 41.

Phariſæi confutatis Sadducæis ſuccedunt, & Dn. interrogant de primo

primo legis mandato, qui dextrè re explicatâ Matth. c. 22. v. 34. ad 41. Marc. 12. v. 28. ad 35. vicissim eos percontatur de Messiâ, cujusnam sit filius? Respondent illi, sed imperfectè, ideò confusi abeunt, & in posterum Dn. interrogationibus tentare supersedent. Matth. 22. v. 41. ad finem. Marc. 12. v. 35. ad 38. Luc. 22. v. 41 ad 45.

Dominus Jesus ad plebem conversus docet Pharisæos & Scribas in Moses cathedrâ sedentes audiendos esse, sed quatenus ex Mose & Prophetis præcipiant, vitanda verò eorum esse opera. Eorum porrò vitia apertè & prolixè depingit, & acerbè insectatur Matth. c. 23. vers. 1. ad 34. Marc. 12. v. 38. ad 41. Luc. 20. v. 45. ad fin.

Prædicit eos & posthac Prophetas à se missos occisuros &c. ut ita mensuram effusi sangvinis à tempore Abelis &c. impleant. His dictis ultimum væ Hierosolymæ acclamat, & minatur ipsis domum, hoc est, templum desolatum & desertum relictumq; iri, usqve ad secundum filii hominis ad judicium adventum Matth. 23. vers. 34. ad finem. C.

E regione Gazophylacii cum consedisset, viduæ pauperculæ. 2. minuta immittentis oblationem omnium aliorum præfert Marc. 12. v. 41. ad fin. Luc 21. v. 1. ad 5.

Egressus templo discipulis magnificam templi structuram mirantibus, eiq; ostentantibus, prædicit, templum hoc solo æquatum, nec lapidem super lapide relictum iri.

Post in monte oleveti sedens ex se discipulis qværentibus tempus desolationis templi & mundi (utrumq; enim cohærere opinabantur) respondet Salvator & prædicit 1. Pseudoprophetas venturos Christi nomen mentientes, à quibus sibi caveant Matth. 24. v. 1. ad 6. Marc. 13. v. 3. ad 7. Luc. 21. v. 8 ad. 9. 2. motus publicos bellorum & seditionum, pestem, terræ motus, persecutiones, universalemque Evangelii prædicationem Matth 24. v. 6. ad 14 Marc. 13. v. 7. ad 14. Luc. 21. v. 9. ad 20. 3. Hierosolymorum πανωλεθρίαν tum certò certius futuram, cum viderint τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως abominationem desolationis stantem in loco sancto, hoc est, exercitum (Romanum) Hierosolymam obsidere &c. Matth. c. 24. v 15. ad 22 Marc. 13. v. 14. ad 21. Luc. 21. vers. 20 ad 25. 4. Repetit pluribus, quod ante de Pseudo-Christis venturis dixerat, quibus fides non habenda,

ſed attendendum potius ad ſuum adventum, qui futurus inſtar fulguris, & ut aquila cadaver involat Matth. 24. v. 23. ad 29. Mar. c. 13. v. 21. ad 24. 5 Enarrat ſigna, quæ in cælo, in terrâ & mari mundi finem antegredientur Luc. 21. verſ. 25. ad 34. Matth. 24. verſ. 29. ad 36. 6. Addit diem & horam adventus hujus nemini, ne Angelis quidem notam eſſe Matth. 24. v. 36. Marc. 13. v. 32. Ut dies diluvii homines ſecuros oppreſſit, ita & tempore adventantis filii hominum rem ſe habituram &c. Matth. 24. v. 36. ad 42. Qvare dehortatur à crapulâ & avaritiâ ad vigilantiam & orationem Luc 21. v. 34. 35 36. Affert duo ſimilia 1. à Patre familias ob furis, quem novit, adventum vigilantis Marc. 24. v. 42. ad 45. 2. à Servo fideli & in fideli Matth. 24. v. 45. ad fin. Mar. 13. verſ. 23. ad fin. Præterea eloquitur parabolas. 1. de 10. virginibus quarum 5. prudentes, 5 verò ſtolidæ Matth. c. 25. v. 1. ad 14. 2. de talentis in ſervos diſtributis, quorum, qui lucrum fecerant, laudantur, & in Domini gaudia intrare jubentur, qui inutilis exſtiterat, vituperatus in tenebras exteriores ejicitur. Matth. 25. v. 14. ad 31. 7. Judicii extremi proceſſum Dn. delineat Matth. 25. v. 31. ad finem.

Hæc prolocutus ait poſt biduum Paſcha fore & filium hominis traditum iri Matth. 26. v. 1. & 2.

Phariſæi conſultant de Chriſto per dolum capiendo Matth. 26. v. 3. ad 6. Marc. 14 v. 1. ad 3. Luc. 22. v. 1. 2.

Judas poſtquam Satanas in ipſum fuerat ingreſſus, ad Pontificem & Phariſæos venit, proditoriam operam ſuam eis offert, &, acceptis 30. argenteis, hoc eſt, Sanctuarii Syclis, ejus prodendi opportunitatem quærit. Matth. 26. verſ. 14. ad 17. Marc. 14 v. 10. 11. Luc. 22. v. 3 ad 7.

Cum adeſſet primus azymorum dies, diſcipulis quærentibus, ubinam Paſcha eſſet parandum? Præcipit Servator Petro & Johanni, ut urbem ingreſſi hominem aquæ lagenam bajulantem ſequantur in domum, quamcunq; intraverit, & ibi in cænaculo à Patrefamilias monſtrato, Paſcha parent, quod & ita factum Marc. 14. v. 12. ad 17. Luc. 22 v. 7. ad 14. Matth. 26. v. 17. ad 19.

Paſcha IV. & ultimum anni P. J. 4746. mundi 4038. ætat. Ch. veri. 35. vulg 33. Dn. cum 12. diſcumbit & agnum Paſchalem comedit. Luc. 22. v. 14. ad 19. Matth. 26. v. 20. Marc. 14. v. 18.

Di-

Discipulorum pedes lavat,&, cur hoc fecerit, explicat Joh. 13. v. 2. ad. 21.

Sacram Cænam instituit Luc. 22. v. 19. ad 21. Matth. 26. v. 26. ad 30. Marc. 14. v. 22. ad 26.

Post ortam denuò inter eos de primatu contentionem sedat Luc. 22. v. 24. ad 31.

Prædicit deindè se à discipulorum uno traditum iri, omnibusq; perplexis, Johanni qvinam is esset, intincto pane & Judæ dato, demonstrat, qvi sumpto eo egreditur Joh. 13. v. 21. ad 31. Luc. 22. v. 21. ad 24. Marc 14. v. 18. ad 22 Matth. 26 v. 21. ad 26. Postmodum Salvator habet concionem, quæ describitur Joh. 13. v. 31. & c. 14. & 15. & 16. Eâ absolutâ, levatis ad cœlum manibus ardentissimas preces fundit Joh. c. 17. v. 1. ad finem cap.

His peractis hymnoq; cantillato, egreditur Dn cum discipulis trans torrentem versus hortum Gethschemane. In viâ prædicit discipulorum à se fugam & Petri trinam abnegationem Matth. 26. vers. 30. ad 36. Marc. 14. vers. 26. ad 32. Luc. 22. vers. 39. Johan. 18. vers. 1. & 2.

In horto passionem suam exorditur, vehementer contristando & sangvine sudando, ter precatur & discipulos, advigilantiam licet & preces invitatos, ter dormientes reperit Matth. 26. v. 36. ad 47. Marc. 14. v. 32. ad 43. Luc. 22. v. 38. ad 47.

Veniente Judâ cum turba multâ comprehenditur, et captivus deducitur ad Hannam, & paulò post ad Caipham, ibi examinatur, verberatur, falsis testimoniis oneratur, & tandem dignus morte ob putatam blasphemiam pronunciatur Matth. 26. v. 47. ad 66. Marc 14. v. 43. ad 64. Luc 22. v. 47. & seq. Joh. 18. v. 2. & seq. ad 25.

Interim dum hæc geruntur, Petrus eodem in palatio ter Dominum Jesum abnegat, & ad secundum gallicinium, Domino ipsum intuente, peccatum suum agnoscit, & egressus foràs flevit amarè Matth. 26. v. 58. & 69. & seq. ad fin. C. Marc. 14. v. 54 & 66. & seq. Luc. 22. vers. 54. & seq. ad 63. Johan. ca. 18. vers. 15. ad 19. & dein vers. 25. ad 28.

Examinatoribus cubitum euntibus, servis Dn. Jesus custodiendis committitur, à qvibus per aliqvod horas nocturnas indignis modis exagitatur Luc. 22. v. 63. ad 66. Matth. 26. v. 67. ad 69.

Mane sequentis diei, qvæ est feria 6. sive dies Veneris omnes ἀρχιερεῖς Scribæ & Seniores & totus Senatus conveniunt & Dn. illuc traductum, cum se filium Dei olim ad judicium venturum denuò fuerat professus, uno ore condemnant Matth. c. 27. Mar. 15. v. 1. Luc. 22. v. 66. & seq.

Dehinc ad Pilatum Judææ Procuratorem Dominus vinctus deducitur. Judas videns eum damnatum, desperat, & projectis in templo argenteis, quibus post concilii decreto figuli ager emitur in sepulchrum peregrinorum, se suspendit Matth. 27. v. 3. ad 11. Act. c. 1. vers. 16. ad 20.

Pilato præsentatus de multis accusatur. Pilatus eum examinat, & cum nihil inveniret, innocentem pronunciat, sed Judæis multum reclamantibus Matth. 27. v. 11. ad 15. Marc. 15. v. 1. ad 6. Luc. 23. v. 1. ad 6. Joh. 18. v. 28. ad 39.

Pilatus cum audiret Christum esse Galilæum, se ejus judicio exoneraturus, ad Herodem ipsum mittit. Herodes eo viso lætatus sperans se miraculum quoddam visurum, multa eum quærit, sed Domino silente. Judæi acriter accusant, Herodes eum cum suis subsannat, & indutum veste albâ ad Pilatum remittit Luc. 22. v. 6. ad 13.

Pilatus de innocentiâ Christi certus non uno modo conatur eum dimittere. Nam primò cum Barnabâ eum collatum populo proponit, ut pro more festi ex hisce qvem velint eligant, sperans fore, ut Jesum pessimo homicidæ præferant; at illi Barrabam sibi dimittendum exposcunt, & Christum cruci suffigendum Matth. 27. v. 15. ad 24. Marc. 15. v. 6. ad 15. Luc. 23 v. 13. ad 23. Joh. 18. v. 39. 40.

Deinde Pilatus Christum vehementissimè flagellatum, & serto spineo coronatum, vesteq; purpureâ dehonestatum Judæis monstrans dicit: Ecce homo. Si vel sic exsatiati acquiescerent, sed illi magis magisq; furentes, ut in crucem tollat, clamant Joh. 19. v. 1. ad 6. Matth. 27. v. 27. ad 31. Marc. 15. v. 15. ad 20.

Pilatus, ut audivit, Christum se filium Dei dixisse, magis timet, & unde sit quærit? Salvatore tacente, Pilatus iratus, se in eum habere vitæ & necis potestatem dicit. Dn. regerit nihil in se eum potestatis habiturum, ni id jam è supernis ipsi esset concessum. Ex eo tempore studet Pilatus eum dimittere. Verum Judæis clamantibus, hujus dimissione eum Cæsaris gratiam amissurum, fractus ille, &, missâ justi-

justitiâ, populo satisfacere cogitat Joh. 19. v. 7. ad 16. Marc. 15. v. 15.

Tribunali igitur insidens, lavatis manibus, & Christo iterum innocentiæ testimonio dato, judicium fert eumq; cruci adjudicat, dimisso Barrabâ circiter horam sextam Joh. 19. v. 13 ad 17. Matth 27. v. 24. ad 27. Mar. 15. v 15. Luc. 23 v. 24. 25.

Traditus Dn. Jesus ad locum supplicii ducitur, suam crucem portans Joh. 19. v. 16, 17. extrà portam eis occurrens Simon Cyrenæus adigitur post Christum, viribus nimis exhaustum, crucem bajulare, Matth. 27. v. 32. Marc. 15. v. 21. Luc. 23 v. 26.

Inter eundum mulierculas sequentes & plangentes, non se, sed imminens ipsis excidium deplorare jubet Luc. 23. ad 32.

Ad montem Calvariæ progresso vinum myrrhatum, cui impii milites acetum & fel miscuerant, obtulerunt, sed cum gustasset, bibere renuit Matth. 27. v. 33, 34. Marc. 15. v 27. 23. Deindè in crucem duos inter latrones, vestibus nudatus agitur, Mar. 15. v. 25, 26. vestimenta ejus à militibus dividuntur Matt. 27. vers. 35. 36. titulus affigitur Matth. 27. v. 37. Luc. 23. v. 38. contumeliis afficitur Matth. 27. v. 39. ad 45. Marc. 15. v. 29. ad 33. Luc. 23. v. 35. ad 38.

Septem verba eloquitur 1. Pater dimitte illis, neq; enim quid faciant, sciunt Luc. 23. v. 34. 2. Matrem Johanni commendans, dicit isti: Ecce Filius tuus, huic, Ecce Mater tua Joh 19 v. 26, 27. 3. Latroni, ut sui regnum suum ingressus reordetur, roganti ait: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso Luc. 23 v. 43. 4. Circa 9. horam exlamat, Deus mi, Deus mi quare me dereliquisti? Matth. 27. v. 46. & Marc. 15, v, 34. 5. Ut Scriptura impleretur dicit: Sitio Joh. 19. v. 28. 6. Potatus aceto dicit, consummatum est Ioh, 19, v, 29, 30. 7. Cum clamore magno ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, & inclinato capite spiritum emisit Luc. 23. v. 46. Ioh. 19. v. 30. Matth. 27 v. 50. Mar. 25. v. 37.

Interim dum Dn. in cruce pendet, fit maxima & extraordinaria Eclipsis ab horâ 6. ad 9. Marc. 15. v. 33, Luc. 23. v. 44, 45. Matt. 27, v. 45.

Moriente autem eo, laceratur velum templi: Fit terræ motus: Centurio & multi alii innocentiam ejus agnoscunt, eumq; virum probum, & filium Dei profitentur Matth. 27, v. 51, ad 55, Marc. 15, v. 38, 39, Luc. 23, v. 47, 48.

Latronibus crura franguntur, sed Christo, cum jam mortuus esset,

esset, lanceâ aperitur latus, unde profluxit sangvis & aqua Iohan. 19, v. 31, ad 38.

Post hæc Iosephus à Pilato corpus Domini nactus, unà cum adveniente Nicodemo, id honorificè sepelit, & in horto novo sepulchro imponunt, spectantibus id piis quibusdam mulierculis Matth. 27, v. 57, ad 60. Mar. 15, v. 42, adfin. c. Luc. 23, v. 50, ad 56, Iohan. 19, v. 38, ad fin. c. Sequenti die, qui est feria 7, Sabbatum magnum ἀρχιερεῖς & Pharisæi, Pilato concedente, sepulchrum Domini, lapide obsignato & ad hibitis custodibus, muniunt Matth. 27, vers. 62, ad fin. c.

Die Sabbatum sequente, hoc est, feria prima Dominus resurgit. Testantur id Angeli, & Dominus quarter se vivum exhibet. Qvia autem duæ priores apparitiones non parum difficultatis habent, quod Evangelistæ diversimodè recensere videantur, placet paulò pluribus eas explicare. Cum Salvatòr mediâ nocte redivivus è sepulchro prodiisset, & mulieres visitatum venturi essent, Angelus in magno terræ motu è cœlo descendens, lapidem ab ostio sepulchri removet. Custodes timore fermè enecantur, & ad se redeuntes in urbem contendunt. Venit intereà Maria Magdalena & altera Maria ad sepulchrum, cum adhuc tenebræ essent, spectatum, ut res se habeat. Deprehendentes autem lapidem devolutum, abeunt, Maria Magdalena Petro & Iohanni nunciat, Dominum è sepulchro ablatum. Petrus itaq; & Iohannes ad monumentum festinant, & in eo visis linteaminibus & sudario, ad suos regrediuntur. Maria Magdalena verò eos secuta ad monumentum, foris stat plorans, & inclinans se in sepulchrum videt duos Angelos, quorum unus dicit, quid ploras? respondet, abstulerunt Dom. Hæc dicens se retrorsum vertit, & Dominum conspicit, qui itidem, cur ploret? quærit. Maria opinata eum esse hortulanum, dicit, si tu eum abstulisti, dic, ubi posueris, & ego tollam. Dominus autem dicit: Maria. Illa jam eum agnoscens dicit: Rabbuni. Iesus dicit: ne me tangito, hoc est, ne me amplexando tempus teras, cum nondum ascendo &c. sed ito celeriter, & dic discipulis. Quare ad discipulos itans eis enunciat, quod Dominum viderit, & qvid dixerit Matth. 28. vers. 1. ad 5. Ioh. 20. vers. 1. ad vers. 19. Luc. 24. vers. 10, 11, 12.

Interim reliquæ mulieres, quibus cum antè Maria Magdalena & altera Maria aromata emerant, & unguenta pararant, ad sepulchrum veniunt, oriente sole, &, cũ ignorarent, quæ ibi facta essent, sollicitæ sunt de lapide devolvendo, verum illuc respicientes vident devolutum, & ingressæ non inveniunt corpus Domini, & ob id attonitæ conspicantur Angelos, qui nunciant Dn. resurrexisse, debêre igitur eas mox Apostolis idem renunciare, & ut in Galilæam se conferant, ubi sint eum visuri. Marc. 16. v. 1. ad 14. Luc. 24. v. 1. ad 12. Matth. 28. v. 5. ad 9. Illis cum timore & gaudio ad discipulos festinantibus, Christus ipse apparet, & eadem, quæ Angelorum unus antè, præcipit Matth. 28. v. 9. 10.

Dum hæc geruntur, custodes in urbem regressi, Pontifici & aliis, quæ accidere, renunciant, & ab his pecunia corrupti post divulgant, corpus Christi crucifixi à discipulis furto ablatum Matth. 28. vers. 11. ad 16

Post hæc eodem die duobus è discipulis Emaus euntibus se comitem ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ præbet, & post longum cum eis colloquium in discubitu, dum frangeret panem, agnitus disparuit Luc. 24. v. 13. & seq. Mar. 16. v. 12. 13.

Mox eàdem vesperà reversi Hierosolymam, à discipulis audiunt Dn. verè resurrexisse, et Simoni apparuisse quibus & ipsi referunt, quæ in viâ & diversorio Emauntico sibi evenêre Luc. 24. v. 32. ad 36.

De hisce ipsis loquentibus, cum fores essent clausæ ob metum Judæorum, Dn. in medio eorum comparet, pacemq; precatus manus & pedes suos eis exhibet, cum eis comedit, Scripturam explicat & Spiritu S. dato, potestate remittendi & retinendi peccata instruit. Luc. 24. v. 36. & seq. Joh. 20. v. 19. ad 26.

Thomas discipulorum testimonio fidem non habens, quod, Dn. se vivum eis monstrante, ab fuisset, octavo post die eis adest. Jesus igitur janius clausis, viciscim venit & inopinatò eis adsistens pacem precatur, & mox Thomam ad se vocatum in viam reducit. Joh. 20. v. 26. ad 30.

Posteà à Petro, Thomâ, Nathaneele, Jacobo aliisq; duobus discipulis in mari Galilææ vel Tyberiadis piscantibus, cum ejus, incogniti licet, jussu ingentem piscium vim conclusissent, tandem agnoscitur, & sumpto cum ipsis cibo, Petro seorsim ter suas oves pascen-

das committit, utq; se abjectâ de Johanne curâ, sequatur præcipit Joh. c. 21. v. 1. & seq.

Postmodum discipuli iverunt in Galilæam in constitutum montem (qui existimatur fuisse Thabor) ibiq; Dominum Jesum viderunt ipsi, & 500 fratres. Dixit autem Apostolis: sibi datam omnem potestatem in cœlo & in terrâ. Jubet igitur eos ire in universum mundum, & prædicare Evangelium, & baptizare &c. Promittit etiam suam ipsis præsentiam & miracula, quæ credentes subsecutura erant Matth. 28. v. 16. & seq. Marc. 16. v. 15. & seq. His dictis, eos Hierosolymis jubet subsistere, & expectare promissum patris Luc. 24. v. 49. & in Act. c. 1. v. 4 5.

Deniq; eos Bethaniam in montem oliveti educit, & postquam percunctātibus, num jam esset restituturus regnū Israelis respondisset, ipsorum non esse in hæc inquirere, quæ Pater suæ reservavit potestati, sed potius acceptâ virtute Spiritus S. suos esse testes & orbem terrarum sub obsequium fidei cogere Luc. 24. v. 50. Act. 1. v. 6. 7. 8.

Apostoli Hierosolymam se recipiunt, ibiq; commorantur, & concorditer in oratione perdurant Act. 1 v. 12. & seq.

His in diebus Petrus surgit in medio discipulorum quasi centum & viginti, & dicit per Davidem ante prædictum, quæ Judæ acciderunt, atq; alium in ipsius locum esse surrogandum, qui cum ipsis sit testis resurrectionis. Duos itaq; nimirum Josephum Barsabam & Matthiam statuerunt, Deûq; orantes sortem jecerunt, & Matthiam, super quem sors ceciderat, communibus suffragiis elegerunt Act. 1. v. 15 ad fin.

Die 10. post ascensionem Dn. in ipso Pentecostes festo, Spiritus Sanctus visibili specie effunditur super Apostolos, qui ipsius donis pleni magnalia Dei variis lingvis eloquuntur. Auditorum quidam admirantur, quidam rident, eosq; ebrios asserunt. Verum Petrus eos refutat, hacq; suâ prima concione 3000. hominum convertit & baptizat. Act. 2.

Petrus & Johannes templum intraturi claudum ab utero sanant. Populus admiratur, sed Petrus eos ad Christum deducit adhortatus, ut acti pœnitentiâ, eum, ceu Principem vitæ, resuscitatum, in cœlis regnantem, Prophetam magnum promissum, fide recipiant Act. 3. v. 1. & seq.

E templo Petrus & Johannes vespere abrepti in custodiam traduntur

duntur, & sequenti mane judicio Pontificum (Hannæ, Caiphæ &c.) & Seniorum sistuntur. Petrus Spiritu Sancto plenus profitetur in nomine Jesu, lapidis angularis & unici Salvatoris, claudum hunc esse sanatum Act. 4. v. 1. ad 13. Senatus, multis jactatis minis, eos dimittit. vers. 13. ad 23. qui ad suos reversi preces ad Deum fundunt vers. 23. ad 32.

Fidelium cœtus bona sua habent communia, & Apostoli magnâ cum virtute docent, & multi, quos inter fuit Joses, cognamento Barnabas, sua divendunt, & pretium allatum ad pedes Apostolorum deponunt Act. 4.

Ananias & Saphira uxor ejus Spiritui Sancto mentiti subitô collabuntur & exanimantur. Multa per Apostolos eduntur miracula, & multitudo credentium accescit. Apostoli in carcerem conjiciuntur, & ab Angelo educti in templo docent. Senatus mittit adductum eos, sed, in carcere nemine invento, turbantur. Mox audito, eos in templo docere, indè per Præfectum Concilio sistuntur, à quo rogati, cur mandatis non paruerint? respondet Petrus: Deo magis obediendum quam hominibus, ac pergit de Christo ejusq; resurrectione intrepidus testari. Senatus, his auditis, frendens eos interimere cogitat, sed Gamalielis consilio, vita concessâ, eos virgis cædunt, & multum minati dimittunt. Illi gaudentes abeunt, & quotidiè in templo & domatim docere non cessant c. 5 v. 1. & seq.

Murmurantibus Græcis 7. Diaconi eliguntur. Verbum DEI crescit, & multi etiam è Sacerdotibus fidei obediunt. Stephanus fide & miraculis clarus adversarios convincit, à qvibus ad Senatum raptus, subornatis falsis testibus, calumniarum adversus templum, et Legem accusatur c. 6. Stephanus prolixâ concione habitâ, tandem subjicit, eos semper Spiritui S. resistere, ad exemplum majorum, qui persecuti trucidarunt Prophetas, prædicentes adventum hujus justi, cujus proditores & interfectores facti sint. Hæc ubi audirent, ira exardescentes dentibus stridebant. Cum verò pergeret & diceret: Ecce cœlum video apertum, & filium hominis adstantem ad dextram Dei, magnâ voce clamantes auresq; suas obturantes, omnes in ipsum irruunt, & ejectum extra urbem lapidibus obruunt, orantem pro eis & spiritum Jesu commendantem c. 7.

Ecclesia magnam persecutionem patitur et dispergitur, Apostolis

tamen Hierosolymis manentibus. Stephanus sepelitur & lugetur. Saulus Ecclesiam devastat. Philippus in quadam urbe Samariæ Christum prædicat, & inter alios & Simonem Magum convertit, & baptizat Petrus & Johannes Hierosolymis veniunt & Deum precati conversos, impositis eis manibus, Spiritus S. donis instruunt Simon Magus eandem facultatem donandi Spiritum S. emere volens, à Petro severè increpatur, &, ut serio resipiscat, commonetur. Dynastes Candaces Reginæ Æthiopum Hierosolymis, ubi adoraverat, reversus in curru sedet & legit Esaiam. Philippus ab Angelo missus eum informat, & jam credentem in Christum baptizat. Quo facto, Philippus à Spiritu Domini abripitur, & Æthiops lætus ad suos redit cap. 8.

Intereà Paulus adhuc spirans minas & cædes adversus discipulos Domini, acceptis à Pontifice literis, Damascum proficiscitur, & in itinere convertitur. Nam appropinquans Damasco, fulgore è cælo territus cadit in terram, & Damascum deductus, Ananiâ manum ei imponente, visum recipit, & baptizatur. Mox in Synagogis Christum incipit prædicare, & magis sese corroborans Judæos confundit &, collatis testimoniis, eum Messiam esse demonstrat Act. 9. v. 1. ad 23. Discedit indè in Arabiam & docet Evagelium Gal. 1. v. 17.

Anno Mundi 4041. Christi, juxta æram vulgarem, 36. veram 38. Paulus tertio à suâ conversione anno ex Arabia Damascum redit, &, cum insidiæ ipsi tenderentur, atq; Ethnarcha Aretæ Regis eum esset prehensurus, per fenestram in corbe fune per mænia dimissus Act. 9. v. 23. ad 26. 2. Corr. 11. v. 32. 33. Hierosolymam tendit & à Barnaba ad Petrum & Jacobum (Gal. 1. v. 18. 19.) deductus eos alloquitur, & 15. dies apud ipsos moratus Evangelium docet. Sed qvando & ibi insidiæ ipsi struerentur, fratres eum nocte Cæsariam deductum in Ciliciam mittunt Act. 9. v. 26 ad 31.

Civitates Petrus pertransiens, Lyddæ Æneam 8. annis paralyticum sanat Act. 9 v. 32 ad 36. & posteà Joppam vocatus Tabitham è mortuis resuscitat, multosq; dies apud Simonem coriarium habitat v. 36. ad fin c.

Cornelius Centurio Cæsariæ Angeli jussu accersit Petrum, qui visione singulari edoctus, discrimen inter Judæos & Gentes jam esse sublatum, & ad Evangelii consortium Gentes etiam admittendas, cum

cum servis ejus Cæsariam profectus Cornelio & aliis ibi præsentibus Evangelium prædicat, eosq; Spiritu Sancto donatos baptizari jubet. Act. c. 10. v. 1. & seq.

Petrus Hierosolymam reversus reprehenditur, quod ad gentes introjerit, sed, eo facti rationem reddente, acquiescunt cap. 11. v. 1. ad 19.

Dispersi ex afflictione, ob Stephanum ortâ, transierant usque in Phæniciam, Cyprum & Antiochiam non nisi Judæis concionantes v. 19. Sed quidam ex eis Cyprij & Cyrenenses Antiochiam ingressi loquuntur etiam Græcis (Ethnicis) & multos ad fidem convertunt v. 20. 21. Rumore hoc perveniente ad Ecclesiam Hierosolymitanam, Barnabas illuc ablegatur, qui visâ Dei gratia, eos hortatur, ut sint constantes v. 22. 23, 24. Proficiscitur Barnabas Tarsum, & Paulum ibi inventum Antiochiam deducit, ubi integrum docent annum, & discipuli primum ibi Christiani appellantur v. 25, 26.

Agabus prædicit famem v. 27, 28. Antiocheni Hierosolymitanis Christianis eleemosynam mittunt per Barnabam & Saulum v. 29. 30. Paulus & Barnabas, exhibitâ eleemosynâ, Antiochiam, assumpto Johanne Marco, revertuntur Act. 12. v. 25.

Barnabas & Paulus à Spiritu S. emissi Antiochiâ abeunt Seleuciam, inde in Cyprum navigant, & Salamine in Synagogâ uerbum Dei annunciant. Act. 13. v. 1. ad 6. Transeunt post per Insulam & Paphum veniunt, ubi Elyma Mago, aliàs Bar-Jehu dicto, qvi verbo resistebat à Petro cæcitate percusso, Sergius Paulus Proconsul convertitur Act. 13 v. 6. & seq.

Paulus & Barnabas Papho veniunt Pergem Pamphiliæ, ubi Johannes Marcus ab eis discedit Hierosolymam; Ipsi verò peragratis regionibus veniunt Antiochiam Pisidiæ, & Sabbatho in Synagogâ Paulus prædicat, & ab alto repetit beneficia Dei, populo Judaico collata usq; ad Davidem, ac docet ex semine hujus Jesum genitum, à Baptistâ prædicatum, à populo occisum, & à Deo resuscitatum, ut David prædixerat, per quem est remissio peccatorum & justitia. Ne igitur contemnant v. 14. ad 42. Quidam credunt, qvidam sequenti Sabbato eis contradicunt, undè, relictis Judæis, se ad Gentes convertunt, & multos ad fidem perducunt. Judæi autem persecutionem excitant, ut Paulus & Barnabas finibus illis pellantur v. 42. ad 53

Veniunt Iconium, & ibi non parvo tempore prædicant, miracula patrant, & multos convertunt, tandem intelligentes, Gentes & Judæos malum machinari, fugiunt in civitates Lycaoniæ c. 14. v. 1. ad 6. Matthæus dicitur anno Ch. 41. qvi est M. 4046. Evangelium suum scripsisse. Lystris claudum ab utero sanant & propterea pro Diis habentur, & vix eos cohibent, ne Sacra eis facerent v. 6. ad 19. Paulò post Lystrani ab Antiochenis Judæis commoti Paulum lapidant, & pro mortuo efferunt, sed ad se is redit, in urbem regreditur & postridie cum Barnaba Derben proficiscitur, ubi annunciato Evangelio multos discipulos facit. Indè revertuntur Lystram, Iconium, & Antiochiam Pisidiæ, & discipulos confirmant & ad perseverantiam exhortantur, creant etiam presbyteros per singulas Ecclesias vers. 19. ad 24. Marcus juxta Chrysostomum Evangelium suum scripsit 10. anno post Christi ascensionem, hoc est anno Ch. vul. 43. Mundi 4048.

Anno in 4049. æræ Ch. vulgaris 44 veræ 46. Herodes Agrippa Rex Jacobum Apostolum fratrem Johannis Evangelistæ, gladio interimit, & Petrum qvoq; post Pascha interficiendum in carcerem detrudit, sed Ecclesiâ indesinenter orante, indè per Angelum liberatur c. 12. v. 1. & seq.

Agrippa Cæsariam descendit, arma Tyriis intentata ponit v. 19. ad 21. Dein, cum ludos ibi exhiberet, & divinos honores, qvi sibi à blandiente populo offerebantur, non recusaret, divinitùs percutitur & 5. die à vermibus corrosus interit Act. 12. v. 19. ad 24. Joseph. Antiq. l. 19 c. ultim.

Paulus & Barnabas, peragratâ Pisidiâ, veniunt in Pamphyliam, & Pergæ locuti verbum Dei, Attaliam indè navigant, & Antiochiam Syriæ, unde fuerant emissi à Sp. S. pervenientes cætui congregato gesta per Dei gratiam, enarrant c 14. v. 24. ad fin.

Anno Mundi 4053. Christ. vul. 48. veræ. 50. Paulus post 14 à suâ conversione annos Gal. 2. v. 1 ortâ qvæstione de necessitate circumcisionis, cum Barnaba & qvibusdam aliis Hierosolymam mittitur. Ubi *primum* celebratur concilium, inq; eo decernitur, non nisi per gratiam Jesu Christi nos servari &c. Decretum hoc literis mandatum à Paulo & Barnabâ, additis ex Hierosolymitanis Judâ & Silâ, Ecclesiæ Antiochenæ exhibetur c 15. v. 1. & seq.

Circa hoc tempus 15. scil. anno post Christi ascensionem Lucas suum

suum Evangelium scripsisse dicitur. Paulò post venit Petrus Antiochiam, &c, cum non recto pede incederet, à Paulo apertè reprehenditur Gal. 2. v. 11. & seq.

Paulus & Barnabas Ecclesias visitaturi ob Johannem Marcum dissentiunt, adeò ut Barnabas sibi adjuncto Joh. Marco in Cyprum navigaret, & Paulus, electo Sylâ, peragraret Syriam & Cyliciam & Ecclesias confirmaret Act. 15. v. 35. ad fin.

Paulus Lystris Thimotheum circumcisum sibi jungit c. 16. v. 1. ad 14. Petranseuntes autem urbes tradunt eis servanda Hierosolymis decreta v. 4. ad 6. In Phrygiâ, Galatiâ & Mysiâ eloqvi sermonem prohibiti, Troadem iter faciunt, inde in Macedoniam per virum in somnis venire rogati, contendunt, & per Samotraciam & Neapolin Philippos pergunt, ubi Paulus Lydiam Porphyropolin convertit c. 16. v. 6. ad 16. & Pythonem ex ancillâ ejicit v. 16, 17. 18. propterea virgis cæsi in carcerem conjiciuntur v. 19, ad 25. Eis inibi orantibus, terræ motus existit, hinc aperiuntur fores carceris, & hujus custos convertitur, & Paulus & Sylas à magistratu deprecante dimissi abeunt vers. 25. ad fin.

Per Amphipolin & Appolloniam euntes Thessalonicam progressi in Synagogâ tribus Sabbatis Sacram Scripturam eis explicat Paulus docens, Christum oportere pati & resurgere & hunc esse Jesum; qvibusdam credentibus, aliis verò tumultum cientibus, nocte à fratribus Beroam dimittuntur, ubi multi credunt & qvotidie Scripturas scrutantur &c. c. 17. v. 1. ad 13.

Anno Mundi 4055. Christi juxta Comp. veram. 52. juxt vul. 50. Indè Paulus discedere coactus relicto ibi Syla & Timotheo Athenas devenit, cum Epicureis & Stoicis disputat, & in Areopagū delatus annunciat Deum ignotum, veram rationem colendi Deum, nobis proximum, omnibus, qvod judicaturus sit olim orbem, offerentem pœnitentiā & fidem, ut Dionysius Areopagita & alii fidem reciperent c. 17 v. 13. ad fin.

Paulus digressus Athenis Corinthum *circa autumnum* apud Aqvilam & Priscillam divertitur, & scenas texit, & docet in Scholâ. Venientibus autem Silâ & Timotheo, testificatur Judæis Jesum esse Christum; sed blasphemantibus qvibusdam vestimenta sua excutit, & se ad gentes profecturum dicit. Crispus autem crediderat & multi alii, qvi baptizabantur. Dominus nocte Paulum per visionem consolatur:

ſolatur. Coram Gallione fruſtrà accuſatur. Soſthenes verberatur. Paulus tandem elapſo ſes qvi anno, in vere anni ad M. 4057. ær Ch. ver. 54. vulg. 52. diſcedit Corintho cum Aqvilâ & Priſcillâ & poſtqvam Cenchreis caput totondiſſet, Epheſum & in Scholâ cum Judæis confert & mox Hieroſolymam ad feſtum properat. Indè digreditur Antiochiam, & tranſiens Galatiam ac Phrygiam confirmat diſcipulos Act. 18. v. 1. ad 24 Interim Apollo Epheſum veniens, ab Aqvilà exqviſitius inſtitutus magno cum fructu docet v. 24 ad fin.

Anno Mundi 4058. Ch. æra. ver. 55. vulg. 53. Paulus peragratis ſuperioribus provinciis Epheſum redit, ibiq; 12. viris à Johanne baptizatis impoſitione manuum Spiritus S. dona ſingularia confert c. 19. v. 1. ad 8. atq; docet biennium tum in Synagâ, tum Scholâ Tyranni, & magna edit miracula. Exorciſtæ 7. à Dæmone cæduntur, libri artium malarum comburuntur. Paulus cogitat Hieroſolymam et poſt Romam. Prius itaq; Macedoniam & Achajam peragraturus præmittit Timotheum & Eraſtum v. 8. & ſeq. ad 23.

Anno Mundi 4060. æt Ch. v. 57. vul 55. ſcripſit hic Epheſi Paulus priorem epiſtolam ad Corinthios, non verò Philippis, ut ſubſcriptio habet. Nam c. 16. v. 8 hujus epiſtolæ dicit, ſe manſurum Epheſi usq; ad Pentecoſten, & v. 19. ſalutat Corinthios nomine Aqvilæ & Priſcillæ, qvi tum Epheſi erant. Demetrius, argentarius faber, magnam ſeditionem in Paulum excitat Act. 19. v. 23 ad fin.

Ceſſante ſeditione hac diſcedit in Græciam & pervenit Philippos, ubi exarat poſteriorem Epiſtolam ad Corinthios, illosq; certos facit de periculo ſuo in Aſiâ Epheſi c. 1 v. 8. & ſeq.

Dein Nicopolin contendit, & indè miſit epiſtolam ad Titum, & ibi etiam hybernavit Tit. 3. v. 12.

Dum Corinthi hæret, ſcripſit Epiſtolam ad Romanos, inqve eâ Aqvilam & Priſcillam ſalutat c. 16. v. 3

Voluit navigare in Syriam (et inde Hieroſolymam,) ſed inſidiis Judæorum impulſus revertitur in Macedoniam Act. 20. v. 3. Poſt feſtum Paſcatos anni M. 4061 æt. Ch. v. 58. vul. 56 Philippis Troada venit, atq; ibi in Sabbatho concionans ſermonem protraxit in mediam noctem, & Eutichum, qvi ſomno gravatus ex tertio cænaculo deciderat, reſuſcitat. v. 4. ad 13. Indè poſt 6. dies pergit Miletum, ubi Senioribus Epheſinis accerſitis, in memoriam revocat fidelitatem & laborem

ſuo

ſuo inter eos in officio, prædicit ſibi Hieroſolymis obventurum malum, indicat ſe eis omne conſilium Dei aperuiſſe, & adhortatus ad paſcendam gregem, & ad vigilandum contra lupos è medio eorum ſurrecturos, Deo eos commendat. Qvo facto procumbit, & cum omnibus orat, & multis cum lachrymis ad navem deducitur. v. 33. ad fin.

Mileto Tyrum c. 21. v. 1. ad 7. indè Ptolomaida mari venit, terrâ inde Cæſaream ad Philippum, cui 4. filiæ Propheti ſſæ, divertit v. 8. 9 & Agabus illuc veniens Paulo vincula Hieroſolymis, expectanda prædicit v. 10. 11. Paulus, fruſtrà eis dehortantibus Hieroſolymam tendit, ubi de conſilio Jacobi & aliorum, caput radens in templo dies purificationis obſervat v. 12. ad 27. Judæi Aſiatici eum videntes, motâ ſeditione, è templo raptum interficere conantur, ſed Lyſias Tribunus, cum militibus accurrens, eum eripit & vincit. Loqvendi veniam Paulus ad populum impetrat c. 21. v. 27. ad fin.

Motâ igitur manu hebraicè ad populum verba facit, enarrans converſionis ſuæ hiſtoriam, qvo Dn. ſibi in viâ apparuerit c. 22. v. 1. ad 17. & poſt (tertio ſciſ. ab indè anno) in templo ſeq; ad gentes miſerit v. 17. ad 22. Qvo audito, clamitant, eum tollendum &c. Tribunus jubet eum flagris examinari, ſed Paulus jure civium Romanorum ſe tuetur v. 22. ad 30.

Poſtero die Paulus coram Concilio Judaico conſtitutus c. 22. v. 30. dicturus cauſam, ab Ananiâ jubetur cædi c. 23. v. 1. ad 6. Profeſſus ſe Phariſæum & ob ſpem reſurrectionis accuſatum v. 6. 7. à Phariſæis contrà Sadducæos defenditur v. 7. ad 10. Ingraveſcente autem tumultu in caſtra portatur v. 10. Noctu Dn. Jeſus illi adſtans conſolatur & Romæ eodem modo teſtificaturum prædicit v. 11. Inſidiæ ponuntur Paulo, de qvibus indicio adoleſcentis, qvi Pauli ſororis erat filius, certior factus Tribunus Paulum Felici Præſidi Cæſaream mittit cum additis literis v. 17. ad 33. Felix Epiſtolâ lectâ, in prætorio Herodis Paulum cuſtodiri jubet v. 33. ad fin.

Elapſis 5. diebus Pontifex Ananias cum Senioribus deſcendit Cæſaream, & Oratore Tertullo Paulum accuſant c. 24. verſ. 1. ad 10. Reſpondet ille, ſe nullam moviſſe ſeditionem v. 10, 11. profitetur ſe Chriſtianum, ac ſervire ſe Deo majorum ſuorum, credere legi & Prophetis, ſperare reſurrectionem & idcircò ſtudère ſe bonæ conſcientiæ

verſ. 12. ad 17. attuliſſe eleemoſynam, &c. verſ. 17. & ſeq. Felix judicium differt, & concedit Paulo mitiorem cuſtodiam v. 22. 23. Poſt aliqvot dies cum uxore Druſillâ audit Paulum concionantem de juſtitia, continentiâ & futuro judicio, & pavore perculſus abit verſ. 24. 25. Sperans autem pecuniam ſibi datum iri, crebrò eum accerſit & cum eo loqvitur v. 26. Sed elapſo biennio captivitatis Paulinæ Portio Feſto adventante, provinciâ decedit anno Mundi 4063. Ch. v. 60. vulg. 58. & Paulum vinctum relinqvit v. 27 & ult.

Notetur hîc: Biennium hoc non poſſe intelligi de tempore, qvo Felix, in exilium moto Cumano, ſolus Judæam obtinuit, ut Abraham Bucholzerus & alii volunt. Nam Felicem plures duobus annis Judææ etiam poſt exilium Cumani, præfuiſſe ex Tacito, Joſepho, & Egeſippo haût difficulter probari poteſt. Cumanus namqve in exilium à Claudio pellitur, & Felix Judææ toti (cujus partem juxta Tacitum anteà Cumanus adminiſtrarat) præficitur anno P. J. 4765. M. 4057. Ch. ver. 54. vulg 52. Conſul. Cornelio Sylla Fauſto, & L. Salvio Otthone Taci. l. 12. Annal. circa feſtum Paſchatos, vel certè non multò poſt. Nero verò ſuccedit anno abhinc 3. die 13. Octobris, qvo mortuus eſt Claudius & aliqvot annos adhuc Felici Judææ adminiſtrationem permiſit. Refert enim Joſephus l. 2. ἁλώσεως c. 22. Neronem nactum imperium regno Aggrippæ addidiſſe 4. urbes, Abilam & Juliadem in Peræâ, & Tarichæam, & Tiberiadem in Galilæâ ſitas, reſiduam Judæam Felici gubernandam commiſiſſe. Felix hic repurgavit Judæam à latronibus, poſtmodum per ſicarios Sacerdotem ſummum, à qvo fuerat ad majorem diligentiam in officio adhibendam admonitus, interfici clanculum curat, cujus occaſione factio ſicariorum crevit & Judææ multum fuit moleſta. Nam multos in feſtis etiam in ipſo templo impune interfecère. Deindè varii orti ſunt peſſimorum hominum tumultus & ſeditiones, qvos Felix compreſſit. Inter hos & eſt Ægyptius ille, qvem Lyſias Tribunus poſtea putat fuiſſe Paulum Act. c. 21. v. 38. Ex qvibus liqvet, aliqvot annos Felicem, imperante jam Nerone, Judæam gubernaſſe & ante captum Paulum ſeditionem illam contigiſſe. Accedit, qvod Paulus poſt Cæſaream mittitur, & apud Felicem non parvo tempore captivus detinetur Act. 24. confer. Joſ. l. 20. ἀρχαιολ c. 6. & l. 2. ἁλωσ. c. 22. & 23 Hegeſ. l. 2. c. 6. 7. 8.

Feſtus

Festus Cæsareâ Hierosolymam progressus rogatur à Judæis, ut Paulum (quem in itinere cogitabant neci dare) Hierosolymam accersat, ille respondet, ut Cæsaream veniant. Ubi cum Paulo gravissima intenderent crimina, qvæ tamen, ipso se defendente, demonstrare neqvibant c. 25. v. 1. ad 9. & Paulus adverteret Festum in gratiam Judæorum se Hierosolymam adducturum, & Judicium ibi laturum, provocat ad Cæsarem v. 9. ad 13. Paucis diebus post venit Agrippa cum Berenice, cui cum Festus causam Pauli exposuisset, is Paulum audire avet vers. 13. ad 23. Postero die accersitum Paulum Festus Agrippe ostendit &c. vers. 23. ad fin. c. Paulus, Agrippâ adhortante, causam suam dicturus explicat adolescentiam suam, sectam, fidem & spem resurrectionis, rabiem in perseqvendis Christianis, conversionem, missionem ad gentes, obseqvium c. 26. v. 1. ad 24. Festo insanire visus ad Agrippam hæc scientem provocat, v. 24. ad 30. Agrippa, Festus & alii secedentes Paulum innocentem testantur, eumq; dimitti potuisse, ni ad Cæsarem appellasset v. 30. ad fin. c.

Paulum cum aliis captivis Romam traducturi Adramiticam conscendunt navim, Miram adpellunt, inde Alexandrinâ navi pergentes Cretam ad Pulchriportum perveniunt c. 27. v. 1. ad 9.

Multo jam peracto tempore, & elapso jejunii die (qvi fuit 10. Thisri vel 7. mensis) Paulus svadet, ut ibi ad tempus maneant, sed consilium negligentes inde solvunt, magnum periculum adeunt & jacturã bonorum & instrumentorum navticorum faciunt v. 9 ad 21. Consternatos Paulus adhortatur, ut bono sint animo. Sibi enim ab Angelo patefactum, neminem ex hominibus periturum v. 21. ad 30.

Nautæ è navi qværunt fugere, verum per Paulum impediuntur v. 30. 31. 32. Post Pauli svasu cibum sumunt, & alleviantes navem frumentum in mare projiciunt v. 33. ad 39. Dein ad littus agentes navem frangunt, omnes tamen salvi evadunt v. 39. ad fin. In Insulam Meliten venientes humaniter excipiuntur c. 28. v. 1. 2. Paulus viperam manum suam invadentem in ignem excutit illæsus v. 3. ad 7. Publii primarii illius insulæ viri patrem febri & dysenteriâ liberat aliosqve multos sanat v. 7. ad 11. Post 3. menses Melitâ solventes Syracusam, dein circum legentes Rhegium post Puteolos, deniq; Romam venerunt v. 11. ad 16. Paulus catenâ ligatus & milite custoditus seorsim habitat, & mox 3. die convocatis Iudæis causam captivitatis

ſuæ exponit v. 17. ad 23. Deindè conſtituto diẹ ipſis Evangelium annunciat Credunt qvidam, qvidam verò non; qvibus Paulus mentis cæcitatem, ab Eſaia cap. 6. prædictam objịcit, & gentibus hanc ſalutem miſſam aſſerit, qvo audito abierunt multam habentes inter ſe diſceptationem. At Paulus in conducta domo biennium Chriſtum prædicat cum omni libertate v. 23. ad fin.]

Hactenus ACTA Apoſtolica.

Romæ, dum catenis vinctus Paulus cuſtoditur, ſcripſit epiſtolas ad Galathas, ad Epheſiòs, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, 2. ad Timotheum, ad Philemonem, ad Ebræos..

Circa finem anni M. 4066. Ch. vulg. 61. Paulus coram Nerone cauſam dicit deſertus ab omnibus, ſed Deo adſiſtente ex ore leonis liberatur 2. Timoth. 4. v. 16. 17. Poſt famaeſt, inqvit Euſeb. lib. 2. hiſt. Eccl. c. 22. eum ad prædicationis miniſterium reverſum, atq; in partes Occidentis perrexiſſe & in Gallia & Hiſpaniâ Evangelium prædicaſſe.

Anno Mundi 4066. Chriſti ætat. vul. 61. vel circa hoc ipſum tempus arbitrantur Lucam, cum hiſtoriam Pauli amplius non pertexuerit, Actâ Apoſtolorum literis conſignaſſe..

Anno Mundi 4067. Ch. vulg 62. Hananias non multò ante ab Agrippâ conſtitutus Pontifex maximus, cum Feſtus Judææ præſes defunctus eſſet, & ſucceſſor ejus Albinus nondum veniſſet, ſed in itinere adhuc eſſet, hac occaſione uſus, Senatum convocat, eiq; Iacobum, fratrem Chriſti conſobrinum, cognomento Iuſtum, cum aliis qvibusdam exhibitos accuſat, & condemnat impietatis, eosq; populo lapidandos tradit. Qvod cum omnes probos malè haberet, eum apud Agrippam accuſant, qvi iratus poſt tertium menſem eum iterum Pontificatu removet Ioſeph l. 20. Antiq. c. 8..

Anno Mundi 4068. Ch. vul. 63. Marcus Evangeliſta, qvi Alexandrinæ Eccleſiæ præfuerat, vitam cum morte commutat, cum Nero 8. annos imperaſſet,. & ſuccedit ipſi Anianus vir θεοφιλὸς καὶ τὰ πάντα θαυμάσιος Euſ. l. 2. c. 24..

Anno Mundi 4069. Ch. vulg. 64. Conſulibus Lecanio M. Licinio Craſſo, Nero Imperator graviſſimam adverſus Chriſtianos perſecutionem exorditur. Cornel. Tacit. l. Annal. 15..

Anno

Anno P. J. 4780. *Mundi* 4072. Ch. vul. 67. Paulus redit & gladio, jubente Nerone, percutitur, atqve ita martyrii coronam adipiſcitur.

Eodem hoc anno Apoſtolus Petrus Romam regreſſus paucosqve ibi moratus menſes martyrio coronarur & cruci affigitur.

Anno P. J. 4783. *Mundi* 4075. Chriſt. vulg. 70. Hieroſolyma à Tito Veſpaſiani Imperatoris filio circa feſtum Paſchatos obſidetur & tandem 8. Septemb. expugnatur & deletur.

Anno P. J. 4803. *Mundi* 4095. Ch. vul. 90. Evangeliſta Iohannes à Proconſule in Aſiâ Epheſo Romam ad Domitianum Imperatorem vinctus mittitur. Ubi ante portam Latinam in ferventis olei doleum demittitur, & cum nihil hinc læderetur, in Pathmum Inſulam relegatur. Tertul. Orig. Hier.

Anno P. J. 4808. *Mundi* 4100. Ch. vulg. 95. Iohannes Evangeliſta à Deo juſſus Apocalypſin ſcribit. Iren.

Anno P. J. 4809. *Mundi* 4101. Ch. vul. 96. occiſo jam Domitiano & Imperium tenente Nerva circa finem anni, Iohannes Evangeliſta ex Inſulâ Pathmo Epheſum redit, Eccleſiasqve deinceps in Aſiâ gubernat. Euſeb.

Anno P. J. 4810. *Mundi* 4102. Ch. vul. 97. Evangeliſta Iohannes ab Aſiæ Epiſcopis rogatur, ut Evangelium ſcribat, qvo Cerinthus Chriſti divinitatem negans, & alii Hæretici refutentur. Acqvievit qvidem eis, ita tamen ut jejunium propter hanc rem voluerit Eccleſiis indici, ac pro felici ſucceſſu DEUM piis precibus invocari. Hieron.

Anno P. J. 4812. *Mundi* 4104. Ær. Chriſti vulg. 99. Johannes Evangeliſta Epheſi placidè obdormiſcit Euſebius l. 3 c. 28.

Anno P. J. 4820. *Mundi* 4112. Ch. vul. 107. Simeon Apoſtolus natus patre Cleophâ Ioſephi fratre, matre verò Mariâ Cleophæ, qvi fratri ſuo, cognomento juſto, interfecto in Epiſcopatum Hieroſolymitanum ſucceſſerat, eoqve jam functus 40. annis, vir natus 120. annos ſub Trajano apud Atticum Conſularem accuſatur, qvod eſſet ex genere Davidis & Chriſtianus, ac propterea multis diebus flagris cæſus tandem in crucem agitur. Ad ea usqve tempora inqvit Egeſippus apud Euſebium, virgo pura & incorrupta manſit Eccleſia, iis

qvi ſanum ſalutaris prædicationis canonem corrumpere conati ſunt, ſi tum aliqvi fuerunt, in obſcurà qvadam caligine ad id usqve temporis delitescentibus. Poſtqvam autem ſacer Apoſtolorum chorus differentem ſortius eſt finem, & generatio illa præteriit, qvæ divinam ſapientiam ipſis auribus audire meruerat, tunc impii erroris conſpiratio per ſeductionem eorum, qvi alienam doctrinam tradebant, initium cepit, qvi etiam, qvoniam nemo amplius ſuperſtes erat ex Apoſtolis, jam nudo vertice contra veritatis prædicationem falſi nominis ſcientiam ex adverſo prædicare conati ſunt


Vid. Euſeb. hiſtor. Eccleſ. l. 3. c. 29.

SOLI DEO GLORIA.

FINIS.



IN-



INDEX PRIMUS.

EXhibens summam generalem partium, Sectionum, Membrorum &c. quæstionesq; secundum eum ordinem, quo excussæ.

LIBER PRIMUS.

PARS I.

Membr.

PARS ALTERA.

LIBRI PRIMI.


Qvæ-

 65

Mem-

LIBER SECUNDUS.

Hic brevitatis ergo saltem qvæstiones breviter interspersæ recensebimus.



INDEX SECUNDUS
AUTORUM.

INDEX TERTIUS.

PERSONARUM & RERUM MEMORABILIUM.

A.

 Adje-

B.

 Barti-

Haman

J.

ERRATA.

QVæ parim scribarum, partim correctorum, partim etiam typothetarum incuria irrepserunt benevolus Lector ita corriget.

Pag. 2. lin. 4. leg Physicæ l. 19, pro ריהי leg, ויהי l. 24. leg. חמץ p. 5, lin. 7, pro secuodi leg. secundi p. 6. l. 20, pro poterant leg. possent l. 25, pro tumporis leg. temporis p. 7, l. 1. leg. confunderentur l. 15, pro habebat, leg. habeat l. 17, pro ; pone, pag. 12. l. 29, pro ἰατὰ

 τὰ

τῶ leg. ἐπεὶ λῶ p. 20, l. 3, pro confores, leg. conferes l. 10. leg. Levit l. 28, leg. ſeptenario p. 22, l. 5, leg. daer nae: Luth da ſoltu p. 23. l. 28. leg. expreſſo p. 24. l. 22. leg. feriantur p. 25. l. 3. leg. Bucholzer p. 28. l 27. leg. hac motus ratione p. 30. l. 13. leg. conſeqventiam l. 28. leg. expiationis p. 32. l. 18. leg. Seleucidarum l. 20. leg. antedictis l. ulti. leg. ſeptenariis p. 33. l. 5, leg. Antagoniſtam l. 28. pro vox leg. vix p. 33. l. 14, lege Ita p. 35. l. 5. leg. γεωργίας l. 18. leg. ſunt. p. 36. l. 19 leg. ὑποθέσεως p. 38. l. antep. leg. Conſeqventiæ p. 39. l. 8. pro 907 leg. 531. l. 10. pro 880. leg. 580. p. 40. (ubi tamen vitiosè occurrit 39) l. 4. & 5. leg. lib 2. Sect. 5. p. 44, l. 30. leg. hiſtoriis p. 45. l. 17. leg. Varronianus p 47. l. 24. leg Hyrcanus p. 51. l. 26. leg. cognomento p. 52. l. 8 pone: cum ante babtiza. l. 15. leg. fuiſſe circiter 29. annorum cum baptizaretur p. 60. l. 8. leg. ſeqvitur p. 68. l. 25. l. ejusdemq; p. 69. l. penult. leg. ἀγενεαλόγητος p. 71. l. 27. leg. μεθοικίζειν p. 75. l. 2. adde omiſſa: noſtrũ cogit argumentũ p. 77. l. 22. pro non concedimus leg. concedimus p. 79. l. 16. leg ſerie p. 80. l. penult. deleatur, & p. 82. l. 12. pro. ponatur, & pro Anni &c. leg. anni hi collecti conficient p. 84. l 1. pro rnnos leg. annos l. 28. leg. בארץ & in eadem lineâ leg. Palæſtina l. penult. leg. Genebrardus p. 85. l. 3. leg. διαθήκην l. 14. pro 250 leg. 350. p. 86. l. 6. leg Puto l. 20. pro Xæan leg. χαναὰν p. 87. l. 25. leg. ἐλλείψεις l. 28. leg. hac ratione p. 89. l. antepen pro facta leg. factæ p. 91. l 24. pro Act. 15. leg. Gen. 15. p. 95. lin. 10. lege datum p. 96. lin. antep. leg. συγγένεια p. 97. l. 5. leg. tendentem diæcæſeos p. 58. l. 2. leg. expresſè p. 100. l. 20. deleatur 9. l. penut. leg. Moabitarum Rege p. 201. l. 27. leg. comitantur p. 103. l. 9. deleatur: eti p. 110. l. 8. leg conjũngere p. 113. l. 10. leg. computat p. 114. l 6. leg. in conciliatione l. 16. leg. ni vel niſi p. 117. l. 30. leg. בֶּן p. 118. l. 3 leg. patris Achabi, fratris verò Ahaſiæ & l. 5. leg. fratre Aaſia, ſed & patre Achabo p. 119. l. 17. leg. neq; ante neq; poſt octen &c. l. 32. leg ſublatus p. 120. l. 11 leg. וּשְׁתַּיִם l. 12. leg. בִּירוּשָׁלָיִם & paulo poſt עָמְרִי l. 12. poſt annorum, claudatur parentheſis l. 23. leg. וְשֵׁשׁ p. 121. l. 15. leg. trajectionem p. 125. l. 11. leg. in captivitate p. 127. l. penult. leg. anno ejus 17 p. 129. l. 23. leg. continuetur p. 130. l. 28. leg. comedere p. 131. l. 4. leg. Qvia nunqvam &c. p. 132. l. 31. retineatur numerus $428\frac{1}{2}$.

ERRATA.

428½.reliq. deleantur p 133.l.39.leg.Regnat hic 11.annos p.142.l.10.
111 legatur 11.vel 2.p 143.l.21.leg exeunte p.144.l.4,&l.10. pro in-
eunte leg. exeunte p. 145. l. 19. leg. Jojakimi annum p.148. l. 16. leg.
Abrahã p.151.l.14.leg. לבלבות p. 156 l 8.leg. Illam conversionem æqvi-
noctium vernum, hanc verò æqvinoctium autumnale &c. p. 158. l. 16
leg. ultimum p. 162. l. 2. leg. Megasthene p.164.l.5 leg. consideretur
p.167 pro 7.leg. 70. l.8.leg.ad pro ab l 11.leg.accuratiori l.24.pro sem-
per leg. septem p.168. l.9.leg 425 p. 161.l. 26. leg. וירא p 162, l. ulti.
leg. צרק עלבים p.167 l.2.leg.alligata p.172.l.17..ante ער ponatur r.
p.173 l. 10, pro Hemq; leg. Itemq; l. 20,Hæc 3. verborum &c. debent
novam lineam ordiri. Nec enim spectant ad responsionem datam
Grotio, sed explicationem verborum Danielis continuant p. 175. l. 5
leg. Africanus l ultim. pro 3. ponatur III. p. 178, l. 32, omissa sunt
post parenthesin: concilientur necessarium est, ut &c. p. 180. l 28.
p.113, leg. 413. p. 184. l. pen. leg. Acischo p. 188. l. 28, deleatur, ter.
p.190. l.8. leg. suspicionem l.25. deleatur punctum, qvod post dies ap-
paret p.198.l.14,leg.superstitibus p 207,l.10,pro 193,leg. 103.l. antep.
leg. revertitor p. 213, l. antep. l. sesqvianno p. 217, l. 26,leg. Camby-
se p. 226 l.19 leg dissertum p. 130 l.11,leg. ab Isaaco p. 232, l.7.leg. pro
cui,cur p.234.l.23,leg. ut D.Chemnit. p.236. l. 16, leg pro cil,scil.p.337,
l. ult. leg. πτεράμηνον p.240,l.23,leg captabatur p.241,l.2,leg,reclamât
p.243,l.24,leg. controvertitur,p. 24 l.15.comma post τὰς ἡμέρας delea-
tur p.251,l.28, leg daret p.256,l.8,leg. interpretantur p. 260. l 18. leg.
gratum p. 262. lin. 1. pro 1636, leg. 1536, lin. 18. leg. יָמִיו p. 265, l.
32, leg. ultimis ante Eberum annis vel ultimo ante natum Eberum an-
no 271, l.19, p. 200, leg. 2190, juxta Alstedium Isaac l. ult. leg haud
pro haut p. 275, l. 5, leg. incesto p. 277, l. 1. pro 5415, leg. 2415,
l. 14, leg. Paulo post promulgatur immane &c. l.17. pro 20. leg. 21. l.
penult. leg. יָלִי p. 278. l. 13. leg. Josu. l 20. leg versiculis p. 288. pro
302. leg. 301. l. ult. leg. Jephtha p 291. l. 1. pro בִירִת leg. בְּרִית
p. 28. leg. staturæ p. 296. l. 28. commma post prius deleatur & pona-
turp ost iterum p. 298. l. 20. pro annò M. 2945,Egres. ante C.N. 1059
leg Eodem hoc anno David &c. p 300. l. 10. leg. dictam p. 301. l.
26. leg. stuprat p 306, l. 1, pro 327, leg. 317. p. 310, l. 28, in qvibusdam
exemplaribus omissus est numerus, Exitus 595. p. 321. leg. T.C. 374.

pro375. qvi error poftea in annis T.C. femper recurrit p.319, l.19, leg. reliqvias l. 26. leg. excutit p.323. leg. ut domos p. 329. l.9, leg. excidium p. 330, l.8, leg. faftuofo p. 331, l 9, leg. & Xenop l. 13. leg omnia regna p. 332, l. ultim pone, &, ante toti Judæorum &c. p. 333, l. 11. leg. lamentans p. 334. l. 18. leg. alio, qvocunq; poffunt, modo confulant p. 335. l. 6. leg. Præfecti l. 25, & 26, leg. miniftros fuos vetat deinceps Judæis in reftaurando templo impedimento effe p. 343, l. 31, leg. elephantem p. 344, lin. 26, pro vetaret, leg. mandaret vel præciperet pag. 345, lin. 16, leg. cum exercitu pag. 346. lin. 13, leg. comprehendendi l. 20, leg. transfugas p. 353, l. 4, leg. qvo p. 355, l. 7, leg. Synagoga l. 32. leg. Decapoli p. 356. l. 23, leg. hæmorrhoufam p 357. l. 27. leg. cum videret. l. antep. leg. ferum p. 360. l. 26. pro 34, leg 32, p. 365, l. 24. leg. eleemofynarum p. 366. l. 17. leg. prolapfo p. 367, l. 4, pro 6. leg. 9. p 372. l. antep. leg. veræ p. 374, 21. leg. Barrab. p. 379, lin. 8, leg. cognomento p. 385. lin. 17, leg. qvomodo pro qvo p. 389. l. ult. leg. virgo pro vrgo.

FINIS.

